BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV.
A
59
NAPOLI

XXIV.
a.
59.

Digitized by Google

~~73~~

~~B~~

~~90~~

Digitized by Google

COMMENTA
IN
ARISTOTE
METAPHYSI

Autore Magiſtro PETRO F
celeberrimo quondam in
Pariſienſi Philoſophiæ Pro

EDITIO QUINT

Emendatior multò, ſchematibus
adornata, & figuris ad SPH
ſpectantibus aucta.

LUGDUNI,

C.
I. An
distinguit
Art. II. Ad quos effec
tialis exten
Parag. I. De
Parag.
Cap. II

INDEX

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, Sectionum, Quæſtionum, Capitum, Articulorum, & Paragraphorum.

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

DE IPSA METAPHYSICA.

Cap. I. DE nomine, notione & exiſtentia Metaphyſicæ. 2
Cap. II. De Cauſis Metaphyſicæ. 4
Art. I. De Cauſâ materiali Metaphyſicæ. 5
Art. II. De Cauſâ formali Metaphyſic... 11
Cap. III. De Proprietatibus M...
Cap. ult. De Diviſione Met...

PARS PR...
De Princi... 16

TRACTAT...
De Principiis p...

DISPUTAT...
De Principiis co...

SECTIO P...

Quid & quotuplex Princi...

SECTIO POSTERIOR.

De primo Principio complexo. 19

DISPUTATIO POSTERIOR.

De Principiis rei. 24

SECTIO PRIMA.

De Actu & Potentiâ. 25

QUÆSTIO PRIMA.

De Actu. 26

QUÆSTIO SECUNDA.

De Potentiâ. 28

DISSERTATIO PRIOR.

De Potentiâ obedientiali. 30

Cap. I. De nomine, notione & exiſtentia Potentiæ obedientialis. 30

Cap. II. De Cauſis Potentiæ obedientialis. 32

Art. ... entia obedientialis à naturali ... atur. 33

... tus Potentia obedien- ... dat ſe. 35

... enſione obedientiali Potentiarum vitalium. *ibid.*

II. De extenſione obedientialium Potentiarum creatarum ut ſic. 37

... I. De affectionibus Potentiæ obedientialis. 51

Cap. ult. De diviſione Potentiæ obedi...

CAPIT. ARTIC. ET PARAG.

DISSERTATIO POSTERIOR.
De Potentiâ objectivâ. 55

SECTIO SECUNDUS.
De Eſſentiâ & Exiſtentiâ. 60

QUÆSTIO PRIOR.
Quomodo diſtinguantur Eſſentia, & Exiſtentia in creatis. 61

QUÆSTIO POSTERIOR.
An Eſſentiæ univerſales ſint ab æterno. 64

SECTIO TERTIA.
De naturâ & ſingularitate. 69

SECTIO QUARTA.
De Eſſentiâ & Entitate. 75

SECTIO ULTIMA.
De Termino & Terminabili. 77

APPENDIX.
Quæ Principia conveniant Enti. 79

TRACTATUS POSTERIOR.
De Cauſis. 81

DISPUTATIO PRIOR.
De Cauſâ in communi. 81

Cap. I. DE nomine, notione & exiſtentia Cauſæ. 81

Art. I. De ordine Cauſarum. 86
Art. II. De connexione Cauſarum. 88
Art. III. De fœcunditate Cauſarum. 90
Art. IV. De diſtinctione Cauſæ ab effectu. 93
Art. ult. De Prioritate Cauſæ. 95
Cap. ult. De diviſione Cauſæ. 100

APPENDIX.

De effectu. 103
Art. I. De Reproductione. 104
Parag. I. An effectus corruptus poſſit reproduci. *ibid.*
Parag. II. Utrum effectus exiſtens poſſit alibi reproduci. 107
Art. II. De poſſibilitate effectus à pluribus Cauſis. 112

DISPUTATIO POSTERIOR.

De cauſis in particulari. 120

SECTIO PRIMA.

De Causâ finali.

Art. I. An finis ſit Cauſa, & qualis. 121
Art. II. De Cauſalitate finis. 125
Parag. I. De cauſalitate finis in actu primo. *ibidem.*
Parag. II. De cauſalitate finis in actu ſecundo. 129
Art. ult. De effectibus cauſæ finalis. 132

SECTIO SECUNDA.

De Causâ efficiente. 135

Cap. I. DE nomine, notione & exiſtentia cauſæ efficientis. 135

Cap. II. De definitione & cauſalitate cauſæ efficientis. 136
Cap. III. De proprietatibus cauſæ efficientis 138
Art. I. Utrum dari poſſit actio in diſtans? 139
Art. II. De diſtinctione agentis à paſſo. 146
Parag. unic, De Antiperiſtaſi. 149
Art. III. De exceſſu agentis ſuprà paſſum. 155
Parag. unic. De Reflexione Qualitatum, 159
Art. IV. De Sphæra activitatis agentium naturalium. 164
Art. ult. De Proportione, quâ agentia naturalia agunt extra ſe. 169
Cap. ult. De diviſione cauſæ efficientis. 174
Art. I. De Cauſa ſecunda. 176
Parag. I. An cauſæ ſecundæ aliquid agant. 177
Parag. II. An ſubſtantiæ creatæ ſint activæ. 179
Parag. III. De Activitate accidentium. 182
Art. II. De Cauſa prima. 188
Parag. I. De Creatione. 189
Punct. I. De poſſibilitate & exiſtentia Creationis. *ibid.*
Punct. II. De cauſis Creationis. 191

COROLLARIUM.

De Annihilatione. 200
Punct. III. De effectibus Creationis. *ibid.*
Parag. II. De Conſervatione. 201
Parag. III. De Concurſu Dei. 208
Parag. IV. De determinatione cauſarum ſecundarum ad effectus. 215
Parag. ult. De Prædeterminatione. 225

SECTIO TERTIA.

De Cauſa Exemplari. 230

Cap. I. DE nomine, notione, & exiſtentia cauſæ exemplaris. 230
Cap. II. De definitione, & cauſalitate exemplaris. 233
Cap. III. De affectionibus cauſæ exemplaris. 234
Cap. IV. De diviſione exemplaris. 239

SECTIO QUARTA.

De Cauſa materiali. 242

SECTIO ULTIMA.

De Cauſa formali. 247

APPENDIX.

De Cauſis & effectibus per accidens. 249
Art. I. De Cauſa per accidens. *ibid.*
Parag. I. De forma & caſu. 251
Parag. II. De fato. 254
Art. II. De effectu per accidens. 256
Parag. unic. De Monſtris. 257

PARS SECUNDA METAPHYSICÆ.

De Proprietatibus Entis. 265

DISPUTATIO PRIOR.

De Entis Proprietatibus in communi. ibid.

Cap. I. An & quot ſint? *ibid.*
Cap. II. Quales ſint ſuperiores proprietates. 268

DISPUTATIO POSTERIOR.

De ſingulis proprietatibus Entis. 269

SECTIO PRIMA.

De Unitate. 270

Art. I. De notione Unitatis. *ibid.*
Art. II. De Ratione conſtitutivâ Unitatis. *ibid*
Art. III. De Proprietatibus Unitatis. 277
Art. ult. De diviſione Unitatis. 278

SECTIO SECUNDA.

De Veritate. 279

Art. I. De notione Veritatis. *ibid.*
Art. II. De Ratione conſtitutiva Veritatis. 280
Art. ult. An veritas reciprocetur cum Ente? 285

SECTIO ULTIMA.

De Bonitate. 287

Art. I. De notione Bonitatis. *ibid.*
Art. II. In quonam conſiſtat Ratio Bonitatis. *ibid.*
Art. ult. An bonum reciprocetur cum Ente? 289

PARS ULTIMA METAPHYSICÆ.

De ſpeciebus Entis. 292

TRACTATUS PRIOR.

De Ente in communi, ibid.

DISPUTATIO PRIOR.

De Ente Reali. 293

Cap. unic. De conceptu Entis. *ibid.*

Art. I. An conceptus Entis unus ſit. 294

Art. II. Utrum conceptus Entis præſcindatur à conceptibus differentiarum. 296

DISPUTATIO POSTERIOR.

De Ente Rationis. 297

Cap. I. De nomine, notione & exiſtentia Entis Rationis. *ibid.*

Cap. II. De cauſis Entis Rationis. 302

Cap. III. De paſſionibus Entis Rationis. 308

Cap. ult. De diviſione Entis Rationis. 309

TRACTATUS POSTERIOR.

De ſingulis ſpeciebus Entis Metaphyſici. 311

DISPUTATIO PRIMA.

De ſubſtantia in genere. 312

Cap. I. De nomine, notione & exiſtentia ſubſiſtentiæ. 313

Cap. II. De natura ſubſiſtentiæ. 318

Art. I. De definitione ſubſiſtentiæ, ſuppoſiti & perſonæ. *ibid.*

Art. II. Quid ſubſiſtentia ſuperaddat naturæ ſubſtantiali? 328
Cap. III. De affectionibus ſuppoſiti & ſubſiſtentiæ. 341
Cap. ult. De diviſione ſubſiſtentiæ. 345

DISPUTATIO SECUNDA.

De Deo. 347

Cap. I. DE nomine, notione & exiſtentia Dei. 349
Cap. II. De eſſentia Dei. 358
Cap. ult. De Attributis divinis. 370
Art. I. De modis intrinſecis Dei. 371
Parag. I. De modis tranſcendentalibus Dei, 372
Parag. II. De modis ſpecialibus Dei. 374
Punct. I. De ſimplicitate Dei. 375
Punct. II. De perfectione Dei. 379
Punct. III. De infinitate Dei. 382

APPENDIX.

Utrum poſſibile ſit infinitum creatum. 384
Punct. IV. De immutabilitate Dei. 400
Punct. V. De immenſitate Dei. 402
Punct. VI. De Æternitate Dei. 409

APPENDIX.

Utrum produci potuerit aliqua creatura ab æterno. 411
Punct. ult. De inviſibilitate, incomprehenſibilitate, & ineffabilitate Dei. 418

Art. II. De potentia Dei. 419
Art. III. De virtutibus Dei. 423
Art. ult. De actibus divinis. 426
Parag. I. De decretis divinis. 427
Parag. II. De providentia Dei. 429

DISPUTATIO ULTIMA.

De Angelis. 435

Cap. I. De nomine, notione & exiſtentia Angelorum. *ibid.*
Cap. II. De cauſis Angelorum. 440
Cap. III. De Angelorum affectionibus. 442
Art. I. De loco, & ubi Angelorum. *ibid.*
Art. II. De duratione Angelorum. 445
Art. III. De intellectu Angelorum. 446
Parag. I. De objecto cognitionis Angelicæ. 447
Parag. II. De medio cognitionis Angelicæ. 452
Parag. III. De modo cognoſcendi Angelorum. 459
Parag. ult. De locutione Angelorum. 463
Art. IV. De voluntate Angelorum. 465
Art. ult. De potentia motrice Angelorum. 467
Parag. I. De motu interno Angelorum. *ibid.*
Parag. II. De motu tranſeunte Angelorum. 471
Parag. III. De aſſumptione corporum ab Angelis. 473
Cap. ult. De diviſione Angelorum. 481

FINIS.

COMMENTARIUS

COMMENTARIUS IN ARISTOTELIS METAPHYSICAM.

ETsi Phyſica, Metaphyſicæ præmitti aliquando ſoleat in Scholis; eò quòd res Phyſicæ, ut potè materiales, rebus Metaphyſicis, ab omni nempe materiæ fæce avulſis, propter eam quam habent cum ſenſibus affinitatem, faciliores ſint: commodius tamen duximus Philoſophiæ ſpeculativæ initium ducere à Metaphyſicâ, eo quòd recta doctrinæ ratio poſtulet, ut ſemper à communioribus, ad ſpecialiora fiat progreſſus, ut docet Philoſophus in limine ſuæ Phyſices: objectum autem Metaphyſicæ, Phyſicæ argumentum ſuâ communione ſeu vniverſalitate tranſcendat.

DISPUTATIO PROOEMIALIS.
DE IPSA METAPHYSICA.

CAPUT PRIMUM.
De nomine, notione & exiſtentia Metaphyſicæ.

HÆc diſciplina, variis titulis inſignitur. Dicitur *Sapientia*; eò quòd de rebus altiſſimis, per altiſſima principia, diſcurrat.

Dicitur *Theologia*, ſcilicet *naturalis*; eò quòd de Deo rebuſque divinis, per principia lumine naturali nota, diſſerat.

Dicitur per antonomaſiam *Philoſophia*; eò quòd cæteras Philoſophiæ partes ordine dignitatis & naturæ præcedat; propter quam rationem, ſcientiarum princeps & domina etiam nominatur; eo quòd cæterarum ſcientiarum principia probet quodammodo & confirmet. Hinc lib. 6. Metaphyſicorum capite primo, vocatur Philoſophia prima.

Sed vulgò ab Ariſtotelis Interpretibus *Metaphyſica* vocitatur, ſumptâ hujus appellationis occaſione ab inſcriptione Græcâ, quam Philoſophus ſuis libris præfixit, *περὶ τῶν μετα φυσικὰ*; id eſt de iis quæ ſunt poſt, vel ſupra res phyſicas; præpoſitio enim Græca *μετα*, utrumque habet ſenſum. Metaphyſica ergo eſt & poſt & ſupra Phyſicam. Poſt, tum quia revera Philoſophus de rebus phyſi-

Digitized by Google

cis priùs ſcripſit, quàm de methaphyſicis: tum quia cognitio rerum phyſicarum, ordine inventionis prior eſt, quàm metaphyſicarum; cùm res phyſicæ, propter illud quod habent cum materiâ commercium, ſenſibus viciniores ſint: omnis autem noſtra cognitio, à ſenſibus ortum ducat. Eſt verò ſupra Phyſicam, quia res à materiæ concretione defæcatæ, quæ proprium ſunt Metaphyſices argumentum, res corporeas, quas ſolas Phyſica contemplatur, dignitate longè ſuperant.

Metahyſica vulgò, cogitatur, diſciplina quæ de rebus à materia abſtractis lumine naturali ratiocinatur.

CONCLUSIO.

Datur Metaphyſica.

PRobatur primò, authoritate Ariſtotelis, & plerorumque Philoſophorum, qui de ipſâ, plurima volumina conſcripſerunt.

Probatur ſecundò, ratione. Diſciplina quæ lumine naturali diſcurrit de rebus à materiâ avulſis, eſt Metaphyſica: Atqui datur talis diſciplina. Tum quia res à materiâ avulſæ, naturalem animi aciem non planè fugiunt: tum quia de illis rebus multa cognoſcimus per cauſas: v.g. Deum eſſe æternum; quia eſt immutabilis; Angelos eſſe immortales, quia ſunt ſubſtantiæ ſpiritales, &c.

Objiciens. Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu: Atqui res à materiâ avulſæ, non poſſunt eſſe in ſenſu: Ergo nec in intellectu.

Diſtinguo majorem. Nihil eſt in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu, per ſe, vel per aliquid ſui, concedo : per ſe neceſſariò, nego. Alioqui nihil cognoſceremus præter accidentia, eaque materialia & ſingularia. At, licet res à materiâ avulſæ, non fuerint in ſenſu per ſe; fuerunt tamen per aliquid ſui, v.g. Deus, per creaturas, ſecundùm illud Apoſtoli, capite primo Epiſtolæ ad Romanos : *Inviſibilia enim ipſiûs, à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, &c.*

Inſtabis : Deum non poſſumus cognoſcere per cauſas, cùm nullas habeat: Ergo non poſſumus illum cognoſcere philoſophicè.

Diſtinguo antecedens: Deum non poſſumus cognoſcere per cauſas rei, concedo : per cauſas cognitionis, nego. Ad cognitionem autem philoſophicam, nihil refert utrùm ſit per cauſas rei vel cognitionis.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſis Metaphyſicæ.

De fine Metaphyſicæ nulla difficultas: nam (ut ait Philoſopus, ſecundi Metaphyſiorum lib. cap. 1.) ſcientiæ ſpeculativæ finis, eſt veritas ſeu cognitio; Itaque cùm Metaphyſica ſit ſpeculativa, ejus finis eſt actualis contemplatio objecti.

De causâ effectrice Metaphyſices eodem modo philoſophandum eſt ac de causâ effectrice Philoſophiæ in communi.

Quamobrem agendum tantum eſt de causâ materiali & formali Metaphyſicæ.

ARTICULUS PRIOR.

De causâ materiali Metaphyſicæ.

DE materiâ in quâ & ex quâ Metaphyſices idem ſentiendum eſt, ac de materiâ in quâ & ex quâ Philoſophiæ in communi.

Reſtat ergo tantùm difficultas de ejus objecto; ad cujus ſolutionem repetenda ſunt, quæ in Prolegomenis Logicæ docuimus de Objecto in genere.

De objecto Metaphyſicæ varii variè ſentiunt: alii enim volunt eſſe Ens latiſſimè ſumptum, prout complectitur omnia Entia, ſive realia ſive fictitia, ſive completa ſive incompleta: alii, ſtatuunt Ens propriè ſumptum, id eſt Ens reale eſſentialiter completum: alii, ſolam ſubſtantiam; alii, ſolum ſpiritum: alii, ſolum Deum. Prima ſententia, excedit; ſecunda, rem attingit, cæteræ deficiunt, ut deinceps patebit.

PRIMA CONCLUSIO.

Ens latiſſimè ſumptum non eſt legitimum objectum Metaphyſicæ.

PRobatur. Legitimum objectum alicujus diſciplinæ, non debet prædicari in recto de omnibus quæ tractantur in illâ diſciplinâ; ſed de quibuſdam in recto, de quibuſdam in obliquo. Cujus propoſitionis, ratio eſt quòd

objecta ſcientiarum, habere debeant quædam principia & quaſdam proprietates; res autem, de ſuis principiis & proprietatibus non prædicatur in recto, ſed in obliquo tantùm: Atqui Ens latiſſimè ſumptum prædicatur in recto de omnibus quæ tractantur in Metaphyſica; nihil enim ſpectatur à Metaphyſica, quod non ſit ens latiſſimè ſumptum, hoc eſt vel aliquid reale vel aliquid rationis, aliquid completum vel incompletum: Ergo, &c.

Objicies. Metaphyſica agit de Ente rationis: Ergo Ens ſub ſe complectens Ens reale & Ens rationis, eſt legitimum objectum Metaphyſicæ.

Diſtinguo Antecedens. Metaphyſica agit de Ente rationis, per accidens, concedo: per ſe, nego. Sicut enim ars auraria, per ſe, agit tantùm de vero auro; de auro autem falſo, duntaxat per accidens, in quantum cognitio auri falſi, confert ad cognitionem veri: Ita, à pari, Metaphyſica, quæ eſt ſcientia de Ente, agit tantùm, per ſe, de Ente vero; per accidens autem tantùm, de Ente falſo & ficto; ut, ex ejus cognitione, proprium ſuum objectum meliùs diſcernat.

SECUNDA CONCLUSIO.

Legitimum objectum Metaphyſicæ nec ſola eſt ſubſtantia, nec ſolus ſpiritus, nec ſolus Deus.

PRobatur. Illud non eſt legitimum objectum alicujus ſcientiæ, ad quod non referuntur, in ratione objecti, omnia quæ per ſe in tali ſcientia conſiderantur: Atqui omnia quæ in Metaphyſica conſiderantur, non referuntur,in ratione objecti,ad ſubſtantiam, ſpiritum, aut Deum; nam Metaphyſica, per ſe, agit de Ente completo; Ens autem completum non refertur, in ratione objecti, ad ſubſtantiam, ſpiritum, aut Deum; quia genus, in ratione objecti, per ſe non refertur ad ſpecies, ſed contrà ſpecies ad genus; at Ens completum, genus eſt reſpectu ſubſtantiæ, ſpiritûs & Dei. Ergo,&c.

Objicies primò. Accidens refertur ad ſubſtantiam: Ergo ſubſtantia eſt objectum adæquatum Metaphyſicæ.

Diſtinguo antecedens. Accidens refertur ad ſubſtantiam, in ratione Entis, concedo: in ratione objecti, nego. Nam una ſpecies, in ratione objecti, non refertur ad ſpeciem oppoſitam; ſed ambæ, ad genus commune. Deinde, gratis prætermiſſo antecedente, negarem conſequentiam: quia licèt accidens,in ratione objecti, ad ſubſtantiam referretur; non tamen propterea Ens, quod genus eſt utriuſque, ad eam referretur, propter rationem in concluſione allatam.

Objicies ſecundò. Ex Philoſopho, libri 6. Metaphyſ.cap.1.ſublatis ſubſtantiis ſpiritalibus, nulla foret ſcientia altior Phyſicâ: Ergo Metaphyſica agit tantùm de ſubſtantiis ſpiritalibus, tanquam de objecto adæquato.

Nego conſequentiam: ideò enim id dixit Philoſophus, quia ſublatis ſubſtantiis ſpiritalibus, tollerentur quoque accidentia ſpiritalia, quæ ſcilicet eſſe non poſſunt, niſi in ſubſtantiis ſpiritalibus: ſublatis autem ſubſtantiis ſimul & accidentibus ſpiritalibus, tollerentur omnia Entia ſpiritalia, & conſequenter Ens completum ab omni materia avulſum, quod eſt legitimum Metaphyſicæ objectum, ut poſtea patebit.

Inſtabis. Objectum Metaphyſicæ debet eſſe à materiâ abſtractum: Atqui ſola res ſpiritalis eſt à materiâ abſtracta: Ergo ſola eſt objectum Metaphyſicæ.

Diſtinguo majorem. Objectum Metaphyſicæ, debet eſſe à materiâ abſtractum, re vel ratione, concedo: re neceſſariò, nego: At, licèt ſola res ſpiritalis, abſtracta ſit realiter à materiâ; attamen, gradus & perfectiones rebus ſpiritalibus & corporeis communes, mentaliter abſtrahunt à materia, cùm materiam in ſuo conceptu non involvant.

Objicies tertiò. Metaphyſica dicitur Theologia naturalis; Ergo Deus eſt ejus objectum.

Diſtinguo conſequens. Deus eſt ejus objectum inadæquatum, illudque primarium, concedo: adæquatum, nego. Sic ergo appellatur Metaphyſica, à nobiliore objecti ſui parte.

TERTIA CONCLUSIO.

Legitimum objectum Metaphyſicæ, eſt Ens propriè ſumptum, prout ab omni materiâ abſtractum.

MEns eſt Ariſtotelis libri 4. Metaphyſicorum cap. 1. & 2. & Metaphyſicorum libri ſexti capite primo.

Probatur, ex eo quòd Ens ſic ſumptum, habeat, omnes conditiones ad legitimum objectum requiſitas. Primò enim, eſt unum unitate generica. Secundò, commenſuratur Metaphyſicæ, hoc eſt nec arctiùs nec latiùs extenditur. Tertiò, ad illud omnia quæ tractantur in Metaphyſica referuntur, vel tanquam principia, ut actus & potentia, eſſentia & exiſtentia, &c. vel tanquam proprietates, ut unitas, veritas, bonitas, &c. vel tanquam ſpecies, ut ſubſtantia, accidens, &c. Quartò denique, Metaphyſicam à cæteris ſcientiis diſtinguit, nam nulla eſt ſcientia naturalis, alia à Metaphyſicâ, quæ abſtrahat ab omni materiâ, ſingulari ſcilicet, ſenſibili, & intelligibili.

Objicies. Si Ens eſſet objectum Metaphyſicæ, nulla foret Scientia præter Metaphyſicam; namque Metaphyſica conſideraret res omnes. Scientia enim, quæ conſiderat genus, conſiderat ſpecies omnes illius generis & ſpecierum ſpecies, ex Philoſopho, quarti Metaphyſ. lib. cap. ſecundo.

Nego majorem, cujus probationem diſtinguo. Metaphyſica conſideraret res omnes,

prout participant generalem rationem Entis, concedo: ſecundùm ſpeciales & ſpecificas ſuas rationes, nego.

Inſtabis. Scientia quæ ex profeſſo conſiderat aliquod genus, conſiderat etiam ſpecies omnes illius generis, ſecundùm ſpeciales ſuas rationes, ut patet in Phyſicâ: Atqui res omnes ſunt ſpecies Entis, quod ex profeſſo conſideraret Metaphyſica: Ergo Metaphyſica, conſideraret res omnes ſecundùm ſpeciales ſuas rationes.

Diſtinguo majorem. Scientia quæ conſiderat aliquod genus, conſiderat etiam exactè ſpecies omnes illius generis, ſi illæ ſpecies participent objectum formale talis ſcientiæ, concedo: ſecus, nego. At, res omnes non participant rationem formalem objecti Metaphyſici, ſcilicet abſtractionem ab omni planè materiâ, ut ſatis liquet in rebus Phyſicis & Mathematicis. Ergo Metaphyſica conſiderat exactè eas tantùm Entis ſpecies, quæ materiæ non immerguntur, nimirum ſubſtantiam & accidens, Deum & Angelos: ſpecies autem Entis materiæ fæce contaminatas, inferioribus ſcientiis examinandas relinquit.

Ex quibus colliges objectum materiale Metaphyſicæ eſſe *Ens eſſentialiter completum*, quia Ens ſic ſumptum, ita ſpectatur à Metaphyſicâ, ut etiam ab ipſa Philoſophia in communi conſideretur: Formale verò, eſſe *præciſionem ab omni planè materiâ*; quia, per hanc præciſionem, Ens, aliàs de ſe indifferens ad multas diſciplinas, juris fit Metaphyſici.

ARTICULUS POSTERIOR.

De Cauſa formali Metaphyſicæ.

CAuſa formalis Metaphyſicæ, eſt ejus definitio, quæ conſtare debet genere & differentiâ. Ejus differentiam habemus ex ſuperiori articulo: differentiæ quippe habituum, conſiſtunt in relatione tranſcendétali ad objecta; quare ſupereſt, ut ejus genus inveſtigemus.

Recolenda ſunt quæ de habitibus intellectûs docuimus tractatu procemali Logicæ, cap. 2. art. 4. parag. 5.

Conſtat primò Metaphyſicam, eſſe virtutem intellectûs; quia, ex ſe, mentem ſemper inclinat ad verum.

Conſtat ſecundò Metaphyſicam, non eſſe practicam: res enim Metaphyſicæ, ut potè à materia avulſæ, non ſunt à nobis liberè per præcepta operantibus producibiles.

Ex quo ſequitur Metaphyſicam nec artem eſſe, nec prudentiam.

Conſtat tertiò Metaphyſicam non eſſe ſimpliciter intelligentiam; quia quamquam plurima principia conſideret, ea tamen non propter ſe conſiderat, ſed propter concluſiones ex illis deducendas.

Conſtat denique Metaphyſicam, eſſe Sapientiam; quia conſiderat res altiſſimas, per altiſſimas cauſas, altiſſimaque principia; ut probat ex profeſſo Ariſtoteles, libri 1. Metaphyſicorum cap. 2.

Quæritur itaque tantùm utrùm Metaphyſica ſit ſcientia, nec-ne?

PRIMA CONCLUSIO.

Metaphyſica non eſt ſcientia ſpecificè.

PRobatur. Scientia ſpecificè, eſt cognitio rerum inferiorum per inferiores cauſas: atqui Metaphyſica non eſt ejuſmodi; cùm nihil præter res altiſſimas ſpeculetur. Ergo, &c.

Confirmatur. Scientia ſpecificè ſumpta, opponitur Sapientiæ, ut docuimus, in Logicis, loco citato: atqui Metaphyſica eſt ſapientia: Ergo non eſt ſcientia ſpecificè ſumpta.

SECUNDA CONCLUSIO.

Metaphyſica eſt ſcientia propriè & genericè.

PRobatur, Scientia propriè & genericè ſumpta, eſt habitus demonſtrativus, id eſt habitus diſcurſivus, qui neque eſt ſophiſticus, neque purè topicus, ut dictum eſt, in Logicis, loco citato: Atqui Metaphyſica eſt ejuſmodi, habet enim multas demonſtrationes, multos ſyllogiſmos, qui neque ſophiſtici ſunt, neque purè topici, ut, cùm probat ſimplicitatem Dei, per ejus independentiam; intellectualitatem Angelorum, per eorum ſpiritualitatem: Ergo Metaphyſica eſt ſcientia propriè & genericè ſumpta.

COROLLARIUM.

EX ſuperioribus articulis patet Metaphyſicam ſic poſſe definiri.

Metaphyſica eſt ſapientia Entis à materiâ abſtracti contemplatrix; vel,

Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa, quæ verſatur circa Ens eſſentialiter completum prout ab omni materiâ præciſum.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus Metaphyſicæ.

METaphyſicæ proprietates duæ ſunt, nimirum ejus neceſſitas, & locus inter cæteras Philoſophiæ partes.

Etſi Metaphyſica ad cæteras ſcientias acquirendas non ſit ſimpliciter neceſſaria (cùm cæteræ ſcientiæ habeant propria principia & axiomata ipſo lumine naturali nota, ex quibus ratiocinari poſſunt independenter à Metaphyſica:) nihilominus illis eſt utiliſſima tum quia aperit generaliſſima principia, quibus particularia inferiorum ſcientiarum dogmata nón mediocriter ſtabiliuntur; tum quia aperit notitiam rerum generaliſſimarum, putà actûs & potentiæ, eſſentiæ & exiſtentiæ, &c. De quibus in omnibus ſcientiis paſſim fit mentio.

Quod ſpectat ad locum, quem Metaphyſica tenet inter ſcientias:

Primò, Secundùm ordinem inventionis Metaphyſica eſt omnium ſcientiarum poſtrema: quia illæ ſcientiæ poſteriores ſunt ſecundùm inventionem, quarum objecta ſunt à ſenſibus remotiora; (omnis enim noſtra ſcientia à ſenſibus pendet:) Atqui objecta Metaphyſicæ, ut pote à materiâ abſtracta, à ſenſibus ſunt remotiſſima: Ergo Metaphyſica

ſecundùm inventionem eſt omnium ſcientiarum poſtrema.

Secundò, Secundùm ordinem diſciplinæ: Metaphyſica ſupponit ſcientias practicas: quia priùs homo debet ſepiſum dirigere poſſe, quàm alia extra ſe contempletur. Præcedere verò debet cæteras ſcientias ſpeculativas, quia recta doctrinæ methodus poſtulat, ut priùs de univerſalibus agatur, quàm de ſpecialioribus, vitandæ ταυτολογίας causâ, ut docet Philoſophus primi de partibus animalium libri cap. 4. cæterarum autem ſcientiarum objecta, ſpecialiora ſunt objecta Metaphyſices.

Tertiò denique, Secundùm ordinem dignitatis: Metaphyſica eſt omnium ſcientiarum prima ex ſexti Metaphyſ. libri cap. 1. quia habet nobiliſſimum objectum; conſiderat enim Ens ab omni materiâ avulſum, quod ambitu ſuo ipſum Deum complectitur; ſcientiæ autem ſpecificantur ab objectis.

CAPUT ULTIMUM.

De diviſione Metaphyſicæ.

Metaphyſica dividi poteſt in generalem, quæ tractat de Ente in genere; & in ſpecialem, quæ agit de ſpeciebus Entis à materiâ avulſis.

Quidam recentior, ſolam poſteriorem, Metaphyſicæ nomine vult intelligere: priorem Metaphyſicam appellare renuit; appellat ſcientiam generalem. Verùm cùm tota de nomine ſit queſtio, & arbitraria ſit Philoſo-

phiæ diviſio, ut docuimus ultimâ diſputatione Logices; temeritate non vacat receptiſſimam ab Ariſtotele & omnibus ejus ſequacibus Philoſophiæ diviſionem faſtidioſiùs deſpicere. Ideo nos utramque nomine Metaphyſices cum cæteris Peripateticis complectemur.

IN LIBROS METAPHYSICORUM ARISTOTELIS.

Præfatio.

ARiſtoteles quatuordecim libros de rebus Metaphyſicis conſcripſit, ſed ſatis confusè, & cum tam frequenti interpoſitione rerum logicarum & phyſicarum, ut non tam videatur Metaphyſicam compoſuiſſe, quàm Philoſophiam integram adumbraſſe: Unde Suares Ariſtotelis veſtigiis in his libris inſiſtens, ad eam, quam conſcripſit Metaphyſicam, totum corpus Philoſophicum revocavit.

Nos Metaphyſicam puram trademus, quam noſtrâ methodo in tres partes diſtribuemus. In primâ, agemus de principiis Entis. In ſecundâ de proprietatibus ejus. In tertiâ, de ſpeciebus.

Moneo hîc me in citandis libris Metaphyſices Ariſtotelis, non ſequi ordinem Duvallii, qui undecimum & duodecimum antiquorum fecit ultimos; quia ſum antiquitatis amantiſſimus obſervator.

PARS PRIMA.

De Principiis Entis.

PRincipium latiùs patet, quàm cauſa; namque licet omnis cauſa ſit principium; omne tamen principium non eſt cauſa, ut poſtea patebit: Cùm ergo à generalioribus omnis proficiſci debeat diſſertatio, priùs de principiis agemus, quàm de cauſis, Ariſtotelem imitati, qui quinti Metaphyſicorum capite primo agit de principiis, & non niſi capite ſecundo de cauſis. Principia autem prout à cauſis diſtinguuntur, vocabimus principia propriè dicta.

TRACTATUS PRIOR.

De Principiis propriè dictis.

PRincipium propriè dictum illud eſt, quod per ſe aliquid ita præcedit, ut iſtud ad ipſum ordine quodam conſequatur.

Itaque ad rationem principii duæ neceſſariò requiruntur conditiones.

Prima eſt, ut principium ſit quodam modo prius principiato; poſterius enim non eſt principium prioris. Utrùm autem illa prioritas temporis ſit, qualis eſt inter Adamum & poſteros; vel naturæ, qualis eſt inter Solem & diem; vel originis, qualis eſt in divinis inter perſonam producentem & productam: Item utrùm executionis ſit, qualis eſt inter

cauſam

cauſam efficientem & effectum; vel intentionis, qualis eſt inter cauſam finalem & effectum, nihil refert.

Secunda eſt, ut illa prioritas fundetur in rebus ipſis propter aliquam ſpecialem connexionem; prioritas enim ſine connexione, qualis eſt inter Gallum ſeniorem & Hiſpanum juniorem, non ſufficit ad rationem principii.

Optimè ergo definitur principium, *aliquid primum unde aliqua res.* Dicitur primò *aliquid*, ſive poſitivum, qualis eſt cauſa reſpectu effectûs; ſive negativum, qualis eſt privatio reſpectu generationis; ſive influens, qualis eſt pater reſpectu filii: ſive non influens, qualis eſt terminus à quo, in motu locali: ſive influens in aliud, qualis eſt pater reſpectu filii, in creatis; ſive influens tantùm in alium, qualis eſt perſona producens reſpectu productæ, in divinis. Dicitur ſecundò *primum*; nam ut diximus, aliqua requiritur prioritas ad rationem principii. Dicitur tertiò, *unde*; id eſt vel à quo, vel ex quo, vel per quod, vel propter quod, aut ad cujus ſimilitudinem: & hæc particula oſtendit connexionem quæ eſt inter principium & principiatum. Additur denique *aliqua res*, id eſt, ipſum principiatum; principium enim & principiatum ſunt correlata, ſicut cauſa & effectus; & proinde, ut id quod cauſatur, effectus eſt: ita, id quod principiatur; appellatur principiatum.

Ariſtoteles aliter definit principium lib. 5. Metaphyſicorum capite primo his verbis:

Principium eſt aliquid primum, unde aliquid vel eſt, vel fit, vel cognoſcitur. Verùm illa deſcriptio non tam definitio eſt, quàm diviſio; continet enim tria principiorum genera, nimirum principia compoſitionis ex quibus aliquid eſt aut conſtat; principia generationis, quæ concurrunt ad productionem alicujus rei, & principia cognitionis, quæ in notitiam alicujus rei inducunt.

Immediatè dividitur principium in principium cognitionis, quod nimirum ducit in cognitionem alterius; & in principium rei à quo res habet eſſe: de quibus ſequentibus diſputationibus agemus.

DISPUTATIO PRIOR.

De Principiis cognitionis.

SECTIO PRIOR.

Quid & quotuplex Principium cognitionis.

PRincipium cognitionis definitur id, quod ducit in cognitionem alterius.

Duplex eſt: ſcilicet ſimplex, ſeu incomplexum, & complexum.

Principium incomplexum eſt quoddam ſignum deducens in cognitionem alterius rei, quale eſt veſtigium reſpectu prędæ; de illo ſatis egimus in compendio logico, ubi de ſigno.

Principium complexum latè eſt quælibet propoſitio alteri probandæ inſerviens; quales ſunt præmiſſæ reſpectu concluſionis; Pro-

priè verò principium complexum eſt propoſitio ita vera, certa & evidens, ut probatione non egeat. Dicitur vulgo propoſitio per ſe nota, propoſitio indemonſtrabilis, principium, effatum, dogma, dignitas, axioma, & in practicis, maxima.

Principia complexa, vel ſunt ſpecialia, quæ uni tantùm ſcientiæ propria ſunt, quale eſt iſtud: Contraria contrariis curantur, in arte Medica: vel generalia, quæ pluribus ſcientiis, non tamen omnibus competunt, quale eſt iſtud, Si ab æqualibus æqualia demas, reliqua remanent æqualia, in Arithmeticâ & Geometriâ: vel generaliſſima, quæ omnibus ſcientiis inſervire poſſunt; ut, Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Quodlibet eſt vel non eſt, &c. quæ omnia juris ſunt metaphyſici, ut pote cùm abſtrahant ab omni materia.

Verùm licet omnia principia generaliſſima vocentur *prima principia*; unum tamen eſſe debet præ cæteris, quod ſit omnium abſolutè primum; namque in unoquoque genere datur aliquod primum. Illud ergo primum principium hîc inveſtigandum eſt.

SECTIO POSTERIOR.

De primo Principio complexo.

PRimum principium complexum deſcribitur: Propoſitio clariſſima, in quam tandem omnia demonſtrabilia reſolvuntur.

Ad primum principium Philoſophus tres requirit conditiones lib. 4. Metaphyſ. cap. 3.

primò, ut ſit βεβαιότατον καὶ γνωριμώτατον, certiſſimum & notiſſimum, adeo ut circa illud nemo falli poſſit. Secundò, ut ſit ἀνυπόθετον, nihil ſupponens, ſeu indemonſtrabile alioqui non eſſent ampliùs primum principium Tertiò denique ut ſit τῶν ἄλλων ἀξιωμάτων πάντων ἀρχὴ, aliorum axiomatum principium, id eſt ut in illud cætera mediatè vel immediatè reſolvantur.

Principium omnium primum ſine controverſia debet eſſe aliquod ex ſequentibus.

Deus eſt.

Ens eſt id quod eſt.

Omne Ens eſt unum, verum, bonum.

Quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe.

Nihil ſimul eſt, & non eſt.

De nullo ſimul vera eſt affirmatio, & negatio.

De quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio.

Neceſſe eſt quodlibet eſſe vel non eſſe, vel quodlibet eſt, vel non eſt.

Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.

CONCLUSIO.

I*Mpoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, eſt primum principium.

Ita Philoſophus quarti Metaphyſicorum libri capite tertio & quarto.

Probatur ratione. Illud principium eſt omnium primum, quod ita certum eſt & clarum, ut à nemine negari poſſit: ita primum, ut per prius non poſſit demonſtrari,

omnia verò demonſtrabilia in ipſum poſſint reſolvi : Atqui tale eſt iſtud duntaxat effatum : *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Primò namque nemo tam bardus, qui illud mente negare poſſit. Secundò, Probari non poteſt per prius, quia ſcilicet methodus ſyllogiſtica nititur hoc principio : ideo enim conceſſis præmiſſis non poteſt negari conſequentia, quia concederetur quod idem eſſet & non eſſet. Tertio, Omnia demonſtrabilia in illud mediatè vel immediatè reſolvuntur Ergo eſt primum principium.

Confirmatur ex rejectione cæterorum principiorum.

Primò, Primum principium non eſt iſtud, *Deus eſt:* tum quia negari poteſt, & de facto negatur ab Atheis, ſecundùm illud Pſalmi 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus,* tum quia per illud cætera probari non poſſunt; ſicque nec primam, nec tertiam participat conditionem primi principii.

Secundò, Non eſt iſtud, *Ens eſt id quod eſt* ; tum quia probatur per noſtrum, tum quia eſt propoſitio identica & nugatoria, proindeque inutilis ad probandum ; ſicque nec ſecundam, nec tertiam participat conditionem.

Tertiò, Non eſt iſtud, *Omne Ens eſt unum, verum, bonum*; tum quia negatur à quibuſdam etiam Philoſophis putantibus relationes non eſſe bonas ; tum quia in eo proprietates prædicantur de ſubjecto : At propoſitio, in qua proprietates de ſubjecto prædicantur, non eſt indemonſtrabilis, cùm pro-

bari poſſit à priori per eſſentiam; ſicque iſtud principium nec primam, nec ſecundam participat conditionem.

Quartò, Non eſt iſtud, *Quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe*: quia probatur per noſtrum hoc modo; Si quod eſt, quamdiu eſt, poſſet non eſſe, poſſet ſimul eſſe & non eſſe: Atqui impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: Ergo *Quidquid eſt*, &c. ſicque non participat ſecundam conditionem.

Quintò, Non eſt iſtud; *Nihil ſimul eſt & non eſt*: quia probatur per noſtrum; ideo enim *Nihil ſimul eſt & non eſt*, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe; ſicque non participat ſecundam conditionem.

Sextò, Non eſt iſtud, *De nullo ſimul vera eſt affirmatio & negatio*: quia ſic probatur per noſtrum; Si de aliquo ſimul vera eſſet affirmatio & negatio, illud ſimul eſſet & non eſſet: Atqui impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: Ergo *de nullo ſimul vera eſt affirmatio & negatio*; ſicque non participat ſecundam conditionem.

Septimò, Non eſt iſtud, *De quolibet vera eſt affirmatio vel negatio*: quia probatur per aliud, nimirum per iſtud: neceſſe eſt quodlibet eſſe vel non eſſe; ſicque non participat ſecundam conditionem.

Octavò denique non eſt iſtud: *Neceſſe eſt quodlibet eſſe vel non eſſe*: vel *Quodlibet eſt vel non eſt*; tum quia noſtrum clarius eſt, proindeque opportunius ad cætera probanda, ut ſatis patet. Tum quia iſtud probatur per noſtrum hoc modo: Si verum non eſſet

quodlibet eſſe vel non eſſe, aliquid nec eſſet nec non eſſet; ſicque nec eſſet habens eſſe, nec habens carentiam eſſendi. Non eſſet habens eſſe: Ergo eſſet habens carentiam eſſendi; quod enim non eſt habens rem, eſt habens carentiam ejus, cùm negatio & carentia rei ſint unum & idem: ex conceſſis tamen non eſſet habens carentiam eſſendi: ſicque ſimul eſſet habens & non habens: Atqui impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe: Ergo impoſſibile eſt dicere alquid nec eſſe nec non eſſe. Ex quibus patet hoc principium nec primam nec ſecundam participare conditionem.

Ergo *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe* eſt primum omnium principiorum.

Objicies primò. Primum principium non poteſt negari: Atqui iſtud principium olim negatum eſt ab Heraclito, teſte Philoſopho capite tertio citato: Ergo non eſt primum.

Diſtinguo minorem. Iſtud principium negatum eſt, ore, concedo: mente, nego. Heraclitus ergo negabat quidem iſtud principium; ſed ore tenus: non enim neceſſe eſt, quæcunque quis negat, ea etiam putare, inquit Philoſophus loco citato.

Objicies ſecundò. Illud principium probatur ab Ariſtotele quarti Metaphyſicorum libri cap.4. Ergo non eſt primum.

Diſtinguo antecedens. Probatur per inductionem particularium, concedo: per aliquod principium generale potius, nego. Non eſt autem contra rationem primi principii inductione explicari.

Objices ultimò. Propoſitio abſoluta prior eſt modali: Atqui principium iſtud, *Impoſſibile eſt*, &c. modale eſt: Ergo non eſt omnium primum.

Diſtinguo majorem. Propoſitio abſoluta prior eſt modali, in ratione entis & propoſitionis, concedo: in ratione principii, nego.

Quippe quæ ſunt ſimpliciora, priora ſunt in ratione entis; propoſitio autem abſoluta ſimplicior eſt modali: At quæ notiora ſunt, priora ſunt in ratione principii: principium autem noſtrum eſt omnium notiſſimum.

DISPUTATIO POSTERIOR.

De Principiis rei.

PRincipium rei hîc non ſumitur, prout opponitur principio rationis, ſeu principio per mentem: nam principia interna metaphyſica vocantur principia rei, cùm tamen ſint tantùm principia rationis, ſeu virtualia, ut poſtea patebit; ſed principium rei, ſumitur prout opponitur principio cognitionis. Itaque hîc.

Principium rei definitur, id quod quodammodo facit ad eſſe alicujus.

Principia rei dividuntur primò in principia generationis ſeu in fieri, & in principia compoſitionis ſeu rei in facto eſſe.

Principia generationis ſunt ea, quæ conferunt ad generationem alicujus rei; ſic parentes & partes hominis ſunt principia ipſius generationis.

Princi

Principia compoſitionis ſunt ea quæ rem intrinſecùs conſtituunt, ut corpus & anima reſpectu hominis.

Dividuntur ſecundò in principia quæ ſunt cauſæ, & in principia quæ non ſunt cauſæ, quæ ob id dici poſſunt principia ſtrictè ſumpta; qualia principia ſunt perſonæ producentes in divinis reſpectu productarum. Hæc diviſio patebit ex Tractatu ſequenti de Cauſis.

Dividuntur ab Ariſtotele quinti libri Metaphyſicorum cap. 1. in principia intrinſeca & extrinſeca.

Principia extrinſeca ſunt ea, quæ non ingrediuntur naturam principiati; qualia ſunt principia finalia, effectiva & exemplaria.

Principia intrinſeca ſunt ea, quæ naturam principiati ingrediuntur. Et duplicis ſunt generis, ſcilicet Phyſica & Metaphyſica.

Quidam principia Phyſica definiunt, quæ à ſe invicem diſtinguuntur realiter; Metaphyſica verò quæ à ſe invicem ſola ratione differunt. Quæ, quanquam in noſtra opinione vera ſunt; quia tamen non vacant controverſia, non debent ingredi definitiones principiorum; cùm definitiones non debeant eſſe controverſæ. Itaque meliùs definientur, ſic

Principia Phyſica ſunt ea, quæ ſolas res phyſicas & materiales componunt, nimirum materia & forma.

Principia Metaphyſica ſunt ea quæ non ſolum res materiales, ſed etiam res quaſdam

à materia avulſas componunt, ut actus & potentia, genus & differentia, &c.

Principiorum Metaphyſicorum ſeptem ſolent afferri juga, ſcilicet actus & potentia, genus & differentia, eſſentia & exiſtentia, natura & ſingularitas, eſſentia & entitas, modus & res modificabilis, terminus & res terminabilis.

De ſecundo jugo, putà de genere & differentia, ſatis ſuperque diximus in Logicis, tractatu de univerſalibus; de penultimo etiam jugo, putà de modo & re modificabili, abundè egimus in eadem Logica, diſputatione noſtra de modis. Hîc agendum de cæteris.

SECTIO PRIMA.

De Actu & Potentia,

QUÆSTIO PRIMA.

De Actu.

ACtus qui etiam vocatur ἐνέργεια, ἐντελέχεια, poteſt deſcribi perfectio quædam.

Diſtingui debent hi tres loquendi modi: Eſſe actum, eſſe actu, & eſſe in actu. Nam eſſe actum, eſt eſſe perfectionem ſui vel alterius: eſſe actu, eſt exiſtere: Eſſe in actu, eſt de facto habere perfectionem cujus aliquid capax eſt. Sic calor eſt actus ignis, & eſt actu in igne; ignis verò eſt calidus in actu.

Actus dividitur primò, in actum ſui, & actum alterius.

Actus ſui ille eſt, qui per ſe ſubſiſtit, nec poſtulat eſſe in alio, ut Deus, Angelus, homo, &c. diciturque actus ſubſiſtens, qui eſt, Vel

Impurus, qui includit materiam phyſicam, ut homo & quodlibet compoſitum naturale. Vel

Purus, qui excludit quidem materiam phyſicam, ſed habet materiam metaphyſicam, hoc eſt potentiam ad eſſendum vel non eſſendum, ut Angelus. Vel.

Puriſſimus, qui omnem potentialitatem excludit, qualis eſt ſolus Deus.

Actus alterius ille eſt, qui non per ſe ſubſiſtit, ſed poſtulat eſſe in alio; & duplex eſt: phyſicus & metaphyſicus.

Actus phyſicus eſt, qui eſt in potentiâ, à quâ ſaltem divinitus ſeparari poteſt; ut albedo & anima reſpectu corporis.

Actus metaphyſicus ille eſt, qui eſt in potentiâ, à quâ ne divinitus quidem ſeparari poteſt defectu diſtinctionis actualis, ut differentia reſpectu generis.

Actus dividitur ſecundò, in actum accidentalem, qui eſt Ens alteri inhærens, & in ſubſtantialem, qui alteri non inhæret.

Actus ſubſtantialis ſubdividitur in ſubſiſtentem, qui non dicit ordinem ad materiam, qualis eſt Angelus: Et in informantem, qui dicit ordinem ad materiam; qualis eſt anima.

Actus dividitur tertiò, in actum primum, qui eſt potentia activa; & ſecundum, qui eſt operatio potentiæ. Hinc ridere in actu pri-

mo, eſt habere vim ridendi; ridere verò in actu ſecundo, ex Ariſtotele ſecundi de Anima libri cap. 2. eſt de facto in riſum erumpere. Quidam addunt actum primò primum;vel primum ſimpliciter,qui eſt ipſa eſſentia,vel forma ſubſtantialis alicujus rei; quo ſenſu Anima definitur à Philoſopho libri 2. de Anima cap. 1. Actus primus corporis phyſici, &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Potentia,

Potentia deſcribi poteſt, Aptitudo ad aliquid; ſeu capacitas alicujus rei.

Sicut diſtinguuntur hæ phraſes philoſophicæ, Eſſe actum, eſſe actu, & eſſe in actu; ita ſunt diſtinguendæ iſtæ, eſſe potentiam, eſſe potentiâ; & eſſe in potentiâ: oppoſitorum enim oppoſita eſt ratio. Eſſe potentiam, eſt eſſe ipſammet capacitatem; Eſſe potentiâ, eſt poſſe exiſtere; Eſſe in potentiâ, eſt habere aptitudinem ad aliquam perfectionem adhuc abſentem.

Duplex eſt potentia: Activa una, quæ eſt capacitas agendi; altera paſſiva, quæ eſt capacitas recipiendi. Et hæc duplex eſt,ſcilicet objectiva & ſubjectiva.

Potentia objectiva ſeu logica eſt capacitas exiſtendi in re nondum exiſtente; ſeu non repugnantia exiſtendi: Unde meliùs poſſibilitas quàm potentia diceretur.

Potentia ſubjectiva (quæ ſola propriè paſſiva eſt) eſt rei jam exiſtentis capacitas reci-

piendi aliquem actum in ſe ; & duplex eſt, Metaphyſica ſcilicet & Phyſica.

Potentia Metaphyſica eſt ea ; quæ à ſuo actu non diſtinguitur realiter ; ut genus reſpectu differentiæ.

Potentia Phyſica eſt ea, quæ à ſuo actu diſtinguitur realiter ; qualis eſt potentia materiæ reſpectu formæ. Et hæc quadruplex diſtingui poſſet, ſcilicet reſpectiva ; eductiva paſſiva, emanativa & elicitiva.

Potentia receptiva eſt aptitudo ad recipiendum aliquid in ſe ; qualis eſt potentia materiæ ad formas.

Potentia eductiva paſſiva, eſt ea è quâ agens activè educit actum, qui in eâ recipitur : Quare omnis potentia paſſiva eductiva, receptiva eſt ; non contrà, nam potentia materiæ ad animas rationales receptiva eſt, non eductiva.

Potentia emanativa eſt vis, quâ agens in ſe ipſo producit proprietatem ſeu perfectionem quandam ſibi debitam ; qualis eſt potentia aquæ calidæ ad priſtinum frigus. Hinc omnis potentia emanativa, ſimul eductiva eſt & receptiva.

Potentia elicitiva eſt facultas vitalis, quæ in ſeipſa terminum vitalem producit ; quales ſunt omnes potentiæ cognoſcitivæ & appetitivæ vitales.

Potentia creaturæ tum activa tum paſſiva ſeu receptiva, duplex vulgò ſtatuitur ; naturalis ſcilicet & obedientialis.

Potentia naturalis eſt vis à naturâ inſita ad actus ſibi proportionatos producendos vel

recipiendos;qualis eſt potentia viſûs reſpectu viſionis,& potentia materiæ reſpectu animæ.

Potentia obedientialis eſt facultas quâ creatura à Deo aſſumi poteſt ad actus ſibi improportionatos producendos aut recipiendos; qualis eſt potentia intellectûs creati ad videndum Deum, & potentia creaturæ intellectualis ad recipiendam gratiam vel gloriam.

Hîc duæ ſunt difficultates examinandæ. Prior de potentia obedientiali, poſterior de potentia objectiva ſeu de poſſibilitate; quas difficultates ſequentibus Diſſertationibus diſcutiemus.

DISSERTATIO PRIOR.

De Potentiâ obedientiali.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine, Notione & Exiſtentiâ potentiæ obedientialis.

POtentia obedientialis ſic vocatur, quia per eam creatura Deo obedit ad nutum; Unde etiam à ſancto Thoma, tertia parte quæſt. 11. art.1. & quæſtione ſexta de potentiâ, art. 1. ad 18. vocatur *potentia obedientiæ.*

Concipitur ut virtus ſeu vis, quâ creatura à Deo elevari poteſt ad actus, quibus ex ſe impar eſt & improportionata.

CONCLUSIO.

Datur Potentia obedientialis,

PRobatur primò exemplis fide certis ; Primò, potentiæ creaturæ intellectualis elevari poſſunt ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis. Secundò, Creatura intellectualis evehi poteſt ad receptionem gratiæ ſanctificantis & virtutum ſupernaturalium. Tertiò, Intellectus creatus corroborari poteſt ad Deum videndum. Quartò denique, Humanitas Chriſti promota eſt ad unionem hypoſtaticam cum ſecunda perſona ſanctiſſimæ Trinitatis : Ergo datur potentia obedientialis in creaturis.

Probatur ſecundò ratione. Deus ſupremum habet in creaturam dominium, ſupremamque virtutem : Ergo eam elevare poteſt ad effectus, quibus aliàs impar foret.

Confirmatur primò. Creatura quædam uti poteſt aliâ creaturâ ad id omne quod poteſt naturaliter : Ergo Deus uti poteſt creaturâ ultra id quod poteſt naturaliter, ſaltem in eodem genere, v. g. poteſt Angelus uti igne ad id omne quod ignis poteſt naturaliter : Ergo Deus poteſt uti eodem igne ultrà id quod poteſt naturaliter, v.g. ad agendum ad majorem diſtantiam, & ſic de cæteris. Hinc S. Thomas, tertia parte, quæſt.11.art.1. dicit, *Quòd agens primum poteſt quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu in quem reducitur per agens naturale.*

Confirmatur ſecundò. Calor de ſe impro-

portionatus effectibus vitalibus ad eoſdem attingendos ab anima evehitur : v.g. ad producendas carnes, cartilagines, &c. quidni ergo creatura, ut Deo ſubjecta, ab eodem ſupra proprias vires evehi poſſet ?

Optimè ſanctus Thomas quæſt.6. de potentiâ art.1. ad 18. *Quantò aliqua virtus activa eſt altior, tantò eandem rem poteſt perducere in altiorem effectum . unde natura poteſt ex terra facere aurum, aliis elementis commixtis : quod ars facere non poteſt ; & inde eſt quòd res aliqua eſt in potentia ad diverſa, ſecundùm habitudinem ad diverſos agentes. Vnde nihil prohibet quin natura creata, ſit in potentia ad aliqua facienda per divinam potentiam, quæ inferior potentia facere non poteſt ; & iſta vocatur potentia obedientiæ, ſecundùm quod qualibet creatura creatori obedit.* Non abſimilia etiam habet tertia parte, quæſtione undecima, articulo primo bis jam citato.

CAPUT SECUNDUM.

De Cauſis Potentiæ obedientialis.

CAuſa efficiens potentiæ obedientialis eſt Deus, qui illam ſcilicet cum creatura condidit ; & illa creatura, à qua aliquomodo fluit inſtar proprietatis.

Cauſa ejus formalis eſt ipſius deſcriptio ſuperiori capite tradita.

Cauſa materialis eſt creatura in qua eſt.

Cauſa finalis ſunt actus, ad quos efficien-

dos vel recipiendos inſervit.

Ratione cauſæ materialis & formalis, quæritur utrùm potentia obedientialis ſit quædam qualitas creaturæ ſuperaddita, ab eaque realiter diſtincta. Ratione cauſæ finalis quæritur ad quos effectus extendat ſe potentia obedientialis cujuſlibet creaturæ. Has duas difficultates duobus articulis ſolvemus.

ARTICULUS PRIOR.

An potentia obedientialis à naturali diſtinguatur.

CErtum eſt potentiam naturalem & obedientialem diſtingui ſaltem ratione ratiocinatâ, cùm diverſas habeant definitiones. Quæritur utrùm re diſtinguantur.

CONCLUSIO.

Potentia obedientialis non diſtinguitur realiter à naturali.

PRobatur. Si potentia obedientialis realiter differret à naturali, daretur proceſſus in infinitum: Falſum conſequens; Ergo & antecedens. Probatur ſequela majoris; Vel illa potentia obedientialis ſuperaddita foret qualitas naturalis, vel ſupernaturalis. Si naturalis, egeret aliâ potentiâ obedientiali ad attingendos effectus ſupernaturales, quibus ſcilicet æquè impar foret, ac ipſa potentia naturalis, & ſic daretur proceſſus in infinitum. Si ſupernaturalis; creatura, ut potè ipſi recipiendæ improportionata, egeret ad

potentiâ obedientiali mediâ; quâ illam reciperet, de quâ idem quæreretur: Ergo ſi potentia obedientialis differret realiter à naturali, daretur proceſſus in infinitum.

Objicies primò. Supernaturale diſtinguitur realiter à naturali: Atqui potentia obedientialis ſupernaturalis eſt. Ergo diſtinguitur realiter à potentia naturali.

Diſtinguo majorem. Supernaturale entitativè diſtinguitur realiter à naturali, concedo: ſupernaturale connotativè diſtinguitur realiter à naturali, nego: At potentia obedientialis eſt tantùm ſupernaturalis connotativè, in quantùm reſpicit quoſdam effectus ſupernaturales, ad quos elevari poteſt. Potentia ergo naturalis & potentia obedientialis creaturæ ſunt eadem actualiter entitas, virtualiter & connotativè duplex: quæ ſcilicet, prout reſpicit effectus naturales, dicitur potentia naturalis; prout reſpicit verò effectus ſupernaturales, dicitur potentia obedientalis.

Objicies ſecundò. Habitus fidei, ſpei, charitatis & luminis gloriæ diſtinguuntur realiter ab intellectu, & voluntate: Ergo potentia obedientialis diſtinguitur realiter à naturali.

Nego conſequentiam; nam fides, ſpes, charitas & lumen gloriæ, non ſunt potentiæ obedientiales, ſed potentiarum obedientialium complementa.

ARTICULUS POSTERIOR.

Ad quos effectus Potentia obedientialis extendat ſe.

HIc diſtinguendæ Potentiæ vitales à cæteris potentiis creatis, quia de illis minor eſt difficultas.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Extenſione Potentiarum obedientialium vitalium.

QUæritur utrùm potentia vitalis obedientialiter divagari poſſit extra limites objecti ſui ſpecificativi. V. g. utrùm oculus obedientialiter videre poſſit ſonos, & auris audire colores.

CONCLUSIO.

Id fieri non poteſt.

PRobatur primò. Si potentia vitalis poſſet obedientialiter divagari extra limites objecti ſui ſpecificativi, ſequeretur unum animal poſſe obedientialiter exercere actum alterius proprium: Falſum conſequens (tùm quia ut optimè dicit Philoſophus libri de Sommo & vigilia capite primo, ejus eſt actio cujus eſt potentia; tùm quia ex operationibus rerum non poſſemus colligere eſſentias:) Ergo & antecedens.

Probatur ſecundò. Si potentia vitalis poſſet obedientialiter divagari extra limites ob-

jecti ſui ſpecificativi, ſequeretur oculum poſſe videre Deum, & appetitum ſenſitivum poſſe amare Deum; ſicque belluas capaces eſſe ejuſdem beatitudinis ac homines: Abſurdum conſequens. Ergo & antecedens.

Probatur tertiò. Si potentiæ vitales poſſent obedientialiter divagari extra limites objecti ſui ſpecificativi, poſſent mutari eſſentialiter. Falſum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur major. Poſſent acquirere relationes ad nova objecta: At ſi acquirerent relationes ad nova objecta; mutarentur eſſentialiter: Ergo poſſent mutari eſſentialiter. Probatur minor. Ordo potentiarum vitalium eſt objecta eſſentialis eſt; cùm potentiæ præſertim vitales ſpecificentur ab objectis: Ergo ſi potentiæ vitales acquirerent relationes ad nova objecta, mutarentur eſſentialiter.

Probatur quartò. Homo per aurem non poteſt videre, nec poteſt attingere colores. Ergo potentia vitalis non poteſt obedientialiter divagari extra limites objecti ſui ſpecificativi. Probatur antecedens, Omne agens vitale eſt cauſa princeps: Atqui ſi homo per aurem poſſet attingere colores, non eſſet cauſa princeps: Ergo non poteſt. Probatur minor. Cauſa princeps definitur ea, quæ agit propriâ virtute; Atqui homo agens per aurem non habet propriam virtutem circa colores, propriam enim virtutem non habet circa objectum non proprium, colores autem non ſunt proprium objectum auris ex hypotheſi: Ergo homo per aurem non poteſt attingere colores.

Probatur ultimò. Intellectus creatus non poteſt obedientialiter amare : Ergo, &c. Probatur antecedens. Si intellectus creatus poſſet obedientialiter amare, intellectus divinus naturaliter amaret : poteſt enim potentia divina propter ſuam infinitudinem naturaliter præſtare, quidquid potentia creata cognominis poteſt præſtare obedientialiter , ſeclusis imperfectionibus,ut patet inductione : Atqui intellectus divinus non poteſt naturaliter amare, alioquin inutilis foret in Deo voluntas ab intellectu virtualiter diſtincta : Ergo intellectus creatus non poteſt obedientialiter amare.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De extenſione Potentiarum obedientialium creatarum ut ſic.

Quæritur utrùm potentia quælibet creata obedientialiter elevari poſſit ad quemlibet actum. Nimirùm.

Vulgus Philoſophorum putat quamlibet creaturam activam habere potentiam obedientialem ad quemlibet effectum producendum alium à ſeipsâ ; formicam , v. g. poſſe obedientialiter producere homines , cœlos, angelos , mundos ; & quamlibet creaturam paſſivam poſſe in ſe recipere quamlibet formam , v. g. lapidem poſſe recipere viſionem & intellectionem ; angelum poſſe recipere quantitatem & colorem.

Reclamant ii , qui naturalia rationis principia propiùs examinant : exiſtimant enim

potentiam obedientialem ſe extendere tantùm ad eos actus, reſpectu quorum creaturæ habent ex ſe quoddam veluti fundamentum, aut qui tales creaturas exigunt pro cauſis activis, vel pro receptivis. Exempli gratiâ, admittunt quidem potentiam obedientialem paſſivam in intellectu ad recipiendum lumen gloriæ; quia intellectus ex ſe illuminabilis eſt, & lumen gloriæ ex ſe poſtulat eſſe in intellectu. Item admittunt potentiam obedientialem activam in eodem intellectu ad cognoſcendum Deum intuitivè, quia intellectus creatus ex ſe inchoationem quandam habet ad omne intelligibile, quod ſcilicet continetur intra limites objecti ſpecificativi intellectûs, & viſio beatifica poſtulat eſſe in intellectu: At verò potentiam obedientialem in Angelo ad recipiendum quantitatem vel calorem admittere nolunt; tùm quia Angelus ex ſe nec formaliter extendi poteſt, nec calefieri; tùm quia quantitas & calor ex ſe poſtulant eſſe in ſubjecto corporeo ſecundùm illud tritum: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.*

CONCLUSIO.

Non datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

PRobatur primò. Mulierculærum eſt omnia ſtatim putare poſſibilia propter omnipotentiam divinam; Philoſophorum verò Chriſtianorum, de ſupernaturalibus & poſſibilibus judicare ſecundùm ea, quæ nobis per

revelationem innoteſcunt : Atqui revelatio potentiam obedientialem in iis tantùm creaturis ſtatuit, quæ fundamentum quoddam habent reſpectu actuum ſupernaturalium,& ad eos tantùm actus, qui tales creaturas exigunt pro principiis activis aut paſſivis : Ergo admittenda non eſt potentia obedientialis in quâlibet creaturâ ad quodlibet.

Dices Revelatio ſtatuit potentiam obedientialem in igne ad torquendos dæmones: atqui ignis non habet ullam inchoatam proportionem ad iſtum effectum : Ergo revelatio ſtatuit potentiam obedientialem abſque ullâ fundamentali proportione in creaturâ.

Nego. majorem. Fide quidem certum eſt ignem eſſe in inferis paratum diabolo & angelis ejus; ſed ignem torquere phyſicè dæmones non eſt determinatum, cùm de facto optimæ notæ Theologi contrarium propugnent. Agit ergo ignis in dæmones moraliter tantùm. Unde ſanctus Thomas, prima parte, quæſt. 64. art. 3. non agnoſcit ullum dolorem in ſubſtantiâ dæmonum, ſed tantùm in voluntate. Et articulo quarto,ad primum,ait *quòd locus non eſt pœnalis Angelo aut animæ quaſi afficiens alterando naturam, ſed quaſi afficiens voluntatem contriſtando, dum Angelus vel anima deprehendit ſe eſſe in loco non convenienti ſuæ voluntati.* Hinc ad tertium dicit *quòd dæmones licèt non actu alligentur gehennali igni, dum ſunt in aëre iſto caliginoſo; tamen ex hoc ipſo quod ſciunt illam alligationem ſibi deberi, eorum pœna non diminuitur.* Quibus omnibus verbis patet An-

gelicum Doctorem non putaſſe pœnam dæmonum eſſe ab igne phyſicè ; ſed moraliter tantùm.

Probatur ſecundò. Si potentia obedientialis extenderet ſe ad quoſlibet effectus, potentia obedientialis activa foret infinita : Falſum conſequens (aliàs eſſentia creaturæ foret infinita: nam quod finitum eſt non poteſt habere potentiam infinitam, ex proprietatibus enim colliguntur eſſentiæ; potẽtia autem obedientialis in ſententia adverſariorum, proprietas eſt creaturæ, cùm creaturæ competat ex eo quòd ſit creatura:) Ergo & antecedens. Probatur major. Illa potentia eſt infinitâ, quâ nulla perfectior dari poteſt: Atqui ſi potentia obedientialis activa extenderet ſe ad quoſlibet effectus, nulla potentia dari poſſet eâ perfectior : Ergo foret infinita. Probatur minor. Quælibet cauſa phyſicè influens, etſi tantùm inſtrumentalis, debet ſaltem virtualiter continere perfectiones ſuorum effectuum, (in hoc enim agens diſtinguitur à patiente, quòd patiens ut ſic, continetur tantùm potentiâ rem recipiendam, agens autem contineat actu rem producendam :) proindeque quò aliqua cauſa efficiens phyſicè influens, etſi tantùm inſtrumentalis, plures effectus heterogeneos attingere poteſt, eò perfectior eſt: Atqui ſi creatura poſſet elevari ad quodlibet producendum, tot effectus heterogeneos poſſet producere; ut nulla eſſet poſſibilis cauſa, quæ plus producere poſſet : Ergo tam perfecta foret, ut nulla poſſet dari perfectior.

Dices primò. Creatura illa eſſet minùs perfecta,

fecta, quàm omnes creaturæ poſſibiles ſimul: Ergo non eſſet infinitè perfecta. Probatur antecedens. Cauſa inſtrumentalis eſt minùs perfecta ſuo effectu: Atqui illa creatura eſſet tantùm cauſa inſtrumentalis omnium creaturarum poſſibilium: Ergo eſſet illis minùs perfecta.

Nego antecedens: ad cujus probationem diſtinguo majorem. Cauſa inſtrumentalis eſt minùs perfecta ſuo effectu, ſi de ratione illius cauſæ inſtrumentalis non ſit, quòd ſit infinita, concedo: ſecus, nego. Ad rationem autem cauſæ omnium creaturarum inſtrumentaliter productivæ requireretur infinita perfectio propter rationem ſuperiorem; nimirùm quia eò perfectius eſt inſtrumentum, quò ad plures effectus heterogeneos poteſt elevari: ut patet ex omnipotentia divina, quæ infinita eſt, cùm tamen omnipotentia divina, prout condiſtinguitur à deïtate, ſit tantùm inſtrumentum Dei; tum quia de ratione potentiæ eſt, ut ſit virtus & inſtrumentum ſubſtantiæ, cujus eſt potentia; tum quia omnipotentia divina vocatur in ſcripturis manus Dei; Iſaiæ cap. 59. *Non eſt abbreviata manus Domini:* dextera & brachium Dei, Pſalmo 97. *Salvavit ſibi dextera ejus: & brachium ſanctum ejus*; Quibus phraſibus ſatis innuitur quòd omnipotentia ſit tantùm inſtrumentum Dei.

Dices ſecundò. Etſi intellectus creatus poſſit attingere omne intelligible, non ſequitur eum eſſe infinitum in ratione intellectûs: Ergo à pari, etſi potentia creata poſ-

ſet attingere omne producibile, non ſequeretur illam eſſe infinitam in ratione potentiæ.

Nego paritatem; alioqui ſic liceret concludere: Etſi intellectus creatus poſſit attingere principaliter omne intelligibile, non ſequitur eum eſſe infinitum in ratione intellectûs. Ergo à pari, etſi potentia creata poſſet attingere principaliter omne producibile, non ſequeretur illam eſſe infinitam in ratione potentiæ. Item, etſi intellectus creatus poſſit attingere naturaliter omne intelligibile, non ſequitur illum eſſe infinitum in ratione intellectûs: Ergo à pari, etſi potentia creata poſſet attingere naturaliter omne producibile, non ſequeretur illam eſſe infinitam in ratione potentiæ. Quas tamen conſequentias non admitterent adverſarii. Ratio ergo diſparitatis eſt, quòd potentia productiva debeat continere perfectiones ſuorum effectuum; at potentia cognoſcitiva non debeat continere perfectiones ſuorum objectorum, ſed tantùm ſuarum actionum: v. g. intellectus ſuarum intellectionum. Ut ergo intellectus foret infinitus in genere intellectûs, oporteret ut poſſet attingere vel unam intellectionem infinitam, qualis eſt ſolus intellectus divinus, vel omnes intellectiones poſſibiles: At nullus eſt poſſibilis talis intellectus creatus. Nam ſicut, licèt omnes ſenſus conveniant in eo quòd ſint ſenſitivi, unus tamen ſenſus non poteſt attingere modum alterius ſpecie diverſi: Ita à pari, licet omnes intellectus conveniant in eo quòd ſint intellectivi; unus tamen in-

tellectus creatus non poteſt attingere modum alterius proprium, ut patet ex eo quòd ne quidem divinitùs poſſit Angelus raciocinari dependenter à ſenſationibus & phantaſmatibus.

Inſtabis. Omnes intellectus creati conveniunt in eo quòd per elevationem poſſint attingere viſionem Dei : Ergo per elevationem quaſlibet intellectiones attingere poſſunt.

Nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quòd viſio beatifica conveniat intellectui ſecundùm gradum genericum intellectûs, proindéque convenire poſſit cuilibet intellectui : at ſinguli intellectus ſpecie diverſi habent modum intelligendi ſpecie diverſum, ſibi prorſus proprium & aliis incommunicabilem.

Probatur tertiò. Si creatura poſſet obedientialiter attingere quoſlibet effectus, maximè ut cauſa inſtrumentalis Dei, ut fatentur adverſarii : (nam cauſa princeps debet agere propriâ virtute ; creatura autem non habet propriam virtutem circa objectum, aut effectum, reſpectu cujus nullam habet proportionem, ut ſatis patet.) Atqui creatura ut cauſa inſtrumentalis Dei non poteſt attingere quoſlibet effectus, ſed eos tantùm, ad quos habet potentiam quamdam incompletam ſecundùm ſe: (quia, ut doctè ratiocinatur ſanctus Thomas, 1. parte, quæſt. 45. art. 5. ut probet eſſe impoſſibile ullam creaturam obedientialiter creare ; *cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitivè operatur ad effectum principalis agentis,*

Si enim nihil ibi ageret ſecundùm illud quod eſt ſibi proprium, fruſtrà adhiberetur ad agendum; nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum: Sic enim videmus quòd ſecuris ſcindendo lignum: quod habet ex proprietate ſuæ formæ, producit formam ſcamni, quæ eſt effectus proprius principalis agentis. Ergo creatura obedientialiter quemlibet effectum attingere nequit.

Probatur quartò. Si Deus poſſet elevare quodlibet ad quodlibet: v. g. ſi poſſet elevare muſcam ad Angeli productionem; vel hoc faceret ſine ulla nova virtute muſcæ ſuperaddita, vel per virtutem muſcæ ſuperadditam. Non primum, nam ſi produceretur Angelus ſine ulla virtute muſcæ ſuperaddita, non foret muſca quæ produceret Angelum, ſed Deum ad præſentiam muſcæ; ſicut in generatione humana. Deus producit animam ad præſentiam parentum. Non etiam ſecundum, nam ſi Deus elevaret muſcam ad producendum Angelum per virtutem muſcæ de novo ſuperadditam, non foret muſca quæ produceret Angelum, ſed Deus per illam qualitatem: non enim poteſt agere creatura per qualitatem ſibi ab extrinſeco influxam, niſi ex ſe habeat aliquam inchoationem concurrendi cum illâ virtute. V. g. in naturalibus, quia ſenſus habent virtutem concurrendi ad ſenſationes, benè concipitur quòd per ſpecies intentionales ab extrinſeco acceptas juventur ad attingendas ſenſationes: Quia verò aqua nullam habet virtutem calefaciendi; etſi calefacta ſit ab extrinſeco,

nullus Philoſophus dicet aquam propriè calefacere; ſed calorem, qui eſt in aqua, ut *quo*: & agens, à quo productus eſt iſte calor, ut *quod*. Ita à pari in ſupernaturalibus, ex eo quòd intellectus, v. g. habeat virtutem quamdam inchoatam videndi Deum, bene concipitur, quòd per lumen gloriæ à Deo acceptum elevetur ad videndum Deum; ſed quia muſca ex ſe nullam habet virtutem producendi Angelum: etſi (per impoſſibile) Deus muſcæ qualitatem Angeli productivam infunderet, non foret muſca quæ produceret Angelum, ſed ſolus Deus per illam qualitatem.

Probatur ultimò. Non magis Deus poteſt elevare rem de ſe non potentem ad agendum, quàm rem non exiſtentem: nam exiſtentia eſt tantùm conditio ſine qua non reſpectu operationis; potentia verò eſt principium *quo* operationis: Atqui Deus non poteſt elevare rem non exiſtentem ad agendum, ut omnes fatentur: Ergo nec rem non potentem.

Dices. Licèt Deus non poſſit elevare rem non exiſtentem, remanendo non exiſtentem; poteſt tamen elevare rem non exiſtentem illi largiendo exiſtentiam: Ergo à pari, licèt Deus non poſſit elevare rem non potentem, remanendo non potentem, poteſt tamen eam elevare dando illi potentiam.

Contra. Deus rei non exiſtenti non poteſt dare aliam exiſtentiam, quàm ſuam propriam & naturalem: v. g. corpori non exiſtenti non poteſt dare aliam exiſtentiam, quam exiſtentiam corporis, non autem

exiſtentiam ſpiritûs : Ergo à pari , Deus rei non potenti , non poteſt dare aliam potentiam , quàm ſuam propriam & naturalem ; v. g. Corpori non potenti non poteſt dare aliam potentiam , quàm productivam alicujus effectûs corporei , non autem ſpiritalis.

Confirmatur primò. Creatura quæ nullo modó activa eſt , qualis eſt materia prima, elevari non poteſt ad agendum ; nec ea , quæ nullomodo paſſiva eſt , qualis operatio , ad recipiendum : Ergo elevabilitas ſupponit aliquam inchoationem in creaturâ ad effectum : Si enim elevabilitas ad agendum in genere ſupponit aliquam inchoationem ; elevabilitas ad talem effectum ſupponit inchoationem ad talem effectum. Et certè ſi verum eſt Angelum , v. g. nullius ſubſtantiæ ex ſe eſſe productivum ; concipi , non poteſt quomodo Deus eo utatur ad producendam muſcam ; ſed tantùm quòd ad ejus præſentiam producet muſcam : Par enim eſt repugnantia Deum uti phyſicè creaturâ non potente, ac creaturâ non exiſtente.

Confirmatur ſecundò. Si potentia obedientialis non exigeret aliquam inchoationem in creatura , materia prima haberet potentiam obedientialem ad eductionem paſſivam animarum rationalium : Falſum conſequens ; (alioquin Deus non crearet animas rationales , ſed eas educeret dependenter à materiâ ; ſicut educit habitus ſupernaturales dependenter à creatura intellectuali : quia non ſolet Deus per ſe ſolum præſtare peractâ

primâ geneſi Univerſi, quod poteſt per creaturam:) Ergo & antecedens.

Objicies primò. Nihil eſt denegandum Deo quod manifeſtam non involvat contradictionem: Atqui Deum producere creaturas tali potentiâ obedientiali præditas, non involvit manifeſtam contradictionem: Ergo non debemus id ipſi denegare.

Primò, retorqueo Argumentum. Non involvit manifeſtam contradictionem Deum produxiſſe creaturas tantâ potentiâ obedientiali deſtitutas: Ergo non debemus id ipſi denegare.

Secundò. Negari poteſt major, in rebus enim probabilibus ſequi debemus quod probabilius nobis videtur: At licet manifeſtam contradictionem afferre non poſſemus in opinione adverſariorum; poteſt fieri, ut probabilius nobis videretur, in illa contradictionem eſſe, quam non eſſe.

Tertiò. Nego minorem, manifeſtum enim eſt conciliari non poſſe potentiam obedientialem infinitam, cum creatura finita; creaturam ex ſe virtutem non habentem, nequidem incompletam ad agendum aut recipiendum, cum creaturâ actu agente aut recipiente.

Objicies ſecundò. Humanitas Chriſti non habet vim inchoatam ad patranda miracula: Sed humanitas Chriſti obedientialiter patrabat miracula, v. g. ſanabat ægrotos, reſuſcitabat mortuos, &c. Ergo potentia obedientialis non ſupponit vim inchoatam.

Diſtinguo minorem. Humanitas Chriſti

patrabat miracula moraliter; hoc eſt divinitas ad ejus partitionem & nutum, patrabat miracula, concedo: patrabat activè & phyſicè, nego. Et certè eodem modo philoſophari debemus, quantùm fieri poteſt, de omnibus miraculis Chriſti non enim ſunt multiplicandæ difficultates ſine neceſſitate: Atqui adverſarii tenentur fateri humanitatem Chriſti multa miracula moraliter tantùm patraſſe, ut cùm Matthæi c. 8. ſanavit puerum Centurionis abſentem; & Joannis c. 4. filium Reguli etiam abſentem. Hinc graviſſimi Patres explicant miracula, quæ etiam patrabat præſens, per cauſalitatem humanitatis moralem duntaxat. Audi ſanctum Athanaſium oratione 4. contra Arianos circa medium, ſic loquentem de ſanatione ſocrûs ſancti Petri, Matthæi c. 8. & de reſtitutione viſionis, Joannis c. 9. *Humano modo manum extendit, divinitas autem morbum compeſcuit; humanum fuit è carne emiſiſſe ſputum, divinitas autem oculos aperuit.* Audi ſanctum Damaſcenum in fine libri, *Quomodo ad imaginem Dei facti ſumus*, ſic explicantem reſurrectionem filiæ Archiſynagogi Marci c. 5. *Finis humanæ actionis in extenſione & tactu poſitus erat, divinæ autem naturæ in excitatione puellæ.* Similia habet l. 3. de Fide, c. 15. circa medium. Hinc etiam Pſaltes Pſalmo 71. ſic canit: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.*

Inſtabis. Scripturæ & Patres vocant Chriſti humanitatem, inſtrumentum Dei; hinc, Iſaiæ

c. 52.

cap. 52. & 53. vocatur brachium Domini ; & ſanctus Damaſcenus loco citato vocat humanitatem Chriſti adjutricem & ſociam divinitatis. Atqui inſtrumentum agit phyſicè: Ergo humanitas Chriſti erat cauſa phyſica miraculorum.

Diſtinguo majorem Scripturæ & Patres vocant humanitatem Chriſti inſtrumentum Dei morale & meritoriè influens, concedo: inſtrumentum phyſicum & phyſicè influens, nego. Idem dicendum eſt in noſtris principiis de productione gratiæ per Sacramenta.

Objicies tertiò. Humanitas Chriſti Domini elevata eſt ad unionem hypoſtaticam cum Verbo divino: Ergo quodlibet poteſt elevari ad quodlibet.

Diſtinguo conſequens. Quodlibet poteſt elevari ad quodlibet, ad quod habet aptitudinem quandam inchoatam, concedo: ad quod nullam habet aptitudinem inchoatam, nego: At humanitas ex ſe habet aptitudinem quamdam inchoatam ad unionem hypoſtaticam cum Verbo divino; cùm humanitatis terminabilis ſit, Verbum autem divinum terminativum; de ratione enim ſubſtantiæ creatæ ut potè finitæ, eſt poſſe ab altiori naturâ terminari & compleri.

Inſtabis. Minor eſt proportio humanitatis ad Verbum divinum, quàm materiæ ad accidens ſpiritale: Ergo ſi humanitas poſſit elevari ad unionem hypoſtaticam cum Verbo divino, poteſt & materia ad receptio-

nem accidentis ſpiritalis, & proinde quodlibet ad quodlibet.

Diſtinguo antecedens. Minor eſt proportio entitatis, humanitatis ad Verbum divinum, quàm materiæ ad accidens ſpiritale, concedo: minor eſt proportio unibilitatis, nego: ex minori enim proportione entitatis non debet colligi minor proportio unibilitatis: nam inter materiam & formam, minor eſt proportio entitatis, quàm inter duas formas; nec tamen minor eſt proportio unibilitatis, ut ſatis patet. Quod autem ſit quædam proportio, ſaltem incompleta, unibilitatis naturæ humanæ ad Verbum divinum; jàm diximus, quia ipſa terminabilis eſt, Verbum autem divinum terminativum: At nulla eſt proportio unibilitatis inter materiam & accidens ſpiritale; quia accidens eſt tantùm unibile inhæſivè, ut effectus ſuæ cauſæ materiali: at materia non poteſt eſſe cauſa materialis accidentis ſpiritalis, cùm accidens ſpiritale in ejus virtute non contineatur.

Objicies quartò. Abſolutum Dei dominium poſtulat ut uti poſſit quolibet ad quodlibet: Ergo admittenda eſt potentia obedientialis in qualibet creatura ad quemlibet effectum.

Diſtinguo antecedens. Abſolutum Dei dominium poſtulat ut uti poſſit quolibet ad quodlibet, creaturæ poſſibile; concedo: ſecus, nego: dominium enim Dei abſolutum eſt, etſi uti non poſſit creaturâ ad id quod non continetur intra limites creaturæ; ſic abſolutum Deus habet dominium in materiam primam & in animam rationalem, etſi nec

materiâ uti poſſit ad productionem Angeli, nec animâ rationali ad intrinſecam compoſitionem equi.

Objicies ultimò. Non eſt limitanda Dei omnipotentia ut potè infinita: Atqui ſententia limitans potentiam obedientialem, limitat potentiam Dei: Ergo non eſt admittenda.

Nego minorem; ſententia enim limitans potentiam obedientialem, nihil tollit Deo, ſed creaturæ, cui, ut potè finitæ, infinitam potentiam obedientialem jure denegat: quod enim Deus non poſſit uti quolibet ad quodlibet, non venit ex defectu virtutis in Deo; ſed ex limitatione & finitudine omnis virtutis creatæ: ſic, quod non poſſit uti animâ rationali ad intrinſecam compoſitionem equi, non venit ex quadam impotentia Dei; ſed ex determinatione eſſentiali animæ rationalis ad ſolam ſpeciem humanam conſtituendam.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus Potentiæ obedientialis.

DUæ ſunt affectiones potentiæ obedientialis, ſcilicet ejus vis ſeu energia, & ejus complebilitas ſeu elevabilitas: cùm enim potentia obedientialis de ſe ſit incompleta, compleri debet, antequàm redigatur ad actum; cauſa enim incompleta, ut ſic, cauſare non poteſt; aliàs non eſſet incompleta contra hypotheſim.

De energia potentiæ obedientialis dictum

eſt articulo ſuperiori, ubi diximus de ejus extenſione.

Unde hîc tantùm agendum eſt de complebilitate potentiæ obedientialis.

Potentia aliqua compleri poteſt dupliciter ſcilicet intrinſecè, & extrinſecè. Tunc completur intrinſecè, quando completur per aliquam qualitatem ſibi ſuperadditam; tunc verò completur extrinſecè, quando completur per concurſum alterius agentis. Sic concipi poteſt dupliciter potentiam motivam Samſonis, v. g. à Deo fuiſſe completam ad patrandos ſtupendos illos effectus, qui leguntur in libro Judicum à capite 14. Primò intrinſecè, ſi Deus corroborativam quandam qualitatem ipſi indiderit: ſecundò extrinſecè, ſi Deus nihil indiderit Samſoni, ſed tantùm ad conatum ejus uberiori quodam concurſu concurrerit.

PRIMA CONCLUSIO.

Potentia obedientialis paſſiva non completur intrinſecè.

PRobatur. Si potentia paſſiva obedientialis intrinſecè compleretur; vel per qualitatem naturalem, vel per ſupernaturalem. Non per qualitatem naturalem, quia quælibet qualitas naturalis tam impar eſt formæ ſupernaturali recipiendæ, quàm ipſa potentia naturalis. Non etiam per qualitatem ſuper-

pletur intrinſecè, ſed extrinſecè duntaxat, per uberiorem ſcilicet Dei concurſum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Potentia obedientialis activa compleri ſolet intrinſecè.

EST omnium ferè Theologorum, qui admittunt intellectum compleri ad videndum Deum per habitum luminis gloriæ; voluntatem elevari ad amandum Deum per habitum charitatis, &c. Et ratio eſt quia potentia intrinſecè completa connaturaliùs agit, quàm ſi extrinſecè tantùm compleretur. Deus autem diſponit omnia ſuaviter, ex Sapientiæ cap. 8.

Dices. Potentia obedientialis paſſiva non completur intrinſecè: Ergo nec activa.

Nego paritatem, quia (ut aiunt vulgò) plura ad agendum requiruntur, quàm ad patiendum. Ratio diſparitatis eſt, quòd agens debeat aliquo modo actu præcontinere quod eſt acturum; non autem patiens. Verbi gratiâ, ut aliquid calefaciat, debet priùs aliquo modo non eſſe calidum actu; ut autem calefiat, non item. Ita à pari, ut aliquid producat aliquid ſupernaturale, opus eſt ut priùs reddatur aliquo modo ſupernaturale; ut recipiat autem aliquid ſupernaturale, non item.

Quanquam potentia obedientialis activa poſſet abſolutè compleri extrinſecè tantùm per uberiorem Dei concurſum, ut communiter docent Theologi, tractatu de Attributis,

ubi vulgò defendunt Deum poſſe ſupplere lumen gloriæ reſpectu intellectus beati per uberiorem quemdam concurſum; & rationem afferunt, quia Deus poteſt ſupplere concurſum cujuſcunque cauſæ efficientis non vitalis, qualis eſt habitus luminis gloriæ.

CAPUT ULTIMUM.

De diviſione Potentiæ obedientialis.

POtentia obedientialis (ut diximus) dividitur in activam, quæ ad aliquid agendum; & in paſſivam, quæ ad aliquid recipiendum ſupra nativas vires elevari poteſt.

Utraque ſubdividi poteſt in potentiam obedientialem in ordine ad ſubſtantiam effectus, quæ ſcilicet elevari poteſt ad actum entitativè ſupernaturalem; qualis eſt potentia intellectûs creati reſpectu viſionis beatificæ & humanitatis Chriſti reſpectu unionis hypoſtaticæ; & in potentiam obedientialem in ordine ad modum tantùm, quæ ſcilicet elevari poteſt ad effectum entitativè naturalem, ſed producendum modo non naturali; qualis eſt potentia ignis ad introducendam formam ignis in materiam indiſpoſitam, & potentia materiæ indiſpoſitæ ad eandem recipiendam.

Potentia obedientialis activa ſubdividitur in vitalem, qualis eſt potentia intellectûs creati ad videndum Deum; & non vitalem, qualis eſt potentia ignis ad lon... quàm poſſi...

Potentia obedientialis vitalis ſubdividitur in ſpiritalem, qualis eſt potentia creaturæ intellectualis ad actus theologicos; & in corpoream, qualis eſt potentia oculi ad videndum corpus Chriſti glorioſum.

Potentia obedientialis paſſiva ſubdividitur in eductivam, qualis eſt potentia creaturæ intellectualis ad receptionem gratiæ ſanctificantis; & in merè receptivam, qualis eſt potentia humanitatis Chriſti ad recipiendam hypoſtaticè ſecundam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis.

DISSERTATIO POSTERIOR.

De Potentia objectiva.

Potentia objectiva ſic dicitur, quia per eam res nihil aliud habet, quàm quòd eſſe poſſit objectum alicujus potentiæ productivæ: Hinc.

Definitur mera rei poſſibilitas: Unde Deus etſi poſſibilis ſit: cùm ſit de facto, & ab actu ad poſſe valeat conſequentia; non tamen habet poſſibilitatem meram, hoc eſt actuali exiſtentiâ privatam, aut etiam privabilem.

Poſſibilitas ergo latiùs patet, quàm potentia objectiva.

Lis eſt inter Philoſophos, unde repetenda ſit entis poſſibilitas. Aliqui volunt eam repetendam eſſe ab omnipotentia Dei; aſſerentes ideò aliquid eſſe poſſibile, quia Deus illud producere poteſt. Alii contendunt il-

lam repetendam eſſe ex non-repugnantia rei nimirùm ideò rem eſſe poſſibilem, quia ex ejus exiſtentiâ nulla ſequeretur contradictio. Alii denique ex utroque capite poſſibilitatem repetunt; quibuſcum ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

Poſſibilitas entis in genere ab omnipotentiâ non eſt repetenda, ſed à non-repugnantiâ.

PRobatur Poſſibilitas entis in genere repetenda eſt ab aliquo omni poſſibili conveniente: Atqui producibilitas ab omnipotentia divina non eſt ejuſmodi; Deus enim poſſibilis eſt, nec tamen produci poteſt ab omnipotentia: talis autem eſt non-repugnantia, ut ſatis patet: Ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Poſſibilitas creaturæ, ut ſic, ab omnipotentiâ repetenda eſt.

PRobatur. Ab eo repetenda eſt poſſibilitas creaturæ, ut ſic, à quo habet creatura ut ſit poſſibilis in ratione creaturæ: Atqui hoc habet in quantum reſpicit omnipotentiam divinam, à qua creari poteſt: Ergo, &c.

Hinc duplex poſſibilitas in creatura diſtinguenda eſt. Una intrinſeca & abſoluta, à quâ creatura habet in ſe ut ſit poſſibil[illegible]
ne en[illegible]

ratione creaturæ, ſeu ut ſit creabilis; & hæc repetitur ab omnipotentia Dei.

Quæritur autem ex utro capite poſſibilitas creaturæ primariò ſit repetenda.

TERTIA CONCLUSIO.

Primaria creaturæ poſſibilitas non ab omnipotentiâ, ſed à non-repugnantiâ repetenda eſt.

PRobatur primò authoritate Gabriëlis Archangeli; qui Lucæ cap.2. poſſibilitatem Virginis Matris explicat per negationem repugnantiæ, dicens, *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, hoc eſt, omne quod concipi poteſt: *Id enim quod contradictionem implicat, verbum eſſe non poteſt, quia nullus intellectus poteſt illud concipere*, inquit S. Thomas 1. parte, quæſt.25. art.3.

Probatur ſecundò authoritate Philoſophi l. 9. Metaphyſ. c. 3. ubi ſic definit poſſibile: Eſt iſtud, cui ſi inſit actus ejus, cujus dicitur habere potentiam, nihil erit impoſſibile, v.g. poſſibile eſt ſedere, quia ſi extiterit ipſum ſedere, nihil ſequetur impoſſibile: Ex quâ definitione manavit hoc effatum: *Poſſibili poſito in actu, nihil ſequitur abſurdi.*

Probatur tertiò authoritate ſancti Thomæ loco citato, ubi ſic habet, *Dicitur aliquid poſſibile vel impoſſibile abſolutè ex habitudine terminorum: Poſſibile quidem abſolutè, quia prædicatum non repugnat ſubjecto, ut*

Socratem ſedere ; impoſſibile verò abſolutè, quia prædicatum repugnat ſubjecto, ut hominem eſſe aſinum.

Probatur ultimò rationibus, quarum.

Prima eſt. Si res ideò primariò foret poſſibilis, quia Deus poſſet illam producere ; ideò aliquid eſſet impoſſibile, quia Deus illud producere non poſſet : namque ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt quoque cauſa negationis, inquit Philoſophus, l. 1. Poſteriorum Analytic. cap. 1. At conſequens dici non debet, namque de impoſſibilibus *convenientiùs dicitur quòd ea non poſſunt fieri, quàm quòd Deus ea non poſſit facere ;* ex ſancto Thoma loco citato : Ergo nec antecedens.

Secunda eſt, quòd per ſententiam adverſariorum explicari non poſſit, cur Deus producere poſſit montem aureum, v. g. non autem montem ſine valle ; quod optimè explicatur per noſtram.

Ultima eſt, quia per contrariam ſententiam explicari non poteſt cur Deus ſit omnipotens ; tum quia etſi (per impoſſibile) longè pauciora poſſet Deus, adhuc in illâ ſententiâ foret omnipotens ; quia poſſet adhuc omnia quæ forent objectum ſuæ potentiæ : tum quia illa ſententia explicat divinam potentiam per circulum, ut ait S. Thomas loco citato, his

... quitur igitur quod Deus dicatur omnipotens, quia poteſt omnia poſſibilia abſolutè.

Confirmatur. Deus dicitur poſſe producere quidquid non repugnat; Ergo prius ratione eſt, aliquid non repugnare, quàm Deum poſſe illud producere. Enimverò dum ſcrutantur Philoſophi utrùm aliquid poſſibile ſit, v. g. utrùm poſſibilis creatura infinita, necne? non reſpiciunt ad omnipotentiam Dei, ſed ad rem ipſam, inquirendò utrùm in ea aliquid contradictionis appareat, nec-ne?

Objicies primò. Omne poſſibile eſt ab aliquo poſſibile, ſcilicet à cauſa: Ergo poſſibilitas repetitur à cauſa proindéque à Deo.

Diſtinguo antecedens. Omne poſſibile reſpectivè eſt ab aliquo poſſibile, concedo; omne poſſibile abſolutè, & ſecundùm ſe, nego; Nam (ut optimè ſcripſit ſanctus Thomas articulo citato ad quartum) *Poſſibile abſolutum non dicitur neque ſecundùm cauſas ſuperiores, neque ſecundùm cauſas inferiores, ſed ſecundùm ſeipſum.* Poſſibilitas autem abſoluta prior eſt relativâ..cùm id, quod ex intimis rei viſceribus petitur; prius ſit, quàm quod petitur per ordinem ad intrinſecum.

Objicies ſecundò. Omnis perfectio venit à Deo: Atqui poſſibilitas eſt perfectio: Ergo venit à Deo.

Diſtinguo majorem. Si ſit perfectio actualis & poſitiva, concedo: ſi potentialis & negativa, nego: At poſſibilitas eſt tantùm potentialis & negativa quædam perfectio.

Objicies ultimò. Vel ideo creatura eſt poſ-

ſibilis, quia Deus poteſt eam producere; vel ideò poteſt eam Deus producere, quia eſt poſſibilis: Poſterius dici non debet, alioqui potentia Dei penderet à creatura: Ergo dici debet prius.

Nego minorem, cujus probationem diſtinguo; Potentia Dei penderet à creatura, dependentiâ connexionis, concedo; dependentiâ cauſalitatis, nego: dependentia autem connexionis nullam involvit imperfectionem, cùm inter perſonas ſanctiſſimæ Triados reperiatur.

SECTIO SECUNDA.

De Eſſentia & Exiſtentia.

Eſſentia ſic vocatur, quia eſt fundamentum eſſendi, propter quod etiam vocatur eſſe. Dicitur etiam *natura*, quia eſt principium operandi. Dicitur *quidditas*, quia per eam reſpondetur ad quæſtionem *quid* res ſit. Dicitur *conceptus objectivus* ſeu *ratio rei*, quia eſt id quod primum in re eſt, & concipitur. Dicitur *præciſa rei entitas*, quia cæteris præciſis rem conſtituit. Dicitur *forma*, non quidem partialis & phyſica, qualis eſt anima in homine; ſed *totalis & metaphyſica*, qualitas & humanitas in eodem homine, deitas in Deo.

Exiſtentia ſic dicitur, quia eſt id per quod res exiſtit.

Eſſentia definitur, Id per quod res eſt id quod eſt; id per ...

radix cæterorum ; radix omnium proprietatum & operationum ; id quod reſpondetur ad queſtionem factam per *quid?* Unde lib.7. Metaph. c.4. dicitur ab Ariſtotele τὸ τί ἦν εἶναι, *quod quid erat eſſe*, id eſt, ex eodem, ibidem, *Id quod unumquodque ſecundùm ſe dicitur.*

Exiſtentia definitur ; Id per quod res eſt ; id per quod res habet ùt ſit ; id quo res eſt extra nihil ; id quod reſpondetur ad quæſtionem factam per *an?* Unde dicitur à Philoſopho loco citato τὸ τί ἐστι, *quod quid eſt.*

Exiſtentia verò creata definitur, id per quod res eſt extra cauſas. Quippe effectus omnis antequam exiſtat continetur potentiâ in cauſis : ſicut roſa hyeme continetur in roſario : per exiſtentiam autem habet quod ſit extra ſuas cauſas, non quidem neceſſariò localiter : ſed entitativè.

Duæ hîc ſunt quæſtiones examinandæ. Prima, quomodo eſſentia & exiſtentia diſtinguantur in creatis. Secunda, an eſſentiæ creatæ univerſales, ſint ab æterno.

QUÆSTIO PRIOR.

Quomodo diſtinguantur Eſſentia & Exiſtentia in creatis.

Dixi in creatis ; nam de diſtinctione eſſentiæ Dei ab ejus exiſtentia agetur ultima parte Metaphyſices.

PRIMA CONCLUSIO.

Eſſentia & Exiſtentia non diſtinguuntur realiter.

EST Philoſophi l.7. Metaphyſ. cap.6. Probatur. Illa non diſtinguuntur realiter in creatis, quorum unum non poteſt eſſe ſine altero: Atqui eſſentia non poteſt eſſe ſine exiſtentia; alioquin eſſet & non eſſet. Eſſet ex hypotheſi: non eſſet verò, quia ſuâ deſtitueretur exiſtentiâ. Ergo, &c.

Nec dicas eſſe & exiſtere differre; nam licet τὸ eſſe in propoſitione de tertio adjacente non ſignificet exiſtentiam; eam tamen ſignificat in propoſitione de ſecundo adjacente, ut communiter docent Dialectici.

Objicies primò. Neceſſarium & contingens diſtinguuntur realiter: Atqui in creatis eſſentia eſt neceſſaria, exiſtentia contingens: Ergo diſtinguuntur realiter.

Diſtinguo majorem. Si ſermo ſit de neceſſario abſolutè, concedo: ſi de neceſſario hypotheticè, nego. Nihil enim prohibet eandem rem eſſe ſimul contingentem abſolutè & neceſſariam hypotheticè: At eſſentiæ creatæ ſunt tantùm neceſſariæ hypotheticè propoſitiones enim omnes, quæ de illis fiunt, veræ tantùm ſunt in ſenſu hypothetico.

Obiicies ſecundò. Potentia & actus, ſub-

nego. Eſſentia verò eſt tantùm ſubjectum metaphyſicum, & potentia metaphyſica reſpectu exiſtentiæ.

Objicies tertiò. Si exiſtentia creaturæ non diſtingueretur ab ipsâ creaturâ, creatura eſſet ſuum eſſe: Falſum conſequens, quia hic titulus ſoli Deo competit, qui proinde in Exodo dicit, *Ego ſum qui ſum*: Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Creatura eſſet ſuum eſſe, identicè, concedo: formaliter, nego: In hoc ergo differunt eſſe Dei & creaturæ; quia illud eſt Deo eſſentiale, hoc verò creaturæ contingens & accidentale.

SECUNDA CONCLUSIO.

Eſſentia & Exiſtentia in creatis diſtinguuntur ratione ratiocinatâ.

Probatur primò. Quæ habent diverſas definitiones, diverſoſque conceptus, diſtinguuntur ratione ratiocinatâ: Atqui eſſentia & exiſtentia ſunt ejuſmodi: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Quoties duo ita ſe habent, ut unum concipiatur in potentia ad aliud, toties diſtinguuntur ratione raciocinatâ (nihil enim concipi poteſt in potentia ad ſeipſum:) Atqui eſſentia creata tota concipitur in potentia ad exiſtentiam, cùm tota concipiatur merè poſſibilis, & in hoc differat ab eſſentia Dei: Ergo in creatis eſſentia & exiſtentia diſtinguuntur ratione ratiocinatâ.

Objicies. Non poteſt concipi eſſentia creata ſine exiſtentiâ : Ergo non diſtinguuntur ratione ratiocinatâ.

Diſtinguo antecedens. Non poteſt concipi eſſentia creata ſine exiſtentiâ connotatâ, concedo : incluſâ, nego. Adde quòd etſi eſſentia non poſſet concipi ſine exiſtentiâ incluſâ, non propterea mentaliter identificaretur cum exiſtentia ; quippe non poteſt concipi humanitas ſine rationalitate etiam intrinſecè incluſâ ; & tamen humanitas diſtinguitur ratione inadæquatâ à rationalitate.

QUÆSTIO POSTERIOR.

An Eſſentiæ univerſales, ſint ab æterno.

STatus quæſtionis eſt, an eſſentiæ creatæ univerſales, ſint ante ſingularia, ſeu ante exiſtentias, ſeu ab æterno, v. g. utrùm humanitas ſit ante quodlibet individuum humanum, ante quamlibet exiſtentiam humanam, ab æterno.

CONCLUSIO.

Eſſentiæ creatæ non ſunt ab æterno.

PRobatur primò. Si eſſentiæ creatæ eſſent ab æterno ; Deus nihil poſſet creare in tempore. Falſum conſequens, ut docet fides, Geneſeos primo : *In principio creavit Deus cœlum & terram* : Ergo & antecedens. Probatur ſequela majoris. Creare ...

omnia produceret ex eſſentiis præcedentibus: Ergo Deus nihil poſſet creare in tempore.

Reſpondent adverſarii creare eſſe producere aliquid ex nihilo exiſtentiæ , non autem ex nihilo eſſentiæ : Deum autem poſſe producere aliquid ex nihilo exiſtentiæ, proindéque poſſe creare.

Contra. Primò, petunt principium : ſecundò, fingunt definitionem creationis, quæ apud nullum authorem reperitur. : tertiò, ſi liceat ſic definitiones immutare , poterit quis dicere quòd equus generans creet animam equi geniti ; namque dicet creare eſſe producere ex nihilo formæ , non autem ex nihilo materiæ , ſicut adverſarii dicunt creare eſſe producere ex nihilo exiſtentiæ, non autem ex nihilo eſſentiæ. Non ſunt convellendæ aut adulterandæ receptiſſimæ definitiones : Creatio definita eſt hactenus, Productio ex nihilo ſimpliciter , id eſt . ex nihilo ſui , & ſubjecti vel quod idem eſt, independenter à ſubjecto ; Atqui ſi eſſentiæ creatæ eſſent ab æterno, Deus nihil producere poſſet ex nihilo , & independenter à ſubjecto ; cùm produceret omnia ex præſuppoſitis eſſentiis, & dependenter ab illis tanquam à ſubjectis exiſtentiarum : Ergo nihil poſſet creare.

Probatur ſecundò. Si eſſentiæ eſſent ab æterno ; vel

Contra priores probatur, eſſentias ab æterno neceſſariò à Deo non effluxiſſe: tum quia iſta opinio non ita quadrat cum Scripturis, quæ dicunt, in principio (ſupple temporum) Deum creaviſſe cœlum & terram; & Deum ad extra liberrimum ſtatuunt: Tum quia ſi eſſentiæ eſſent ab æterno productæ, exiſterent ab æterno (quod tamen nolunt adverſariis;) productio enim terminatur ad exiſtentiam, & definitur, Largitio exiſtentiæ.

Nec juvat quod adverſarii dicunt, eſſentias creatas ab æterno productas eſſe per emanationem: namque emanatio æquè terminatur ad exiſtentiam, ac quælibet actio productiva, ut patet in emanatione proprietatum ab eſſentiis.

Contra poſteriores, probatur, eſſentias ab æterno non eſſe non productas: quia ſi hoc eſſet, eſſentiæ creatæ infinitas haberent perfectiones: Falſum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur major. Independentia radix eſt infinitarum perfectionum, non enim alia de cauſa Deus eſt infinitè perfectus, quàm quia independens eſt: Atqui illæ eſſentiæ ab æterno fuiſſent independentes, cùm non fuiſſent cauſatæ: Ergo infinitas haberent perfectiones. Si enim independentia Dei in exiſtendo, radix eſt infinitarum perfectionum exiſt...

exiſterent ab æterno : Falſum conſequei adverſariis : Ergo & antecedens. Prob major. Eſſe extra nihil , exiſtere : A eſſentiæ ab æterno eſſent extra nihil : exiſterent.

Diſtinguunt adverſarii majorem prob: nis. Eſſe extra nihil exiſtentiæ, eſt exiſ concedunt : eſſe extra nihil eſſentiæ , eſt ſtere , negant : At eſſentiæ ab æterno quiunt) erant quidem extra nihil eſſe non tamen extra nihil exiſtentiæ , nec inde exiſtebant.

Sed & petunt principium , & ſuppor diſtingui , *eſſe* & *exiſtere* , & nugatoriè niunt τὸ exiſtere ; dum enim dicunt , exi re, eſt eſſe extra nihil exiſtentiæ, iden ac ſi dicerent , exiſtere eſt exiſtere.

Probatur ultimò. Si eſſentiæ eſſent ab æ no , maximè quia ab æterno ſunt poſſibi Atqui hæc ratio nulla eſt ; alioquin & ſtentiæ & ſingularitates eſſent ab æte cùm poſſibiles quoque ſunt ab æterno : q tamen nolunt adverſarii.

Reſpondent, diſparem eſſe rationem, eſſentiæ (inquiunt) ſunt poſſibiles ab æte ſubjectivè & per modum potentiæ : exiſ tiæ verò, terminativè & per modum actû:

Verba audiuntur , diſparitas non perc tur ; nimirum , Actus nobilior eſt poten Si ergo quod ...

poteſt uniri: ſicut enim habet ab exiſtentiâ actuali, quòd ſit actualis; ita habet ab exiſtentiâ poſſibili, quòd ſit poſſibilis: Si ergo ipſa exiſtentia propter ſuam poſſibilitatem æternam non ſit ab æterno multò minùs eſſentia.

Rationes adverſariorum in hoc peccant, quòd nimis probent, & proinde nihil; Probant enim exiſtentias & ſingularia fuiſſe ab æterno, ut patebit ex objectionum ſolutione.

Objicies primò. Ex Ariſtotele, eſſentiæ ſunt ab æterno.

Diſtinguo. Simul cum exiſtentiis, concedo: ſine exiſtentiis, nego. Nimirùm Ariſtoteles putabat mundum extitiſſe ab æterno, proindeque ſuſtinere debebat eſſentias fuiſſe ab æterno; nòs contrà.

Objicies ſecundò. Eſſentia humana ab æterno differebat à leoninâ: Ergo erat; prius enim eſt eſſe, quàm differre.

Diſtinguo antecedens. Differebat potentiâ, concedo: actu, nego. Diſtinguo conſequens, Ergo erat poſſibilis, concedo: actualis, nego.

Inſtabis. Natura humana erat perfectior leoninâ.

Diſtinguo. Potentiâ, concedo: actu, nego.

Objicies tertiò. Prædicari ſequitur eſſe; Atqui ab æterno multa erant prædicabilia de

ſenſu hypothetico, ſequitur eſſe, nego. At illæ propoſitiones (Homo eſt animal, eſt rationalis ; &c.) ab æterno erant tantùm veræ in ſenſu hypothetico ; hoc eſt, ſi ſit homo, eſt animal, eſt rationalis, &c.

Objicies ultimò. Objectum omnipotentiæ debet eſſe reale : Atqui eſſentiæ ab æterno erant objectum omnipotentiæ : Ergo erant reales.

Diſtinguo majorem. Objectum omnipotentiæ debet eſſe reale, potentiâ & hypothetice, concedo : actu & abſolutè : nego. Eodem modo diſtinguendum conſequens.

SECTIO TERTIA.

De Natura & Singularitate.

NAtura idem eſt hîc, ac eſſentia & ſpecies completa; unde natura Petri eſt humanitas.

Singularitas eſt id, quo natura ſpecifica ad tale individuum determinatur, v. g. Petreïtas, eſt ſingularitas Petri, quia per eam natura humana determinatur ad Petrum, potius quàm ad alium. Dicitur etiam differentia numerica, quia per eam unum individuum, numero differt ab alio. Dicitur individuatio ; quia individuum conſtituit in eſſe individui. Dicitur ecceïtas & hæ...
quia per eam veluti di...

Nota triplex diſtingui poſſe individuationis principium, ſcilicet manifeſtativum, effectivum & formale.

Principium individuationis manifeſtativum eſt principium cognitionis, quo unum ſingulare ab alio ſecernitur: qualia ſunt accidentia ſenſibilia in rebus corporeis: unde de illo nulla difficultas.

Principium individuationis effectivum eſt illud agens, quod determinat ad talem numero effectum producendum. De quo dicemus tractatu de Cauſis, ſectione de Cauſa efficiente.

Principium individuationis formale, eſt id quod intrinſecè facit, ut Ens ſit hoc numero. Sicut enim principium ſpecificationis illud eſt, quod intrinſecè conſtituit talem ſpeciem; genus de ſe ad multas ſpecies indifferens, ad unam certam determinando: Ita principium individuationis illud eſt, quod intrinſecè conſtituit individuum; ſpeciem de ſe ad multa ſingularia indifferentem, ad unum certum reſtringendo.

De iſto principio individuationis multæ extant opiniones. Quidam enim antiqui pro principio individuationis ſtatuebant, collectionem accidentium. Nominales dicunt res omnes ſe ipſis eſſe formaliter ſingulares. Thomiſtæ plerique volunt principium indi-

eſſe modum quemdam ſuperadditum. Alii denique Philoſophi volunt eſſe gradum metaphyſicum ſpeciei ſuperadditum, eodem modo quo differentia ſpecifica ſuperadditur generi, quibuſcum ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

Principium individuationis non eſt accidentium collectio.

PRobatur primò. Individuum eſt Ens per ſe, cùm collocetur directè in Categoria; Atqui ſi principium individuationis foret accidentium collectio, individuum foret Ens per accidens, ut potè conflatum ex pluribus Entibus completis. Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Si principium individuationis foret accidentium collectio, mutatâ tali collectione, mutaretur individuum; ſicque Petrus ſenior non foret idem individuum ſecum ipſo juniore: Falſum conſequens. Ergo & antecedens.

Probatur tertio. Abſolutè fieri poteſt, ut ſubſtantia ſtet ſine omnibus accidentibus (ſicut in hoſtiâ conſecratâ, accidentia ſunt ſine ullâ ſubſtantiâ) & tamen in tali hypotheſi ſubſtantia foret individua: Ergo individuatio non petitur ab accidentium congerie.

Probatur ultimò. Accidens à Deo ſolitariè conſervatum, foret adhuc individuum, nec ... collectionem: Ergo.

SECUNDA CONCLUSIO.

Res non ſunt per ſe formaliter ſingulares.

HÆc concluſio probata eſt tractatu de Univerſalibus, ubi evicimus contra Nominales, non ſolas voces aut conceptiones eſſe univerſales; ſed etiam naturas ipſas, quæ proinde egent aliquo principio individuationis à ſe ratione ſaltem diſtincto.

TERTIA CONCLUSIO.

Principium individuationis non eſt materia ſignata.

PRobatur primò. Angeli habent principium individuationis, cùm ſint ſingulares: nec tamen habent materiam ſignatam: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Si principium individuationis foret materia ſignata, individuum foret ens per accidens, cùm conſtaret ſubſtantiâ & accidentibus ſignantibus: Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Probatur tertiò. Poſſibile eſt individuum corporeum ſine ullis accidentibus ſignantibus, cùm ſubſtantia ſtare poſſit ſine accidentibus: Ergo, &c.

Probatur ultimò. Non minùs hæc numero

Diſtinguo. Hoc ſenſu quòd cùm agentia naturalia nihil poſſint agere ſine ſubjecto & materiâ, naturaliter non poſſint fieri plura individua ſine materiâ, concedo: hoc ſenſu quòd materia ſola ſit principium intrinſecè determinativum ad tale individuum, nego. Quippe hoc dicit Philoſophus, quia omnis multiplicatio rerum naturalium ſit per diviſionem aut per generationem; neutra autem fieri poteſt ſine materiâ.

Quarta Conclusio.

Principium Individuationis non eſt exiſtentia.

Probatur. Individuum concipi poteſt ſine exiſtentiâ; hoc enim modo jam concipitur Antichriſtus, v. g. Nihil tamen poteſt concipi ſine ſuo principio conſtitutivo: Ergo, &c.

Objicies. Ex axiomate; *Exiſtentia eſt ſingularium.*

Diſtinguo. Hoc eſt, exiſtentia convenit ſolis ſingularibus, concedo: hoc eſt, exiſtentia conſtituit ſingularia in eſſe ſingularium, nego. Sic in alio axiomate, operatio dicitur eſſe ſingularium; nec tamen quiſquam dixerit operati[...] conſtituere ſ[...]

Quinta Conclusio.

Subſiſtentia non eſt principium Individuationis in ſubſtantiâ, nec inhærentia in accidentibus.

PRobatur. Neque humanitas Chriſti propriam habet ſubſiſtentiam, nec accidentia Euchariſtica inhærentiam; & tamen habent eamdem numero individuationem, ac ſi eſſent in alio ſtatu: Ergo, &c.

Sexta Conclusio.

Principium Individuationis non eſt modus ſpeciei ſuperadditus.

PRobatur. Si principium individuationis eſſet modus ſpeciei ſuperadditus, natura quæ eſt in Petro, v. g. poſſet exui petreïtate & poni in Paulo; namque res modificata poteſt ſaltem divinitus exui ſuis modis & novos inducere: Falſum conſequens, aliàs natura ex ſe eſſet à parte rei formaliter univerſalis, cùm una eademque foret realiter apta eſſe in multis; quod tamen refutatum eſt in Logicis: Ergo & antecedens.

Septima Conclusio.

Principium Individuationis in Phyſicis eſt materia ſimul, & forma.

PRobatur. Materia & forma hujus gene-

jus ſpecie corporis : Ergo à pari, materia & forma hæc numero, ſunt principium conſtitutivum hujus numero corporis.

Ultima Conclusio.

Principium Metaphyſicum individuationis in omnibus eſt differentia numerica.

Est Scoti in ſecundum lib. Sent. diſt. 3. quæſt. 6.

Hæc concluſio probata eſt in Logicis ſectione de differentiâ, capite ultimo, ubi docuimus in ſingulis individuis dari differentias numericas & individuales, ipſorum conſtitutivas; ſicut in ſpeciebus dantur differentiæ ſpecificæ, earum conſtitutivæ. Ad quem locum recurre.

SECTIO QUARTA.

De Eſſentiâ & Entitate.

Entitas vel ſumitur propriè pro abſtracto Entis, tuncque ſignificat quamlibet realitatem; vel ſtrictè prout opponitur eſſentiæ, tuncque ſignificat rem in multas partes integrantes diviſibilem. Priori ſenſu Deus & Angeli entitatem habent; poſteriori, non habent. Poſterior acceptio eſt hujus loci.

Ut habeatur notio entitatis hoc modo

tia; quales ſunt materia & forma, in toto phyſico; genus & differentia, in metaphyſico.

Partes integrales ſeu entitativæ illæ ſunt, quarum etſi aliquæ tollerentur, adhuc intelligeretur eſſentia; quales ſunt manus, pedes, &c. in homine.

Res omnes materiales entitate ſunt prædítæ, & pleræque qualitates ſpiritales, eæ ſcilicet quæ ſuſcipiunt magis & minus.

Partes entitativæ, aliæ ſunt extenſivæ, quæ ſcilicet extra ſe invicem ponuntur, ut in ſubſtantiis materialibus; aliæ intenſivæ ſeu graduales, quæ intra ſe invicem in eâdem ſubjecti parte recipiuntur, ut in qualitatibus alterativis.

Quæritur hîc, Utrùm in rebus entitate præditis, eſſentia & entitas diſtinguantur realiter.

CONCLUSIO.

Non diſtinguuntur realiter.

PRobatur. Illa non diſtinguuntur realiter in creatis, quorum unum non poteſt eſſe ſine altero: Atqui eſſentia rei entitatem habentis, non poteſt eſſe ſine entitate: res enim materialis eſſe non poteſt ſine partibus entitativis; aut qualitas alterativa ſine partibus gradualibus, ut ſatis patet. Entitas etiam ſine eſſentiâ eſſe non poteſt: aliàs ... Ens, & non ...

rum unum poteſt augeri, altero non aucto: Atqui in vivente creſcente, augetur in dies entitas, non autem eſſentia: Ergo diſtinguuntur realiter.

Diſtinguo majorem. Si unum poſſit augeri ſecundùm realitatem, altero ſecundùm realitatem non aucto, concedo: Si unum ſecundùm realitatem augeatur, altero formaliter non aucto, nego. Sic augeri poteſt realiter qualitas, ſimilitudine formaliter non auctâ; nec tamen qualitas & ſimilitudo diſtinguuntur realiter, ut docuimus Sectione de Relatione. At quando augetur entitas viventis, augetur etiam realiter ejus eſſentia; non tamen formaliter in eſſe eſſentiæ, ſeu ſecundùm prædicata eſſentialia.

Inſtabis. Eſſentia hominis creſcentis non augetur realiter; augetur verò realiter entitas: Ergo poteſt realiter augeri entitas non auctâ realiter eſſentiâ; ſicque diſtinguuntur realiter.

Diſtinguo. Si una pars eſſentiæ ſit indiviſibilis, & proinde incapax entitatis, eſſentia non augetur ratione illius partis, concedo: ſecus, nego. Sicque tunc entitas totius diſtinguitur realiter inadæquatè ab eſſentia præcisè ſumpta; quod in ſolo homine contingit.

SECTIO ULTIMA.

De Termino & Terminabili.

cap. 17. Extremum uniûſcuiuſque, extra quod nihil eſt accipere, & intra quod ſunt omnia. Vulgò deſcribitur, quod impedit, ne res ulteriùs citeriuſve protendatur.

Res verò terminabilis eſt illud Ens, quod terminum recipere poteſt.

Terminus dividitur primò in internum qui eſt in re ipſa, & externum qui eſt extra rem, ſic ultimus dies anni, eſt ejus terminus internus, quia uſque ad eum *incluſivè* annus extenditur; prior verò dies anni ſubſequentis, externus eſt terminus præcedentis, quia uſque ad eum *excluſivè* annus præcedens extenditur.

Dividitur ſecundò in terminum negativum, qualis eſt mors reſpectu vitæ; & poſitivum, qualis eſt ultimus dies reſpectu vitæ.

Dividitur tertiò in terminum perfectivum, qualis eſt ſubſiſtentia Verbi Dei reſpectu humanitatis aſſumptæ; & corruptivum, qualis eſt mors reſpectu vitæ.

Dividitur denique in tot ſpecies, quot ſunt ordines entium: verbi gratiâ, in ſubſtantialem, qualis eſt ſubſiſtentia; & accidentalem, qualis eſt inhærentia: in ſpiritalem; qualis eſt ſubſiſtentia Angeli; & corporeum, qualis eſt ſubſiſtentia ſaxi: in naturalem, qualis eſt inhærentia caloris; & ſupernaturalem, qualis eſt inhærentia gratiæ: in creatum, qualis eſt ſubſiſtentia creata; & in increatum, quales ſunt ſubſiſt...

poteſt eſſe terminatum dupliciter. Primò, ita ut ejus terminatio quaſdam excludat perfectiones, quomodo eſſentia omnis creata terminatio eſt. Secundò, ita ut ejus terminatio includat & exhauriat quodam modo omnes perfectiones. Primò modo terminari imperfectionem arguit, terminari ſecundo modo infinitam importat perfectionem: Deus ſecundo modo terminatus eſt, non primo.

APPENDIX.

Quæ principia conveniant Enti.

Enti creato competere poſſunt omnia principia tum rei, tum cognitionis, ut ſatis patet. Sed

Quæritur quænam principia conveniant Enti in genere.

PRIMA CONCLUSIO.

Ens in genere non habet principia externa, aut interna phyſica.

PRobatur. Quod convenit ſuperiori convenit omnibus inferioribus: Atqui omnia inferiora entis non habent principia externa aut interna phyſica, ut patet de Deo: Ergo nec ens in genere.

Objicies. Filius & Spiritus Sanctus ſunt Deus: Atqui habent principium externum; namque Filius eſt à Patre, Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedit: Ergo Deus habet principium externum.

Diſtinguo minorem. Filius & Spiritus Sanctus habent principium externum, ratione perſonalitatis, concedo: ratione divinitatis, nego. Adde quòd prima perſona divina ſit Ens, nec tamen agnoſcat ullum principium externum: Ergo omni enti non convenit habere principia externa.

SECUNDA CONCLUSIO.

Ens in communi habet cætera principiorum genera, hoc eſt; tum principia cognitionis complexa & incomplexa; tum principia rei interna metaphyſica.

PRobatur. Quod convenit omnibus inferioribus, convenit ſuperiori: Atqui omnibus inferioribus entis convenit habere ſupradicta principia: Nam ſi quod Ens ea non haberet, maximè Deus: Atqui Deus ea omnia habet. Primò enim habet principia cognitionis complexa, cùm de eo multa per axiomata cognoſcamus. Secundò, habet principia cognitionis incomplexa, putà omnes creaturas, ex quibus; tanquam ex tot veſtigiis ſempiterna ejus virtus & divinitas innoteſcit. Tertiò denique, habet principia interna metaphyſica, putà genus & differentiam, ut docuimus in Logicis: Ergo, &c.

TRACTATUS POSTERIOR.

De Cauſis.

PLerique hunc Tractatum ad Phyſicam remittunt, ſed non ita meritò; cùm enim cauſa in genere abſtrahat à materiâ. ejus expoſitio eſt juris metaphyſici. Hinc Philoſophus poſtquam l. 5. Metaphyſicorum cap. 1. egit de Principio; capite ſecundo agit de Cauſâ.

Nos verò hunc Tractatum dividimus in duas diſputationes; in quarum priore agemus de Cauſa in communi: in poſteriore de Cauſis in particulari.

DISPUTATIO PRIOR.

De Cauſa in communi.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine, Notione & Exiſtentia Cauſa.

QUamvis Cauſa aliquando cum Principio confundatur, præſer tim à Græci. propriè tamen minùs patet, quàm Principium. Licèt enim omnis Cauſa ſit Principium, ut docet Philoſophus l. 5. Metaphyſ. c. 1. omne tamen Principium non eſt Cauſa. Itaque.

Ad rationem cauſæ, tres requiruntur conditiones, non neceſſariæ ad rationem principii. Prima eſt, ut cauſa ſit quid poſitivum,

defectu cujus conditionis, privatio eſt tãtùm principium generationis, non cauſa: Secunda eſt, ut cauſa influat; cujus conditionis defectu, terminus à quo motûs localis, eſt principium motus; non autem cauſa. Tertia eſt, ut cauſa influat in aliud, ſeu ut cauſa det effectui naturam, à ſua numero ſaltem diſtinctam; defectu cujus conditionis, Perſona producens in divinis non eſt cauſa Perſonæ productæ, ſed tantùm principium.

Cauſa etiam latiùs patet, quàm Elementum. Hinc Ariſtoteles libro citato priùs agit de Cauſa, quàm de Elemento. Quippè cauſa abſtrahit ab internâ & externâ, elementum verò propriè ſignificat tantùm principium internum: Hinc quatuor prima mundi ſublunaris corpora, vocantur Elementa; quia ſunt & mundi ſublunaris & omnium mixtorum principia intrinſeca.

Cauſa etiam confundi non debet cum conditione ſine qua non, aut occaſione, quia

Conditio ſine qua non, eſt id quod licèt non influat in effectum, ſine eo tamen nunquam fieret effectus; ut approximatio reſpectu combuſtionis.

Occaſio, eſt id quod licèt non influat in effectum nihilominùs ſine ipſo hac ſaltem vice, non contigiſſet effectus. Vel eſt cauſa imperfecta aliqualiter inducens ad agendum, ut colligitur ex ſancto Thoma, 2. 2. quæſt. 43. art. 1. ad tertium: ut ambulatio per talem viam reſpectu fortuitæ inventionis crumenæ, & pecunia præſens reſpectu furti.

Cauſa verò concipitur ut aliquid poſitivum,

à quo per ſe pendet effectus; ſeu per ſe influens eſſe in effectum, ſeu in aliud.

Dari Cauſas ſatis patet, quia nullum ens præter Deum, eſt non cauſatum.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſis Cauſæ.

Cauſa in genere non habet cauſas: tum quia daretur proceſſus in infinitum; tum quia inter cauſas continetur Deus, qui eſt prima cauſa, nullam proinde agnoſcens ſui cauſam. Igitur hoc capite afferenda tantùm eſt Cauſæ definitio, & ejus cauſalitas, quæ ſunt inſtar formæ cujuſdam Metaphyſicæ. Cauſa deſcribitur l.2. Phyſic. c.3. *id propter quod res eſt*; ubi particula, *propter*, latè ſumi debet, alioqui conveniret ſoli cauſæ finali.

Cauſa definitur ab antiquis Peripateticis, *id ad cujus eſſe ſequitur aliud*. Dicitur primò, id, ſupple principium. Dicitur ſecundò, *ad cujus eſſe*, ſcilicet in ratione cauſæ. Additur, *ſequitur*, ſupple per verum influxum, veramque cauſalitatem. Subditur denique, *aliud*, id eſt aliquid diſtinctæ ſaltem numero naturæ.

Clariùs definitur vulgò. *Principium per ſe influens eſſe in aliud.* Dicitur primò, *principium*, quæ particula tenet locum generis; principium enium, ut diximus, latiùs patet quam cauſa. Dicitur ſecundò, *influens eſſe*, per quam particulam cauſa differt à conditionibus, occaſionibus, principiis negativis,

(putâ privationibus (& principiis terminativis motûs localis, quæ nimirùm exiſtentiam non influunt. Additur, *per ſe*, per quam particulam differt vera cauſa à cauſis per accidens, quæ ſcilicet per ſe non dant eſſe, ut cùm homo fodiens terram, invenit theſaurum. Subditur denique, *in aliud*, per quam particulam differt cauſa à Perſonis producentibus in Trinitate, quæ non influunt *in aliud*, ſed tantùm in aliam Perſonam, quippè.

Alius, *alia*, *aliud*, adjectivè ſignificat tantùm diverſitatem ſuppoſiti aut ſubjecti; *aliud* verò ſubſtantivè, diverſitatem naturæ, ſaltem numericam: *alter*, *altera*, *alterum*, ſolam diverſitatem accidentalem ejuſdem etiam à ſeipſo. Hinc Pater divinus eſt quidem alius à Filio, ſed non aliud. Petrus autem eſt & alius, & aliud à Paulo: Petrus verò doctus neque eſt alius neque aliud; ſed alter à ſe ipſo ignaro.

Cauſa conſtituitur in eſſe cauſæ, per cauſalitatem.

Quæritur in quo conſiſtat cauſalitas cauſæ. Ut huic quæſtioni fiat ſatis.

Notandum primò cauſam poſſe ſpectari dupliciter; ſcilicet in actu primo, prout cauſare poteſt; & in actu ſecundo, prout de facto cauſat, ut colligitur ex Philoſopho locis citatis.

Notandum ſecundò; quatuor in causâ ſpectari poſſe, ſcilicet entitatem, potentiam ſeu virtutem cauſandi, influxum actualem, & relationem cauſæ ad effectum. v. g. in Adamo hæc quatuor diſtingui potuerunt

ſcilicet entitas Adami, putà humanitas; illius virtus genitiva; influxus ejus in Abelem, putâ generatio activa; & relatio paternitatis ipſius ad eundem Abelem.

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſa conſtituitur in actu primo per virtutem cauſandi.

PRobatur. Per id cauſa conſtituitur in actu primo, quo intellecto intelligitur poſſe cauſare. Atqui talis eſt virtus cauſandi: Ergo cauſa conſtituitur in actu primo per virtutem cauſandi.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cauſa conſtituitur in actu ſecundo per influxum.

PRobatur contra Scotum aſſerentem, cauſam conſtitui in actu ſecundo per relationem ad effectum. Per id cauſa conſtituitur in actu ſecundo, quo intellecto intelligitur cauſare: Atqui intellecto influxu cauſæ, intelligitur cauſare, & eo ſublato non intelligitur cauſare: v. g. intellectâ illuminatione intelligitur Sol diem cauſare, & eâ ſublatâ non ampliùs intelligitur cauſare: Ergo, &c.

Objicies. Cauſalitas non poteſt intelligi ſine ordine ad effectum: Ergo eſt relatio.

Diſtinguo conſequens. Cauſalitas eſt relatio ſecundùm dici, concedo: eſt relatio ſecundùm eſſe & categorica, nego: non enim

eſt ad purum terminum. Contendo, v.g. cauſalitatem Adami non fuiſſe paternitatem, ſed actionem genitivam: Eam vocet relationem Scotus, per me licet; modi enim omnes reverâ nihil aliud ſunt quàm relationes & habitudines quædam, ut aliàs probavimus.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus Cauſa.

PRoprietates cauſarum ſunt, earum ordo, connexio; fœcunditas, diſtinctio cauſæ ab effectu, & prioritas cauſæ reſpectu effectûs, de quibus ſeorſim dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De ordine Cauſarum.

ORdo cauſarum eſt, dependentia unius cauſæ ab altera.

Quando una cauſa ita dependet ab altera, ut una ſit ſuperior, alia verò inferior verò *ſubordinata*: Talis ſubordinatio reperitur inter cauſam primam, & ſecundam: univerſalem, & particularem; principalem, & inſtrumentalem.

Cauſæ ejuſdem effectûs quarum una non pendet ab alia tanquam à ſuperiori, dicuntur cauſæ *ejuſdem ordinis*: quales ſunt duo equi jugales reſpectu vectionis. Dum verò una pendet ab aliâ tanquam à ſuperiori, dicuntur cauſæ *diverſi ordinis* ſeu ſubordinatæ:

quales ſunt Deus, & creatura.

Subordinatio cauſarum duplex. Accidentalis, & eſſentialis.

Accidentalis eſt inter eas cauſas, quarum inferior pendet à ſuperiore ut fiat; non autem propriè ut operetur: qualis eſt inter filium creatum, & ejus parentem.

Eſſentialis eſt inter eas cauſas, quarum inferior non poteſt operari ſine ſuperiore; qualis eſt inter potentias animæ, & animam; inter cauſas ſecundas, & primam.

Subordinatio eſſentialis vel eſt propria, quæ reperitur inter cauſas ejuſdem generis, v. g. quæ ſunt omnes efficientes, aut omnes finales, &c. vel impropria, quæ reperitur inter cauſas diverſi generis, v. g. inter materiam, & formam.

Effatum eſt, ex l. 2. Metaphyſ. c. 2. deſumptum: In cauſis eſſentialiter ſubordinatis impoſſibilem eſſe proceſſum in infinitum. Ratio eſt quia ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 1. art. 4. poſt Philoſophum 8. Phyſicorum, cauſæ inferiores non movent niſi in virtute primæ: Ergo ſeclusâ primâ, nullus foret motus. v. g. in finibus, fines intermedii non movent niſi in virtute ultimi: Ergo ſublato ultimo, impoſſibilis eſſet motus; & ſic de cæteris. Et hac viâ celebriores Philoſophi Ethnici devenerunt in cognitionem primi motoris, qui immotus omnia movet, ut loquitur Philoſophus ultimis verbis libri 4. Metaphyſicorum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De connexione cauſarum.

QUæritur, Utrùm cauſæ poſſint eſſe ſibi mutuò cauſæ; ut videtur aſſerere Philoſophus, l. 5. Metaphyſicorum c.2. Quod ut ſolvatur,

Notandum dupliciter intelligi poſſe hanc quæſtionem. Primò utrum poſſint eſſe ſibi mutuò cauſæ in cauſando, adeo ut una neceſſaria ſit ut altera cauſet: Secundò, utrùm poſſint eſſe ſibi mutuò cauſæ in eſſendo: hoc eſt ſibi mutuò dare eſſe.

PRIMA CONCLUSIO:

Cauſæ poſſunt eſſe ſibi mutuò cauſæ in cauſando.

PRobatur inductione. Primò, Materia & forma ſunt ſibi mutuò cauſæ in cauſando compoſito; quia nec materia ſine forma, nec forma ſine materiâ illud componere poſſet. Secundò, Agens naturale & materia ſunt ſibi mutuò cauſæ in cauſando, quia ſine ſe invicem cauſare non poſſent: Hinc in effectibus naturalibus quatuor cauſæ ſunt neceſſariò connexæ, ut docet Philoſophus l. 8. Metaphyſicorum c.4. Et ratio eſt quia internæ non cauſarent niſi applicarentur ab externis; nec externæ moverent, niſi darentur internæ. Tertiò denique, in omnibus effectibus finis & efficiens ſunt ſibi mutuò cauſæ in cauſando; niſi enim finis aliquis moveret, nulla

nulla cauſa efficiens erumperet in actum; cùm omnis cauſa efficiens agat propter finem; ut fusè probavimus in Ethicis, diſputatione de fine: & niſi aliquod agens ageret, finis nullam exerceret cauſalitatem; cùm in tantum cauſet finis, in quantùm agens aliquod applicat ad actum, hinc illud vulgatum: Secundùm ordinem agentium eſt ordo finium; ut loquitur S.Thomas 1. 2. quæſt. 509. art.6.

Secunda Concluſio.

Duæ Cauſæ non poſſunt eſſe ſibi mutuò Cauſæ in eſſendo in eodem genere.

Probatur. Idem non poteſt eſſe ſimul prius & poſterius eodem, in eodem genere: Atqui ſi duæ cauſæ eſſent ſibi mutuò cauſæ *in eſſendo* in eodem genere, una eſſet prior & poſterior alterâ in eodem genere, quia eſſet cauſa ſimul, & effectus alterius in eodem genere; quod manifeſtam involvit contradictionem

Objicies. Vapor eſt cauſa materialis pluviæ, & pluvia cauſa materialis vaporis: Ergo duæ cauſæ poſſunt eſſe ſibi mutuò cauſæ in eſſendo in eodem genere.

Diſtinguo. Succeſſivè, concedo: ſimul, nego. Noſtra autem concluſio intelligenda eſt de ſimultaneis cauſalitatibus.

TERTIA CONCLUSIO.

Duæ Cauſæ poſſunt eſſe ſibi mutuò Cauſæ in eſſendo in diverſo genere.

PRobatur Inductione. Dum aliquis ſtudet propter doctrinam, doctrina dat eſſe ſtudio in genere cauſæ finalis, & ſtudium dat eſſe doctrinæ in genere cauſæ efficientis. Idem dices, dum quis ambulat propter ſanitatem, aut dum quis ædificat propter commodam habitationem.

Duæ poſteriores aſſertiones ſunt Philoſophi l. 5. Metaphyſicorum c. 2. ubi ſic habet, Cauſæ ſibi invicem cauſæ ſunt, ut exercitatio, bonæ valetudinis; & hæc, exercitationis; ſed non eodem modo, verùm illa ut finis, hæc verò ut principium motûs, hoc eſt cauſa efficiens.

ARTICULUS TERTIUS.

De fœcunditate Cauſarum.

HIc ſingula Cauſarum genera ſunt expendenda.

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſa formalis unius tantùm effectûs Cauſa eſſe poteſt.

PRobatur Inductione. Una numero anima unici viventis cauſa eſſe poteſt; & una anima rationalis unici hominis. Et ratio eſt: quia forma cauſat dando ipſum

ſuum eſſe determinatum, ſicque dando eſſe ſpecificum: At unicum eſſe habet determinatum: Ergo unicum eſſe dare poteſt, putà anima eſſe animatum, candor eſſe candidum, &c.

Objicies. Anima rationalis cauſa eſt multarum intellectionum & volitionum: Ergo cauſa formalis poteſt eſſe cauſa multorum effectuum.

Diſtinguo conſequens; In genere cauſæ formalis, nego; In genere alterius cauſæ, concedo. Anima enim rationalis reſpectu intellectionum & volitionum habet quidem rationem cauſæ efficientis, finalis & materialis; non autem formalis.

Secunda Conclusio.

Cauſa materialis poteſt eſſe Cauſa multorum & contrariorum effectuum.

Probatur Inductione. Eadem materia poteſt eſſe cauſa multorum ſpecie corporum, v. glandis, quercûs, ligni, &c. & multarum qualitatum etiam contrariarum, v. g. caloris & frigoris, &c. Hinc illa effata: *Idem eſt ſubjectum contrariorum. Contraria ſe expellunt ab eodem ſubjecto. Subſtantia recipit contrarium cum mutatione ſui.* Et ratio à priori eſt indifferentia cauſæ materialis ad varias formas.

TERTIA CONCLUSIO.

Cauſa finalis poteſt eſſe cauſa multorum & contrariorum effectuum.

PRobatur Inductione. Propter ſanitatem, verbi gratiâ, alii uſurpant remedia calida, alii frigida; & propter beatitudinem omnes agunt omnia quæ agunt, quantumvis diverſa & oppoſita.

ULTIMA CONCLUSIO.

Cauſa efficiens naturalis reſpectu ejuſdem materiæ eodem modo diſpoſitæ, non poteſt per ſe eſſe Cauſa contrariorum.

PRobatur primò ex his effatis: *Idem manens idem, ſemper facit idem*, ex ſecundi libri de Ortu, cap.10. *Idem ſecundùm idem non eſt cauſa contrarii*, ex quarti Metaphyſicorum libri cap.6.

Probatur ſecundò Inductione, quâ patet ignem, butyrum ſemper liquefacere, lutum ſemper indurare; lignum ſemper comburere; omnia ſemper calefacere.

Probatur tertiò à priori, quia natura eſt determinata ad unum agendi modum.

Dixi primò in concluſione: *cauſa naturalis*: nam cauſa libera pro eâ, quâ pollet libertate, poteſt eſſe cauſa contrariorum actuum, etiam circa idem objectum, putà amoris, & odii.

Dixi ſecundò, *reſpectu ejuſdem materiæ*, nam cauſæ naturales circa diverſas materias

diverſos producunt effectus. Sic ſol liquefacit nivem, & indurat lutum. Hinc illud vulgatum : *Actiones activorum diverſificantur à paſſivis.*

Dixi tertiò , *reſpectu materiæ eodem modo diſpoſitæ*; nam ſi ſit alia diſpoſitio in materia, contrarius aliquando producitur effectus. Sic vinum, v. g. reſpectu ejuſdem hominis variè affecti modò congruas , inimicas modò qualitates producit.

Dixi denique, *per ſe*; nam cauſa naturalis, eſt per accidens cauſa contrariorum. Sic Sol præſens cauſa eſt diei, & abſens noctis ; quod enim præſens cauſa eſt effectus , illud abſens accuſamus contrarii , inquit Philoſophus l. quinti Metaphyſic. c.2.

ARTICULUS QUARTUS.

De Diſtinctione Cauſæ ab effectu.

SI idem non poſſit eſſe cauſa ſui ipſius, benè ſequitur cauſam neceſſariò diſtingui ab effectu.

UNICA CONCLUSIO.

Idem non poteſt eſſe Cauſa ſui ipſius,

PRobatur primò ex definitione cauſæ.in quâ habetur cauſam debere influere in aliud.

Probatur ſecundò ratione. Si idem eſſet cauſa ſui ipſius , eſſet prius & poſterius ſeipſo. Conſequens eſt contradictorium , [ut colligitur ex Philoſopho , libri de motione animalium capite quinto :] Ergo & antece-

dens. Probatur major. Cauſa eſt prior effectu: atqui idem eſſet cauſa & effectus ſui ipſius: Ergo idem eſſet cauſa & poſterius ſeipſo. Hoc argumentum colligitur ex Ariſtotele, loco citato.

Objicies primò. Chriſtus ſe ſeipſum reproduxit in cœna: Ergo idem fuit cauſa ſuiipſius.

Tranſeat antecedens, quod falſum eſt; hæc enim reproductio humanitatis Chriſti fuit immediatè à divinitate ad prolationem verborum Chriſti. Nego conſequentiam, quia ſi Chriſtus ſeipſum reproduxiſſet, non fuiſſet cauſa, ſed principium ſui ipſius; & quidem non quoad eſſe ſimpliciter, ſed quoad eſſe reproductum.

Objicies ſecundò. Finis in intentione, eſt cauſa ſui ipſius in executione; quia finis intentus cauſa eſt uſurpandorum mediorum: media autem uſurpata cauſæ ſunt finis obtinendi: Ergo finis intentus cauſa eſt ſui ipſius obtinendi. Quia (ut communi fertur axiomate,) *quod eſt cauſa cauſa, eſt cauſa cauſati.*

Reſpondent alii, finem non eſſe tunc cauſam ſui ipſius unde diſtinguunt axioma. Quod eſt cauſa cauſæ in eodem genere, eſt cauſa cauſati, concedunt: quod eſt cauſa cauſæ in diverſo genere, eſt cauſa cauſati, negant. At inquiunt, finis intentus eſt cauſa uſurpandorum mediorum in genere cauſæ finalis: media autem uſurpata ſunt cauſæ finis obtinendi in genere cauſæ efficientis, proindeque finis non eſt cauſa ſui ipſius, ſed ad ſum-

mum, principium. Alii aliter reſpondent. Ego verò.

Diſtinguo antecedens. Finis in intentione, eſt ſui ipſius in executione cauſa remota, concedo: proxima & immediata, nego. Concluſio autem noſtra intelligenda tantùm eſt de cauſa immediata & proxima: nam aliter non ſequitur idem eſſe prius & poſterius ſeipſo eodem modo, ſed diverſo; ſic in exemplo oppoſito, finis in intentione ſpectatus, prior eſt ſeipſo in executione conſiderato, quod non implicat.

ARTICULUS ULTIMUS.

De prioritate Cauſæ.

PRimò. Diſtinguenda eſt hîc triplex prioritas, ſcilicet temporis, naturæ, & dignitatis.

Secundò. Obſervandum cauſam ſumi poſſe duobus modis, ſcilicet materialiter, pro ipſa entitate cauſæ: & formaliter pro cauſa quatenus actu cauſat & influit.

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſa formaliter ſumpta eſt ſimul tempore & naturâ cum effectu.

PRobatur. Cauſa formaliter ſumpta eſt cauſa, prout cauſat; effectus verò formaliter ſumptus, eſt effectus, prout cauſatur: Atqui non eſt prius tempore aut naturâ cauſare quàm cauſari, cùm ſint correlata: Ergo, &c.

Secunda Conclusio.

Cauſa formaliter ſumpta, nobilior eſt effectu.

PRobatur, Nobilius eſt dare, quàm accipere cum dependentiâ; Hinc Actorum cap.20. habetur quòd *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Atqui cauſa formaliter ſumpta dat eſſe effectui: Ergo cauſa ſic ſumpta nobilior eſt effectu.

Tertia Conclusio.

Cauſa materialiter ſumpta, non eſt neceſſariò tempore prior effectu.

PRobatur Inductione, Sol non fuit tempore prior lumine, neque eſſentia prior eſt tempore ſuis proprietatibus: Ergo, &c.

Sæpius tamen id contingit, Sic Deus prior fuit mundo, Adamus Abele: arbor ſuis ramis, frondibus, floribus & fructibus.

Quarta Conclusio.

Cauſa materialiter ſumpta, naturâ prior eſt effectu.

PRobatur. Illud eſt naturâ prius altero, quod ita dat eſſe alteri, ut poſſet abſolutè eſſe ſicut eſt, etſi non daret eſſe: Atqui cauſa materialiter ſumpta poſſet abſolutè eſſe ſicut eſt, etſi non daret eſſe effectui. Sic homo

homo qui generat poſſet eſſe vi ejuſdem influxûs quo eſt; etſi non daret eſſe homini genito: Ergo cauſa materialiter ſumpta prior eſt naturâ ſuo effectu.

Quinta Conclusio.

Cauſa materialiter ſumpta, aliquando nobilior eſt effectu, aliquando ignobilior.

PRobatur inductione. Primò, Cauſæ internæ ignobiliores ſunt effectu, quia pars ignobilior eſt toto. Secundò, finis in agentibus liberis aliquando nobilior eſt effectu, ut cùm homo dat eleemoſynam propter Deum; aliquando ignobilior, ut cùm dat propter vanam gloriam. In agentibus autem naturalibus, ſemper finis nobilior eſt effectu; quia ad eum ex naturâ rei refertur effectus tanquam medium. At ex Philoſopho lib.1. magnorum Moralium cap.2. medium ex naturâ rei ignobilius eſt fine, cùm ei per ſe ſubſerviat. Tertiò denique, cauſa efficiens inſtrumentalis in phyſicis ignobilior eſſe ſolet effectu, ut glans reſpectu quercûs: principalis verò ſi ſit univoca, nobilitate par eſt effectui, ut cùm homo generat hominem; ſi verò ſit æquivoca, ſemper eſt nobilior; quia tunc continet effectum eminenter, ut Deus reſpectu creaturæ; & equus reſpectu muli; & inde ſequitur

ULTIMA CONCLUSIO.

Impoſſibilis eſt cauſa princeps, ignobilior ſuo effectu.

PRobatur primò à poſteriori. Si cauſa princeps poſſet eſſe ignobilior effectu, ex operationibus & effectibus non poſſet colligi nobilitas cauſarum principum; neque ex perfectionibus creaturarum poſſet colligi perfectio Creatoris. Conſequens eſt contra Philoſophos & Theologos: Ergo & antecedens. Hinc Pſaltes Pſalmo 93. ſic ratiocinatur: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* Et Sapiens capite 13. ſic ſcribit. *Quorum* (corporum elementarium & cœleſtium) *ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt; aut ſi virtutem aut opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis.*

Probatur ſecundò à priori. Nihil dat authoritate propriâ (quod proprium eſt cauſæ principis) quod non habet authoritate propriâ, hoc eſt vel formaliter vel eminenter: Atqui ſi cauſa princeps eſſet ignobilior effectu, daret authoritate propriâ, quod non haberet authoritate propriâ: Ergo impoſſibilis eſt cauſa princeps ignobilior effectu, hoc eſt quæ effectum non contineat vel formaliter, vel eminenter.

Nec dicas ſufficere ſi cauſa princeps contineat ſuum effectum virtualiter; nam continentia virtualis, prout diſtinguitur ab emi-

nentiali propria tantùm eſt cauſæ inſtrumentariæ. Quippe ut cauſa producat effectum ſe altiorem, opus eſt, ut ad id elevetur, elevari autem ad effectum ſimpliciter altiorem, proprium eſt inſtrumenti; quæ eſt nova confirmatio noſtræ concluſionis.

Tres ergo ſunt modi, quibus cauſa efficiens continere poteſt effectum: ſcilicet,

Formaliter; quando cauſa continet effectum ſecundùm eamdem formalem rationem quæ eſt in effectu; quomodo ignis continet calorem.

Eminenter; quando cauſa continet virtutem productivam effectûs, nobiliorem effectu; quomodo Sol ratione ſuæ lucis continet calorem. Et

Virtualiter; quando cauſa ſimpliciter ignobilior eſt effectu; quomodo cœlum continet ranas.

Objicies primò. Sol eſt cauſa princeps viventium, ſecundùm illud Philoſophi, lib. 2. Phyſ. cap. 2. *Sol & homo generant hominem:* Atqui Sol eſt ignobilior viventibus: Ergo poſſibilis eſt cauſa princeps ignobilior effectu.

Diſtinguo majorem. Sol eſt cauſa princeps viventium, ſpectatorum ratione temperamenti, concedo: ſpectatorum ratione animæ & vitæ, nego. Ut ſic enim, eſt inſtrumentum primi artificis, putà Dei.

Objicies ſecundò. Aſina eſt cauſa princeps muli; & tamen eſt eo ignobilior: Ergo cauſa princeps poteſt eſſe ignobilior effectu.

Nego propoſitionem: Aſina enim propriè non eſt cauſa muli, ſed pars cauſæ; pars au-

tem cauſæ principis poteſt eſſe ignobilior effectu.

CAPUT ULTIMUM.

De diviſione Cauſæ.

CAuſa latè ſumpta dividi poteſt in cauſam cognitionis, quæ ad cognitionem alicujus rei confert: & in cauſam rei, quæ influit in eſſe effectûs.

Cauſa rei latè ſumpta ſubdividi poteſt in cauſam realem, quæ influit in effectum à ſe realiter diſtinctum: & in virtualem, quæ logicæ tantùm & per mentem influit in aliquid virtualiter tantùm diſtinctum, quo ſenſu eſſentiæ cauſæ ſunt ſuarum proprietatum metaphyſicarum.

Cauſa realis dividitur à Philoſopho, lib.2. Phyſ.c.3. & lib.5. Metaphyſicorum cap.2. in cauſam per ſe, quæ quatenus talis attingit effectum: & cauſam per accidens; de qua diviſione dicemus ad calcem hujus tractatûs.

Quæritur hìc legitima diviſio cauſæ per ſe, de quâ teſte Senecâ, Epiſtolâ 66. tres fuerunt ſententiæ. Prima Stoïcorum admittentium duo tantum cauſarum genera, ſcilicet agens & patiens, hoc eſt, cauſam efficientem & materialem. Secunda Platonicorum, quinque cauſarum genera admittentium; nimirum efficientem, finalem, exemplarem, materialem & formalem. Tertia Peripateticorum, quatuor cauſarum genera ſtatuen-

tium; putà materialem, formalem, efficientem & finalem; cum quibus ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

Peripatetica Cauſa diviſio adæquata eſt.

PRobatur primò ex Ariſtotele, qui lib.2. Phyſicorum cap. 7. hunc cauſarum numerum colligit ex variis quæſtionibus, quæ de effectu quopiam fieri poſſunt: Quæri enim poteſt de ſtatua v. g. ex quo ſit? & reſpondetur per cauſam materialem: per quid conſtituatur in eſſe ſtatuæ? & reſpondetur per cauſam formalem: à quo ſit? & reſpondetur per cauſam efficientem: propter quid ſit? & reſpondetur per cauſam finalem. Eadem adverbum fere repetit lib.5. Metaphyſicorum c.2. & l.1.Metaph.c.3.

Nec dicas poſſe etiam quæri ad cujus ſimilitudinem ſit, cui quæſtioni reſpondendum erit per cauſam exemplarem: Nam diſputatione ſequenti oſtendemus exemplar non conſtituere genus cauſæ diſtinctum.

Probatur ſecundò ratione. Tot ſunt Cauſarum genera, quot ſunt, quæ diverſimodè influunt in effectum naturalem; Atqui quatuor ſunt quæ diverſimodè influunt in effectum naturalem: Ergo quatuor ſunt cauſarum genera. Probatur minor. Nihil fit à ſe ipſo, ut dictum eſt capite ſuperiori, articulo quarto: Ergo opus eſt causâ efficiente. Agens non agit temerè, ut probatum eſt diſputatione de fine: Ergo opus eſt fine propter quem agat. Non agit ex nihilo; Ergo opus eſt

materiâ, ex quâ agat. Introducit aliquid in illam materiam, aliàs nihil faceret: Ergo datur forma, per quam effectus in ſuo eſſe conſtituatur, ut patet inductione factâ per omnes effectus phyſicos.

SECUNDA CONCLUSIO.

Superior diviſio non eſt immediata.

Ratio eſt, quia Cauſa poteſt immediatiùs dividi in internam & externam.

Cauſa interna eſt ea, quæ concurrit ad effectum, cujus pars eſt; ut materia componens & forma conſtituens ſeu informans.

Cauſa externa eſt ea, quæ non eſt pars ſui effectûs; ut cauſa efficiens & finalis.

ULTIMA CONCLUSIO.

Superior diviſio non eſt infima.

Ratio eſt, quia ejus membra poſſunt ſubdividi, ut patebit agendo de ſingulis.

Quæres quis ſit ordo inter illas cauſas?

Reſpondeo primò Ratione dignitatis cauſas externas præcedere internas; quia entia completa præſtant incompletis: inter internas, formalem nobiliorem eſſe materiali, quia in eodem ordine, actus nobilior eſt potentiâ paſſivâ: inter externas verò efficientem præſtare finali; quia efficiens ut ſic, debet exiſtere realiter; finis verò intentionaliter tantùm.

Reſpondeo ſecundò. Ratione cauſalitatis,

finalem eſſe omnium primam, quia cæteræ non cauſant, niſi alicujus finis gratiâ, & proinde niſi motæ à fine: poſt finalem ſequi efficientem, quæ reſpicit ad exemplar, & cauſam materialem reducit de potentia ad actum, hoc eſt ad cauſam formalem; & proinde cauſam formalem eſſe omnium poſtremam ordine cauſalitatis.

Quapropter de cauſis in particulari poſteriori hoc ordine dicemus; ſi priùs tamen quædam præmiſerimus de Effectu.

APPENDIX.
De Effectu.

Relata ſunt ſimul cognitione, inquit Philoſophus capite de Relatis: unde ordo doctrinæ poſtulat, ut expoſitioni cauſæ, explicatio effectûs ſubjungatur.

Effectus dicitur etiam cauſatum & opus.

Definitur. Id quod pendet à cauſa per ſe influente. Vel, Principiatum quod accipit eſſe ab alio cum dependentia.

Sicut ergo cauſa conſtituitur in eſſe cauſæ per cauſalitatem; ita effectus conſtituitur in eſſe effectûs per dependentiam.

Unde ſicut ratio cauſæ non convenit Perſonis producentibus ſanctiſſimæ Trinitatis; Ita nec ratio effectûs convenit Perſonis productis ejuſdem Trinitatis: ſed Perſona producta in divinis, dicitur terminus vel principiatum producentis; non autem effectus vel cauſatum (hoc eſt factum vel creatum.) Hinc ſanctus Athanaſius in ſuo ſymbolo: *Filius à Patre ſolo eſt, non factus, non creatus; ſed*

genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus; ſed procedens.

Duæ difficultates proponi poſſunt de effectu. Prior eſt de reproductione effectûs: poſterior de poſſibilitate effectûs à pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis & ordinis: quas ſequentibus articulis ſolvemus.

ARTICULUS PRIOR.

De Reproductione.

Reproductio definitur, Iterata rei productio.

De Reproductione duo quæruntur. Primum eſt, utrùm effectus corruptus, poſſit iterum produci? ſecundum eſt, utrùm effectus jam exiſtens poſſit iterum produci?

PARAGRAPHUS PRIOR.

An effectus corruptus poſſit reproduci?

PRIMA CONCLUSIO.

Effectus corruptus non poteſt naturaliter reproduci,

Probatur, tum authoritate Ariſtotelis l. 1. de Animâ cap. 3. tum ex illo celebri axiomate in Poſtprædicamentis explicato: *A privatione ad habitum, non datur regreſſus.* Tum ex eo quòd nullus hactenus reproductiones naturales ſit expertus; unde, cùm

ſanctus Paulus in medio Areopagi de reſurrectione mortuorum palàm egiſſet, ab omnibus ferè Areopagitis, quamvis eruditiſſimis, fuit irriſus; ſicut priùs irriſus etiam fuerat, eâdem de causâ, ab Epicureis & Stoïcis Philoſophis: ut habetur Actorum decimo-ſeptimo capite.

Objicies. Ferunt de quadam muſcâ, quòd occiſa, ſolaribus radiis expoſita, reviviſcat.

Diſtinguo. Eo ſenſu quòd ex ejus cadavere alia ſimilis muſca renaſcatur, eſto; fides ſit penes authores: Eo ſenſu quòd eadem numero muſca reviviſcat, nego. Sic candela extincta iterum accenditur, non quòd eadem numero flamma ex ea reproducatur, ſed ſimilis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quodlibet ens corruptum poteſt divinitus reproduci.

PRobatur primò ex Fide, quâ credimus reſurrectionem mortuorum. Quòd ſi homo corruptus poſſit divinitus reproduci, quidni cætera?

Probatur ſecundò ratione. Res corrupta non eſt deterioris conditionis quàm ſi nunquam exſtitiſſet. Atqui ſi nunquam exſtitiſſet, poſſet produci à Deo: Ergo adhuc poteſt.

Dices, hoc argumentum probare poſſibilem eſſe naturaliter reproductionem. Diſtinguo. Secluſo Dei decreto, concedo: eo poſito, nego. Quippe fateor equum generantem, v. g. quantùm eſt ex ſe, tam facilè ge-

nerare poſſe equum jam mortuum, quàm alium; cùm enim ſit productivus equi, & omnes equi ſint æquè ſubſtantialiter ſimiles; quantùm eſt ex ſe, non magis poſtulat producere unum equum, quàm alium. Hæc ergo determinatio venit à Deo, qui maluit determinare cauſas ſecundas ad producendos ſemper novos effectus, quàm ad veteres reproducendos; tum quia ex majori illâ diverſitate, major exurgit mundi pulchritudo: tum quia ſic Deus pluribus ſe communicat individuis.

Objicies primò illud effatum; *Deus non habet potentiam in præteritum.*

Diſtinguo. Hoc eſt, Deus non poteſt facere ut præteritum non fuerit præteritum, ut refert Philoſophus, ex Agathone Poëta, lib. 6. Eth. c. 2. concedo; hoc eſt, Deus non poteſt facere ut præteritum ſit iterum præſens, nego.

Objicies ſecundò. Deus non poteſt reproducere diem heſternum: Ergo non poteſt quodlibet ens corruptum reproducere.

Diſtinguo antecedens. Deus non poteſt reproducere diem heſternum, formaliter ſumptum; prout correſpondet certæ parti virtuali æternitatis divinæ, concedo: non poteſt reproducere diem heſternum materialiter ſumptum, hoc eſt, non poteſt facere ut Sol eamdem hodie adhuc conficiat circulationem, idemque producat lumen ac heri; nego. Uno verbo Deus facere non poteſt, ut ea quæ heri fuerunt, non fuerint heri; ſed facere poteſt ut eadem omnia ſint adhuc hodie.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

Utrùm effectus exiſtens poſſit alibi reproduci.

ILlud fieri non poſſe naturaliter, omnes fatentur. Et certè ſi effectus exiſtens poſſet naturaliter reproduci, poſſet & effectus corruptus, cùm hoc illo difficilius non ſit.

Quæritur, utrùm id fieri poſſit divinitus?

PRIMA CONCLUSIO.

Effectus exiſtens, alibi reproduci poteſt,

PRobatur primò ex eo quòd corpus Chriſti in cœlo exiſtens, quotidie in altaribus reproducatur, & clariùs patebit ſecundâ parte Phyſicæ, diſputatione de Loco.

Probatur 2. Petrus Pariſiis exiſtens, non eſt deterioris conditionis Romæ, quàm ſi non eſſet Pariſiis: Atqui ſi non eſſet Pariſiis, poſſet à Deo produci Romæ: Ergo etſi ſit Pariſiis, poteſt à Deo produci Romæ.

Probatur 3. Cauſa quælibet indifferens eſt ad producenda quælibet individua ejus ſpeciei, intra quam eſt productiva; cùm ea ut potè ſimilia, æquè contineat in virtute ſuâ, ut fuſiùs probabimus infrà, ubi dicemus de determinatione ad individuum: Ergo cauſa quælibet poteſt à Deo determinari ad producendum effectum jam exiſtentem.

Objicies primò. Produci eſt poni extra nihil, atqui res exiſtens non poteſt poni extra

nihil; cùm non ſit ampliùs in nihilo: Ergo res exiſtens non poteſt produci.

Diſtinguo majorem. Produci cum novitate eſſendi eſt poni extra nihil, concedo: produci ſine novitate eſſendi, eſt poni extra nihil, nego. Nam conſervatio, v.g. eſt continuata rei productio; & tamen non ponit rem conſervatam extra nihil. Verbum divinum producitur à Patre, nec tamen ponitur extra nihil. Produci ergo in genere eſt accipere exiſtentiam ab aliquo; ſicut producere in genere eſt largiri exiſtentiam alicui: At nihil impedit effectum exiſtentem Lutetiæ, accipere exiſtentiam Romæ.

Objicies ſecundò. Res corrupta non poteſt iterum corrumpi, niſi priùs reproducatur: Ergo à pari, res producta non poteſt iterum produci, niſi priùs corrumpatur.

Nego paritatem. Quia res corrupta non ampliùs habet exiſtentiam, nec proinde eam amittere poteſt, niſi priùs recuperet; quòd ſi haberet adhuc exiſtentiam alibi, poſſet iterum corrumpi: at verò res producta poteſt adhuc accipere ſuam exiſtentiam ab aliâ causâ, ſicut eam jugiter accipit à Deo per conſervationem.

Jam verò poſito quòd effectus ſimul collocari poſſit in pluribus locis, difficultas eſt quænam ei utrobique prædicata competere poſſent; an neceſſariò eadem penitùs? an etiam oppoſita?

Certum eſt primò, quòd effectui pluribus in locis exiſtenti eadem prædicata eſſentialia neceſſariò competerent, quia eſſentiæ ſunt immutabiles.

Certum eſt ſecundò; quòd corpori replicato diverſa neceſſariò competerent attributa localia: quia ſcilicet Petro exiſtenti Lutetiæ & Romæ, eadem utrobique non competeret diſtantia, reſpectu ejuſdem loci.

Itaque quæſtio tantùm eſt de attributis accidentalibus à loco abſolutis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Effectus in diverſis locis connaturaliter recipere poſſit prædicata oppoſita,

Probatur primò. Etſi effectus reproductus unicus foret realiter & entitativè, attamen vi ſuæ reproductionis foret virtualiter duplex: Ergo ea omnia ipſi competere poſſent in duobus locis, quæ duobus effectibus ejuſdem ſpeciei in diverſis locis poſſent accidere. Unde Petrus replicatus poſſet eſurire in uno loco, & epulari in alio; frigeſieri in uno loco, comburi in alio; nec ſciret in uno loco, quid ipſe ageret aut pateretur in alio.

Confirmatur. Secundùm omnes Philoſophos, corpus ſimul conſtitutum hic & in oppoſito Hemiſphærio, eodem tempore hic illuminaretur, & illic foret tenebroſum: Ergo effectus in diverſis locis conſtitutus poſſet connaturaliter recipere prædicata oppoſita.

Probatur 2. à pari. Idem corpus diverſis temporibus poteſt habere attributa planè oppoſita: uno tempore mœrere, alio exultare; uno frigere, alio calere; uno ægrotare,

alio valere. Ergo à pari, idem effectus in diverſis locis poteſt habere attributa planè oppoſita; non enim minùs diverſitas locorum impedit contradictionem, quàm diverſitas temporum.

Probatur tertiò. Nulla attributa magis ſunt oppoſita, quàm mors & vita reſpectu ejuſdem viventis. Atqui Petrus replicatus poſſet vivere in uno loco, & mori in altero. Ergo in diverſis locis poſſet recipere prædicata planè oppoſita. Probatur minor. Si Petrus exiſteret Lutetiæ ſimul & Romæ, poſſet anima Petri ſeparari à corpore Petri Romæ, etſi non ſepararetur Pariſiis: Atqui in illâ hypotheſi Petrus moreretur Romæ, etſi viveret Pariſiis: Ergo poſſet vivere in uno loco, & mori in alio; cùm mors ſit ſeparatio animæ à corpore, vita verò conjunctio animæ cum corpore. Probatur major ex eo quòd adverſarii nullam in ea afferre poſſint contradictionem, cùm diverſitas loci vel temporis contradictionem impediat.

Objicies primò. Repugnat idem, etiam in diverſis locis, habere prædicata eſſentialia oppoſita: Atqui ſi Petrus poſſet Romæ mori, & adhuc vivere Pariſiis, haberet prædicata eſſentialia oppoſita: nam *vivens*, eſt prædicatum eſſentiale Petri; Petrus autem eſſet vivens Lutetiæ, & non eſſet vivens Romæ: Ergo implicat Petrum vivere in uno loco, & mori in altero.

Nego minorem. Ad cujus probationem dico, Quòd Petrus in illâ hypotheſi non eſſet ampliùs Romæ, proindéque nullum ibi haberet prædicatum.

Objicies ſecundò. Mori eſt deſinere eſſe abſolutè & ubique : Ergo non poteſt corpus vivere in uno loco, & mori in altero.

Reſpondeo Adverſarios, hâc mortis definitione facere omnes Philoſophos, etiam ſuæ Sectæ ridiculos. Nam (amabo) ſi mori ſit deſinere eſſe in omni loco, nonne ridiculum eſt ipſos quærere utrùm corpus poſſit mori in uno loco, & vivere in alio?

Inſtabis. Deſinere eſſe alicubi, non eſt mori : Ergo mori eſt deſinere eſſe ubique.

Diſtinguo antecedens. Deſinere eſſe alicubi per motum localem, non eſt mori, concedo : Deſinere eſſe alicubi per ſeparationem animæ à corpore, non eſt mori, nego. Diſtinguo conſequens. Ergo mori eſt deſinere eſſe ubique. Mori ſimpliciter, concedo; mori alicubi, ſubdiſtinguo. Si res quæ moritur alicubi terminarit unicam productionem, concedo : ſi duplicem, nego. Effectus enim tot pati poteſt corruptiones, quot habuit productiones ut patet ex eo quòd Lazarus, qui bis productus eſt, bis mortuus ſit.

Urgebis. Sequeretur inde, quòd ſingulis diebus adhuc Chriſtus moreretur, dum in ſacrâ Synaxi à Chriſtianis ſumitur. Conſequens eſt contra Apoſtolum, qui Romanorum, cap. 6. ſic ſcribit : *Chriſtus jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Ergo & antecedens.

Nego ſequi. Dum enim hoſtia conſumitur, anima Chriſti non ſeparatur ab ejus corpore; mors autem conſiſtit formaliter in ſeparatione animæ à corpore : ſicut vita phy-

ſica eſſentialiter conſiſtit in unione ſubſtantiali animæ cum corpore; Ergo dum conſumitur hoſtia, Chriſtus non moritur, ſed deſinit duntaxat eſſe ibi.

ARTICULUS POSTERIOR.

De poſſibilitate Effectûs à pluribus cauſis.

QUæritur hîc, An idem effectus poſſit eſſe à pluribus cauſis, non quibuſcunque; ſed quæ ſint

Primò, *ejuſdem generis:* conſtat enim apud omnes eundem effectum eſſe poſſe à pluribus cauſis totalibus diverſi generis; ſic idem corpus naturale, eſt à quatuor cauſarum generibus.

Secundò, quæ ſint *Totales:* quod ut intelligas,

Nota Cauſam aliam eſſe totalem, aliam partialem.

Cauſa Partialis eſt ea, quæ ad ponendum talem effectum, indiget conſortio alterius cauſæ ejuſdem ſecum generis & ordinis; qualis eſt unus equus jugalis, reſpectu tractionis rhedę.

Cauſa Totalis eſt ea, quæ ad ponendum talem effectum non indiget conſortio alterius cauſæ ejuſdem ſecum generis & ordinis; qualis eſt Sol reſpectu diei.

Cauſa Partialis, vel eſt partialis partialitate effectûs, quæ producit tantùm partem effectûs; qualis eſt latronus extruens tantùm unam partem domûs: Vel eſt tantum partialis partialitate cauſæ, quæ licet totum producat

ducat effectum, producit tamen adjuta conſortio alterius cauſæ ejuſdem ſecum generis & ordinis; qualis eſt unus equus jugalis, reſpectu tractionis rhedæ.

Cauſa item totalis, vel eſt tantùm totalis totalitate effectûs. quæ totum quidem producit effectum, ſed adjuta ab aliâ, ejuſdem ſecum generis & ordinis, ut equus jugalis: Vel eſt etiam totalis totalitate cauſæ, quæ ad producendum totum effectum non adjuvatur conſortio alterius cauſæ, ejuſdem ſecum generis & ordinis: ut Sol reſpectu diei. Et hæc ſola meretur titulum cauſæ totalis.

Non dubium eſt eundem effectum eſſe poſſe à pluribus cauſis partialibus ejuſdem generis & ordinis: nam Homo eſt ſimul à duobus parentibus.

Tertiò, quæ *non ſint cauſæ ſubordinatæ*: conſtat enim eumdem effectum eſſe poſſe à pluribus cauſis totalibus ejuſdem generis; modò ſint diverſi ordinis. Sic idem homo ſimul eſt à Sole, Deo & Homine.

Lis non eſt de cauſis internis: cùm enim effectus intrinſecè ſpecificetur à cauſis internis; manifeſtam involvit contradictionem, eundem effectum habere plures cauſas internas ejuſdem generis.

Quæſtionem etiam de finibus totalibus ſolvimus in Ethicâ, diſputatione de Fine, capite ultimo.

Superest ergo tantùm difficultas de cauſis efficientibus totalibus non ſubordinatis.

Conſtat ex Articulo ſuperiori, eundem effectum non poſſe naturaliter, ſed poſſe divi-

nitus, produci à pluribus cauſis efficientibus totalibus diviſim (hoc eſt diverſis temporibus vel locis) operantibus.

Quæritur ergo tantùm utrùm hoc fieri poſſit ſimul & conjunctim; hoc eſt eodem tempore & loco.

PRIMA CONCLUSIO.

Illud naturaliter fieri non poteſt.

PRobatur ex axiomate quod habet Philoſophus l. 2. de Cœlo c. 11. l. 1. Politicorum c. 2. & alibi paſſim : *Natura nihil fecit fruſtrà* : Atqui ſi idem effectus naturaliter foret ſimul à pluribus cauſis efficientibus totalibus ejuſdem ordinis, natura faceret aliquid fruſtrà; cùm alterutra cauſa foret ſupervacanea : Ergo id fieri non poteſt naturaliter.

Objicies primò. Si caudis duorum equorum alligetur unica palea trahenda, ſinguli equi erunt cauſa totalis ejuſdem tractionis : Ergo idem effectus poteſt naturaliter ſimul eſſe à pluribus cauſis efficientibus totalibus non ſubordinatis.

Nego antecedens. Quia illi duo equi aut facilius aut celeriùs trahent paleam, quàm ſi eſſet unicus; proindéque erunt tantùm cauſæ partiales illius tractionis, cum tanta facilitate aut celeritate. Reſponſio quidem videtur paradoxa, eſt tamen veriſſima : Etenim una palea habet aliquid ponderis : Ergo aliquid faceſſit negotii; Alioqui nec ſecunda, nec tertia, nec omnes ſequentes

negotium faceſſerent, quod apertè falſum eſt.

Objicies ſecundò. Poteſt eadem actio eſſe propter plures fines totales intermedios: Ergo à pari, idem effectus poteſt eſſe à pluribus cauſis efficientibus, totalibus ſecundis.

Nego antecedens. Si enim eadem actio fit propter plures fines ſimul, agens majori rapitur impetu à duobus, quàm ab uno, præfertque procul dubio ambos ſimul alterutri ſeorſim; quod facilè judicari poteſt ex ejus intentione, quæ in tali hypotheſi unum ex illis finibus habet pro objecto partiali duntaxat; non pro totali, cùm etiam feratur in alterum. Unde exemplum finium nobis favet: ſicut enim fieri non poteſt, ut duo fines non alliciant vehementius aut facilius voluntatem, quàm alliceret alteruter tantùm, vi ejuſdem ſui influxus: Ita concipi non poteſt quomodo duo equi, v. g. vehementius aut facilius non trahant currum, quàm alteruter tantùm vi ejuſdem ſui conatûs.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nequidem id fieri poteſt divinitus.

Eſt ſancti Thomæ primâ parte, quæſt. 52. art. 3.

Probatur primò. Si idem effectus eſſet ſimul à pluribus cauſis totalibus, una ex illis eſſet totalis & non eſſet: Conſequens contradictorium eſt: Ergo & antecedens. Probatur major, Sit lumen quod ſimul producatur à duabus facibus, ſcilicet à face A, & à face B,

tanquam à cauſis totalibus : Fax A eſſet cauſa totalis ex hypotheſi : oſtendo quòd non eſſet. Illa cauſa non eſt totalis quæ non communicat effectui quidquid habet effectus vi ſuæ productionis. : Atqui fax A non communicaret lumini quidquid haberet vi ſuæ productionis ; Ergo non eſſet cauſa totalis. Probatur minor. Lumen vi ſuæ productionis haberet ut extinctâ face A, adhuc conſervaretur à face A. Atqui fax A, hoc lumini non communicaret : Ergo non communicaret lumini, quidquid haberet lumen vi ſuæ productionis.

Probatur ſecundò. Quod non poteſt concipi, non poteſt fieri divinitùs, cùm implicet contradictionem : Atqui concipi non poteſt eundem effectum eſſe à pluribus cauſis efficientibus totalibus non ſubordinatis : Ergo fieri non poteſt divinitùs. Probatur minor. Si hoc concipi poſſet, vel in agentibus animatis, vel in agentibus inanimatis. Neutrum dici poteſt : Ergo id concipi non poteſt.

Probatur quòd concipi non poſſit in agentibus animatis. Concipi non poteſt quomodo Deus faciat ut idem homo generetur à duobus parentibus tanquam à cauſis totalibus : namque concipi non poteſt hominem generari à duobus parentibus, quin ambo parentes aliquid contribuant materiæ ; alioquin ab ambobus non generaretur, ſed ab unico : Atqui ſi ambo aliquid ex ſuâ parte contribuant materiæ, non erunt ſinguli cauſæ totales ; Ergo concipi non poteſt quomodo Deus faciat ut

idem homo generetur à duobus parentibus, tanquam à cauſis totalibus.

Probatur quòd nec concipi poſſit in agentibus inanimatis. Non poteſt concipi, quomodo Deus facit, ut idem lumen, verbi gratiâ, ſimul producatur à duabus facibus tanquam ab agentibus totalibus; namque naturaliter duæ illæ faces ſimul longiùs agunt quàm unica: Ergo ſunt tantùm cauſæ partiales naturaliter. Quid autem faciat Deus, ut ſimul ſint cauſæ totales ejuſdem luminis? Non debet augere earum virtutem, alioquin everteretur hypotheſis; quæritur enim utrùm divinitus idem effectus ſimul attingi poſſit à duobus agentibus creatis cum iiſdem ſuis virtutibus. Quid itaque faciet? Dabit-ne ſingulis concurſum uberiorem? At in tali hypotheſi ſimul agerent ad majorem diſtantiam; ſicque adhuc forent cauſæ partiales.

Confirmatur. Suſpendatur ſtatera, alteri lanci imponatur pondus unius libræ deprimens ſtateram; concipi non poteſt quomodo motus illius lancis ad æquilibrium procurari poſſit à duabus cauſis totalibus, ſcilicet à duobus ponderibus unius libræ ſingulis: nam vel hoc Deus faceret addendo reſiſtentiam, aut uberiorem concurſum præbendo ponderi ſolitario; vel diminuendo niſum ponderum coniunctorum, aut minorem eis concurſum præbendo; aliter enim concipi non poteſt: Atqui omnibus illis modis, lancis priùs depreſſæ aſcenſus ad æquilibrium foret tantum à duabus cauſis partiali-

bus. Ergo concipi non poteſt, quomodo eſſe poſſit à pluribus cauſis totalibus.

Objicies primò. Plures Sacerdotes in ordinatione eandem ſimul conſecrant Hoſtiam.

Diſtinguo. Moraliter, concedo: Phyſicè, nego.

Objicies ſecundò: Idem effectus poteſt eſſe ſimul à pluribus cauſis totalibus ſubordinatis: Ergo & à pluribus non ſubordinatis.

Nego paritatem. Aliàs ſequeretur; quòd, ſicut prius fit naturaliter, poſterius naturaliter fieri poſſet, quod nolunt adverſarii. Ratio diſparitatis eſt; Quia cauſæ ſubordinatæ ſe habent ut moventes & motæ; Optimæ autem concipi poteſt eundem effectum eſſe ſimul à pluribus cauſis totalibus, quarum una moveatur ab aliâ; ut patet de ſcripturâ, quæ ſimul eſt totaliter à calamo, totaliter à manu, & totaliter ab animâ: At concipi non poteſt duas cauſas completas attingere eundem effectum concurſu nec ſubordinato nec connexo.

Objicies tertiò. Lumen hîc productum à face A non eſt hîc deterioris conditionis quàm eſſet, ſi non eſſet hîc productum à face A. Atqui ſi non eſſet hîc productum à face A, poſſet hîc produci à face B. Ergo adhuc poteſt.

Reſpondeo, Lumen hîc productum à face A eſſe nobilioris conditionis; quàm ſi non eſſet productum; quia hîc productum, eſt exiſtens, non autem amplius merè poſſibile & producibile; & proinde hîc amplius produci non poteſt.

Objicies quartò. Poteſt Deus eundem effe-

ctum producere diviſim per plures cauſas efficientes totales ejuſdem ordinis, ut patet ex ſuperiori Articulo: Ergo & ſimul. Probatur conſequentia. Cum Deus ſit agens omnipotens, non pendet à certâ differentiâ temporis & loci: Si igitur poſſit facere ut idem calor, qui producitur ab uno igne Romæ; iterum ab altero producatur Pariſiis; quidni facere poſſit, ut idem calor ſimul producatur Pariſiis, ab iiſdem duobus ignibus, tanquam à cauſis totalibus.

Nego paritatem. Ratio diſparitatis eſt; quòd effectus reproductus diverſis locis, aut temporibus, ſit virtualiter duplex vi reproductionis, ſicque poſſit terminare influxum duplicis cauſæ totalis: At verò effectus uno tantùm loco & tempore productus, unicus ſit tum realiter tum virtualiter; ſicque unicæ tantum cauſæ totalis cauſalitatem terminare poſſit. Ad probationem, Fateor Deum non pendere à circunſtantiis loci & temporis: Nihilominus certum eſt Deum non poſſe eodem loco & tempore præſtare, quæ diverſis locis & temporibus poſſet, ratione impoſſibilitatis in effectibus; Sic Deus poſſet facere ut idem corpus in uno loco foret illuminatum, in alio tenebroſum; nec tamen poſſet facere, ut in eodem loco idem corpus foret illuminatum & tenebroſum, quia poſterius repugnat, non prius: Sol facit naturaliter, ut diverſis temporibus idem aër ſit illuſtratus & obſcurus; & tamen nequidem Deus per abſolutam ſuam potentiam, poſſet id eodem tempore, quia repugnat. Ita à pari ex eo

quod Deus poſſit facere ut idem effectus ſit diviſim à pluribus cauſis efficientibus totalibus, non ſequitur id poſſe præſtare conjunctim; quia contradictio non eſt primo, eſt verò in ſecundo, ut probatum eſt.

Objicies quintò. Eadem forma materialis, putà forma ignis, poſſet divinitus educi ex duabus materiis penetrativè poſitis: Ergo à pari, poſſet educi à duabus cauſis efficientibus totalibus penetrativè poſitis; putà à duobus ignibus.

Diſtinguo conſequens. Eadem forma ignis poſſet divinitus educi à duobus ignibus tanquam à cauſis totalibus, ex duabus materiis penetrativè poſitis, adeo ut unus ignis eam educeret ex unâ materiâ, alter ex alterâ, concedo: Ex eadem materiâ, nego. Prius fieri poteſt, quia æquè diverſitas ſubjecti poteſt facere ut eadem forma à duobus agentibus totalibus producatur, ac diverſitas loci: quia, in tali hypotheſi, duo agentia haberent officia diſtincta; unum enim uniret formam uni materiæ, alterum alteri: at ſi eſſet unica materia, agentia non haberent diſtincta officia, ſicque partialiter tantum illum effectum attingerent.

DISSERTATIO POSTERIOR.

De Cauſis in particulari.

ETſi quatuor tantum cauſarum genera cum Peripateticis ſtatuerimus: nihilominus, quia cauſa exemplaris ſuas habet difficultates: ideo ſpecialem de ipſa ſectionem inſtituemus.

inſtituemus. Itaque quinque erunt hujus diſputationis ſectiones ſecundùm ordinem cauſalitatis cauſarum, explicatum in fine præcedentis diſputationis.

SECTIO PRIMA.

De Cauſa Finali.

DE fine egimus in moralibus, tractatu primo, diſputatione ſecunda; hîc agimus de cauſa finali. Quid inter utrumque ſit diſcriminis inde repetes: unde etiam repetes notionem & exiſtentiam cauſæ finalis: cauſas ejus, ſi quæ ſint; ejuſque diviſionem. Reliqua hîc ſequentibus titulis aperiemus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

An finis ſit cauſa, & qualis.

FInis definitur à Philoſopho l.2. Phyſicorum c.3. & l. 5. Metaphyſicorum c. 2. *Cauſa cujus gratiâ*, ſupple fit vel eſt effectus, Itaque ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Finis eſt vera Cauſa.

PRobatur primò authoritate Philoſophi cauſam definientis. l.2. Phyſicorum c.3. id quod reſpondetur ad quæſtionem *propter quid*: Atqui ad talem quæſtionem reſpondetur maximè finis: Ergo ex Philoſopho finis eſt vera cauſa. Adde quòd idem Philoſophus loco citato, & l.5. Metaphyſicorum c.2. finem inter cauſas recenſeat.

Probatur ſecundò ratione. Illud eſt vera cauſa, unde res ſuam exiſtentiam trahit: Atqui à fine res trahit ſuam exiſtentiam: Ergo finis eſt vera cauſa. Probatur minor. Ab eo res trahit ſuam exiſtentiam, quod cæteras cauſas movet ad cauſandum; Atqui finis eſt ejuſmodi: nam ſi tollas influxum finis, tollis influxum agentis, materiæ & formæ; ſi homo non proponat ſibi commodam habitationem, non curat de Architectis, de lapidibus & cæmentis, nec de ſtructurâ ædificiorum; Ergo à fine res ſuam trahit exiſtentiam.

Objicies primò. Vera cauſa debet præcedere effectum: Atqui finis ſemper non præcedit effectum; v. g. ſanitas non præcedit uſum remediorum: Ergo finis non eſt vera cauſa.

Diſtinguo majorem. Vera cauſa debet præcedere effectum, vel ſecundùm intentionem vel ſecundùm executionem, concedo, ſecundùm executionem neceſſariò, ſubdiſtinguo, Si ſit cauſa Phyſica, concedo: ſi Moralis duntaxat, nego. At verò finis præcedit effectum ſecundùm intentionem, quod ſufficit ad cauſam moralem. Sic merita Chriſti non præceſſerunt ſecundùm executionem gratias conceſſas Patribus veteris Teſtamenti; & tamen fuerint earum vere cauſæ morales.

Objicies ſecundò. Illud non eſt vera cauſa, quod verè non exiſtit: Atqui finis ſæpe non exiſtit; ut cùm ægrotus perfectam deſiderat ſanitatem: Ergo finis non eſt vera cauſa.

Diſtinguo majorem. Illud non eſt vera cauſa; quod verè non exiſtit, realiter vel objectivè, concedo : quod non exiſtit realiter, ſubdiſtinguo. Non eſt vera cauſa Phyſica, concedo : Moralis, nego. Sic merita Chriſti objectivè tantùm exiſtentia in mente Patris divini, fuerunt veræ cauſæ morales gratiarum antiquis Patribus conceſſarum.

Inſtabis. Vera cauſa debet verè dare eſſe : Atqui quod exiſtit tantùm objectivè, non poteſt verè dare eſſe : *Cùm nihil det quod non habet* : Ergo quod exiſtit tantùm objectivè, non poteſt eſſe vera cauſa.

Diſtinguo minorem. Quod exiſtit tantùm objectivè, non poteſt verè dare eſſe ; phyſicè, concedo ; moraliter, nego. Probationem eodem modo diſtinguo. Nihil dat phyſicè, quod non habet, concedo: nihil dat moraliter quod non habet nego. Sic merita Chriſti in veteri Teſtamento nondum habebant exiſtentiam realem, quam tamen moraliter dabant gratiis Patriarcharum & Prophetarum.

Secunda Conclusio.

Finis non eſt cauſa Phyſica, ſed Moralis tantùm.

Probatur. Cauſa, quæ non influit phyſicè, non eſt cauſa phyſica, ſed tantùm Moralis : Atqui finis non influit phyſicè : Ergo non eſt cauſa phyſica. Probatur minor. Quod influit phyſicè, debet vel exiſtere, ut Sol illuminans ; vel extitiſſe & reliquiſſe

virtutem aliquam phyſicam, ut lactuca mortua, quæ ſemen reliquit: nihil enim poteſt dare phyſicè quod non habet phyſicè, vel per ſe vel per ſuam virtutem ſuperſtitem; Atqui finis plerumque non exiſtit, nec unquam exſtitit phyſicè; aut ſi exiſtat vel extitit phyſicè, per accidens eſt ad rationem finis, cùm ſine illa exiſtentia phyſica, finis æquè cauſaret: Ergo finis non influit phyſicè.

Objicies. Cauſa moralis ex ſe non eſt efficax; eâ namque poſitâ poteſt non ſequi effectus, ut patet de Oratore, qui eſt cauſa moralis pacis & belli; poſitâ enim ejus oratione poteſt Rex non facere quod ſuaſerit: Atqui cauſa finalis eſt efficax: Ergo cauſa finalis non eſt cauſa moralis.

Diſtinguo majorem. Cauſa moralis merè ſuaſoria, non eſt efficax, concedo: nulla cauſa moralis eſt efficax, nego. Quædam enim ſunt cauſæ morales infallibiliter determinantes. Sic merita Chriſti ſunt tantùm cauſæ morales gratiarum nobis conceſſarum, & tamen Deum infallibiliter determinarunt ad gratias nobis concedendas. Sic merita & demerita hujus vitæ ſunt tantùm cauſæ morales præmii & ſupplicii æterni, & tamen determinant ſemper Deum ad illud præmium vel ſupplicium. Sic aſſenſus præmiſſarum eſt tantùm cauſa moralis aſſensûs concluſionis; & tamen intellectum neceſſitat ad aſſentiendum concluſioni, ut aliàs docuimus in Logicis, diſputatione de Syllogiſmo.

ARTICULUS SECUNDUS.
De Cauſalitate Finis.

PARAGRAPHUS PRIOR.
De Cauſalitate Finis in actu primo.

DUo hîc quæruntur. Primum eſt, quid conſtituat finem cauſam in actu primo. Secundum eſt, utrùm illud, quod conſtituit finem in actu primo, moveat agens ſecundùm reale, vel ſecundùm eſſe intentionale.

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſalitas Finis in actu primo conſiſtit in bonitate verâ vel apparente.

PRobatur. Cauſalitas finis in actu primo conſiſtit in virtute cauſandi ipſius finis, ſeu in eo, per quod habet finis ut poſſit movere agens ad operandum: Atqui bonitas finis vera vel apparens (ex Ariſtotele l.2. Phyſicorum c.3. & l.5. Metaphyſicorum c.2.) eſt virtus cauſandi ipſius, per quam ſcilicet ſolam habet finis ut poſſit movere agens ad operandum: Ergo, &c.

Quod ſpectat ad ſecundam quæſtionem:

Certum eſt bonitatem finis debere neceſſariò cognoſci ab agente primò determinante; nam in agentibus cognitione præditis *ignoti nulla cupido*; in cæteris autem, cognitio eſt in dirigente; ſic cognitio ſcopi non eſt in ſagitta, ſed in ſagittario; cognitio

centri non eſt in lapide, ſed in Deo, à quo moventur res omnes inſenſitivæ, ſicut ſagitta à ſagittante, ut loquitur ſanctus Thomas, 1. 2. quæſt. 12. art. 5. Sed

Quæritur utrùm finis moveat per illam cognitionem tanquam per rationem formalem motivam, vel per realem ſuam bonitatem; ſeu (ut loquitur Schola) utrùm finis moveat ſecundùm eſſe reale, vel ſecundùm eſſe intentionale.

SECUNDA CONCLUSIO.

Finis non movet ſecundùm eſſe intentionale, ſed ſecundùm eſſe reale.

Probatur primò. Per illud movet finis, per quod reſpondetur ad quæſtionem *propter quid:* Atqui ad quæſtionem *propter quid* non reſpondetur eſſe intentionale finis, ſed eſſe totale: quærenti enim cur accerſatur medicus, v. g. non reſpondetur, ut habeatur eſſe intétionale, ſeu cognitio ſanitatis; ſed ut habeatur ipſum eſſe reale ſanitatis: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Per illud cauſat finis, quod agens deſiderat & quo obtento quieſcit: Atqui agens non deſiderat notitiam finis, nec eâ obtentâ quieſcit; ſed deſiderat exiſtentiam realem ipſius finis, quâ ſolâ obtentâ quieſcit, v. g. ægrotus non deſiderat notitiam ſanitatis, cùm ſanitatem nunquam meliùs noverit; ſed deſiderat ſanitatis veram poſſeſſionem: Ergo, &c. Hæc ratio colligitur ex Philoſopho, libro primo ad Eudemum, in fine.

Objicies primò. Finis movet tantùm ſecundùm illud eſſe quod habet dum movet: Atqui dum movet, ſæpius habet tantùm eſſe intentionale, ut cùm æger lethali morbo laborans agit propter ſanitatem: Ergo movet tantùm ſecundùm eſſe intentionale.

Diſtinguo minorem. Finis movens ſæpius habet tantùm eſſe intentionale formale & objectivum, concedo: formale tantùm, nego. Diſtinguo conſequens. Finis movet tantùm ſecundùm eſſe intentionale objectivum, concedo: Formale, nego. Itaque eſſe intentionale duplex eſt, ſcilicet formale, putà ipſa cognitio; & objectivum, putà objectum cognitum: Fateor finem cauſare ſecundùm eſſe intentionale objectivum: ſed concedo non cauſare ſecundùm eſſe intentionale formale, ſeu ſecundùm ſui cognitionem.

Objicies ſecundò. Per illud finis cauſat, quo obtento quieſcit agens: Atqui talis eſt cognitio; namque omnes, qui Philoſophiæ navant operam, v. g. obtentâ cognitione quieſcerent: Ergo finis movet ſecundùm ſui cognitionem.

Diſtinguo minorem. Obtentâ cognitione quieſcit agens, dum intendit finem, cujus bonitas tota ſita eſt in cognitione, concedo: dum intendit finem, habentem bonitatem diſtinctam à cognitione, nego: At qui ſtudent ſpeculabilibus, intendunt tantùm cognitionem, ut finem: Non mirum eſt ergo, ſi eâ obtentâ quieſcant. Adde quòd non quieſcant etiam habitâ cognitione illius notitiæ, quam intendunt ut finem: Alioqui Philo-

ſophiæ Auditores penetratis Prolegomenis Philoſophiæ , ceſſarent à ſtudiis.

Urgebis. Ipſa cognitio movet agens ad agendum : Ergo finis movet per cognitionem.

Diſtinguo antecedens. Cognitio movet agens ad agendum per bonitatem finis, quàm agenti exhibet , concedo : per ſe , nego. Diſtinguo conſequens : Ergo finis movet per cognitionem , tanquam per conditionem ſine qua non , concedo : tanquam per virtutem motivam , nego. Sic ignis comburit per approximationem , tanquam per conditionem; non autem tanquam per virtutem combuſtivam: Idipſum autem eſt cognitio reſpectu finis , quod eſt approximatio reſpectu agentis ; cognitio enim applicat veluti bonitatem finis ipſi agenti , ut illud movere poſſit.

Objicies tertiò. Quod nec habet , nec habere poteſt eſſe reale , non poteſt movere ſecundùm eſſe reale : Atqui talis eſt interdum finis , ut cùm homo lethaliter ægrotans ſumit pharmacum . Ergo finis non movet ſecundùm eſſe reale.

Diſtinguo majorem. Si non habeat eſſe reale verum vel apparens , concedo : ſi non habeat eſſe reale verum , ſed habeat apparens , nego . Finis autem nunquam cauſat, niſi habeat bonitatem quandam ſaltem apparentem & cogitatam ut poſſibilem : At (ut ait Philoſophus l.2. Phyſicorum c.3. & l.5. Metaphyſicorum c.2.) utrùm bonitas finis vera ſit vel apparens nihil refert.

Quærunt hîc nonnulli, utrùm finis moveat per ſuum eſſe reale præſens vel abſens; ſed reſponſio facilis eſt; nam

Primò. Finis non movet per ſuum eſſe reale, ut abſens, tanquam per virtutem motivam; quia agens finis abſentiam non deſiderat, ſed præſentiam.

Secundò. Finis ut obtinendus, movet ſecundùm ſuum eſſe reale ut abſens & poſſibile, tamquam per conditionem ſine qua non; niſi enim finis cognoſceretur ut abſens & poſſibilis, non poſſet agens movere ad quidquam operandum propter ejus aſſecutionem, ut colligitur ex l.8 Polit.c.3.

Tertio. Finis ut fruitivè retinendus, movet ſecundùm ſuum eſſe reale ut præſens; niſi enim finis præſens eſſet, non ſatiaret agens, neque illud in ſui fruitione retineret.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De cauſalitate finis in actu ſecundo.

Quæritur per quid finis actu cauſet & influat in effectum.

Prima Conclusio.

Cauſalitas finis in actu ſecundo eſt motio metaphorica,

Colligitur ex Philoſopho l.1. de Generatione c.7.

Probatur. Illud eſt cauſalitas finis in actu ſecundo, quo intellecto finis intelligitur actu cauſare, & quo ſublato non intelligitur actu

cauſare: Atqui talis eſt motio metaphorica: Ergo, &c.

Objicies. Si cauſalitas finis eſſet motio metaphorica, finis eſſet tantùm cauſa metaphorica; quia talis eſt cauſa, qualis cauſalitas; cùm per cauſalitatem cauſa conſtituatur in eſſe cauſæ: Atqui cauſalitas finis eſſet tantùm metaphorica: Ergo finis eſſet tantùm cauſa metaphorica, quod repugnat primæ concluſioni articuli primi.

℟ Nego ſequelam majoris: ad probationem, nego minorem: Non enim dixi, cauſalitatem finis eſſe cauſalitatem metaphoricam; ſed eſſe motionem metaphoricam, quæ duo multùm differunt. Sicut enim virorem prati eſſe riſum metaphoricum, non eſt virorem prati eſſe virorem metaphoricum, ſed virorem prati metaphoricè riſum vocari, propter analogiam cum riſu hominis: Ita cauſalitatem finis eſſe motionem metaphoricam, non eſt cauſalitatem finis eſſe cauſalitatem metaphoricam, ſed tantùm metaphoricè vocari motionem ſeu attractionem, propter analogiam quandam cum verâ motione verâque attractione; quia finis per ſuam cauſalitatem agens veluti movet & impellit ad agendum, illúdque ad ſe trahit, ſecundùm illud Poëtæ. *Trahit ſua quemque voluptas.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Motio metaphorica nihil aliud eſt, quàm actio agentis prout fit ad intuitum alicujus bonitatis allicientis.

PRobatur. Motio metaphorica (ut diximus) eſt cauſalitas finis; cauſalitas autem finis eſt id, quo poſito ſequitur effectus in virtute finis: Atqui ſola actio agentis, prout fit ad intuitum alicujus bonitatis allicientis eſt ejuſmodi: Ergo, &c.

Confirmatur. Si cauſalitas finis conſiſteret in alio quàm in actione agentis, maximè in exhibitione ſeu repræſentatione alicujus bonitatis allicientis: Atqui non conſiſtit in tali exhibitione, qua cauſalitas finis debet eſſe efficax, quâ ſcilicet poſitâ ſemper ſequatur effectus: At iſta exhibitio non eſt ſemper efficax, ſecundùm illud Poëtæ.

Video meliora; probóque: Deteriora ſequor.

Dices. Si cauſalitas finis foret efficax, tolleret libertatem: Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Si foret efficax independenter à conſenſu voluntatis, tolleret libertatem, concedo: ſi dependenter à conſenſu voluntatis, tolleret libertatem, nego: At efficacia finis in hâc vitâ dependens eſt à libero conſenſu voluntatis ſeſe determinantis ad agendum ad intuitum alicujus bonitatis allicientis.

Objicies. Non poteſt eſſe eadem cauſalitas duarum cauſarum heterogenearum: Atqui ſi

cauſalitas finis conſiſteret in actione agentis; eadem foret cauſalitas duarum cauſarum heterogenearum: Ergo cauſalitas finis non conſiſtit in actione agentis.

Diſtinguo majorem. Non poteſt eſſe eadem formaliter cauſalitas duarum cauſarum heterogenearum, concedo: non poteſt eſſe eadem entitativè cauſalitas duarum cauſarum heterogenearum, nego: Sic eadem unio cauſalitas eſt materiæ & formæ. Actio ergo agentis cauſalitas eſt omnium cauſarum extrinſecarum, ſecundùm diverſas habitudines & connotationes; nam prout venit phyſicè ab agente, vocatur *actio* & motio propria, eſtque cauſalitas agentis; prout ſit ad intuitum alicujus bonitatis, dicitur *allectio* & motio metaphorica, eſtque cauſalitas finis; prout ſit ad imitationem alicujus, dicitur *aſſimilatio*, eſtque cauſalitas exemplaris.

ARTICULUS ULTIMUS.

De effectibus Cauſa finalis.

Finis ſuam vim exercet, tum circa cauſam efficientem, ipſam ad ſuas actiones impellendo; tum circa media, ea aliquo modo ſuâ bonitate reſpergendo.

Quæritur hîc quinam ſint effectus finis, tum ex parte cauſæ efficientis, tum ex parte mediorum.

Prima Concluſio.

Omnes actiones cauſæ efficientis ſunt effectus finis.

PRobatur primò. Ea ſunt effectus finis, quæ fiunt propter finem & dependenter à bonitate finis : Atqui omnes actiones cauſæ efficientis fiunt propter finem & dependenter à bonitate finis ; cùm omnis cauſa efficiens agat propter finem, ut fusè probavimus in Moralibus diſputatione de fine. Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Omnis actio cauſæ efficientis vel verſatur circa finem, vel circa media. Si circa media, certum eſt eam eſſe effectum finis, cùm media ut ſic, non niſi propter finem expetantur : ſi circa finem, eſt etiam effectus finis ; in tantum enim fit,in quantum finis ad ſe allicit agens : Ergo, &c.

Objicies primò. Effectus finis debet fieri ex amore finis : Atqui amor finis non fit ex amore finis, alioqui daretur proceſſus in infinitum ; Ergo amor finis non eſt effectus finis.

Diſtinguo majorem. Hoc eſt, effectus finis debet fieri gratiâ finis, virtute finis, propter finem, concedo : hoc eſt, debet præſupponere amorem finis actualem, nego : At amor finis fit gratiâ finis.

Objicies ſecundò. Fruitio finis ultimi non eſt propter finem : Ergo non eſt effectus finis.

Diſtinguo antecedens. Fruitio finis ultimi

non eſt propter finem aſſequendum, concedo: retinendum, nego: Finis enim ultimus poſſeſſus, ad perpetuam ſui retentionem & fruitionem allicit. Hinc habetur primi Petri cap. 1. quòd *in Deum deſiderent Angeli proſpicere.* Vel ſi mavis, reſpondebis fruitionem finis non eſſe quidem propter finem ultimum formalem; ſed propter objectivum.

Secunda Conclusio.

Bonitas, ordo, menſura & neceſſitas Mediorum ſunt quodammodo effectus Finis.

PRimò enim. Media ut media omnem ſuam bonitatem habent in ordine ad finem; unde cæteris paribus, eò meliora ſunt, quò inſerviunt ad meliorem finem.

Secundò. Ordo mediorum venit aliquo modo à fine; poſtulat enim finis, ut unum medium alteri permittatur, v. g. ſectio venæ, purgationi.

Tertiò Menſura paſſiva mediorum conſiſtit in ordine ad finem; debent enim media commenſurari finibus: v. g. calcei pedibus, pharmaca omnibus ſanandis. Finis ergo eſt menſura & regula activa mediorum; ipſe verò nullam habet menſuram, nullum modum, terminum nullum, nullam mediocritatem; hinc bonum finale quò majus, eo melius: At medium non quò majus eò melius, ex L. 1. Polit. c. 9. ſed quò magis fini commenſuratum: non quò major calceus, eò melior, ſed quò magis pedi proportionatus. Et inde eſt

quòd virtutes, quæ verſantur circa Deum immediatè, nullum agnoſcant exceſſum oppoſitum: cæteræ verò contrà, ut docuimus in Ethicis agendo de medio virtutum.

Quartò denique. Neceſſitas mediorum venit à fine; media enim non ſunt neceſſaria, niſi ex hypotheſi finis: neceſſarius eſt cibus, ſed ſi velis vivere: neceſſarium ſtudium, ſed ſi velis ſcire & ſapere.

SECTIO SECUNDA.

De Cauſa Efficiente.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione & exiſtentia Cauſæ efficientis.

CAuſa efficiens non tam patet quàm τὸ agens; quia Deus in actionibus ad intra eſt agens: nec tamen in iis eſt cauſa efficiens.

Cauſa efficiens vocatur etiam, cauſa agens, cauſa productrix, opifex, conditor, movens; ab Ariſtotele principium motûs & quietis, id eſt, productionis & conſervationis.

Concipitur ut principium, à quo fit effectus.

Tam clara eſt exiſtentia Cauſæ efficientis, ut quemadmodum cæteri motus per motum localem, ut pote omnium notiſſimum expri-

muntur; ita cæteræ cauſæ per cauſam efficientem, earumque cauſalitates per activa vocabula explicentur. Sic dicimus finem movere, materiam ſuſtentare, formam informare, cauſas internas componere, omnes cauſas cauſare & dare eſſe.

CAPUT SECUNDUM.

De definitione & cauſalitate Cauſæ efficientis.

HIc agendum eſſet de cauſis Cauſæ efficientis, ſi quas agnoſceret: ſed loco cauſarum, dicendum eſt de ejus definitione, & cauſalitate, quæ ſunt veluti cauſæ formales metaphyſicæ ipſius cauſæ efficientis.

Cauſa efficiens definitur à Philoſopho l. 2. Phyſicorum cap. 3. & lib. 3. Metaphyſicorum cap. 2. Id unde primum principium mutationis & quietis. Dicitur 1. *id*, id eſt, ea cauſæ, & hæc particula tenet locum generis, Dicitur 2. *unde*, id eſt, cauſa à quâ: quæ particula tenet locum differentiæ, per quam cauſa efficiens differt à cæteris cauſis: cauſa enim finalis eſt cauſa propter quam, materialis ex quâ, formalis per quam; nulla autem alia eſt cauſa à quâ, præter cauſam efficientem. Dicitur 3. *Unde primum principium*; id eſt prima origo, prima ſcilicet ſecundùm ordinem executionis, non ſecundùm ordinem intentionis, effectus priùs pendet à fine, quàm ab efficiente. Dicitur denique *mutationis & quietis*: quæ particulæ ſi propriè ſumantur, denotant

denotant tantùm cauſam efficientem naturalem & phyſicam, quæ non agit niſi immutando materiam præſuppoſitam; ſi verò latè ſumantur, nimirùm mutatio pro qualibet productione, & quies pro qualibet conſervatione; definitio convenit omni cauſæ efficienti etiam creanti. Et ſic debent intelligi hîc illæ particulæ; res enim, quæ producitur & fit, mutatur aliquo modo, in quantum tranſit de non eſſe ad eſſe: res verò quæ conſervatur, quieſcit aliquo modo in ſuo eſſe.

Senſus ergo definitionis Ariſtotelicæ hic eſt: Cauſa efficiens eſt ea cauſa, à qua eſt prima origo omnis productionis & conſervationis. Alii cauſam efficientem definiunt primum principium omnis mutationis, & quietis.

Clariùs. Cauſa efficiens eſt cauſa, à quâ producitur effectus.

Quod ſpectat ad cauſalitatem cauſæ efficientis ſit.

Prima Concluſio.

Cauſalitas Cauſæ efficientis in actu primo eſt virtus activa.

Probatur. Cauſalitas cauſæ efficientis in actu primo, eſt id, quo poſito cauſa efficiens intelligitur poſſe cauſare; & quo ſublato non intelligitur poſſe cauſare: Atqui virtus activa eſt ejuſmodi: nam omnipotentiâ intellectâ, v.g. Deus intelligitur omnia poſſe producere; virtute genitivâ intellectâ, intelligitur animal poſſe generare. Ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cauſalitas cauſæ efficientis in actu ſecundo eſt actio.

PRobatur. Cauſalitas cauſæ efficientis in actu ſecundo eſt id, quod conſtituit cauſam efficientem in eſſe cauſæ actualis: Atqui actio conſtituit cauſam efficientem in eſſe cauſæ actualis, v. g. calefactio conſtituit ignem actu calefacientem, & illuminatio ſolem actu illuminantem: Ergo, &c.

Confirmatur. Ita ſe habet actio ad agens, ſicut ſe habet cauſalitas in genere ad cauſam in genere: ſicut enim cauſalitas eſt abſtractum cauſæ; ita actio eſt abſtractum agentis: Atqui cauſa conſtituitur in eſſe cauſæ in actu ſecundo per cauſalitatem actualem: Ergo cauſa agens conſtituitur in eſſe cauſæ agentis in actu ſecundo per actionem actualem.

Agunt hîc vulgò Philoſophi de Actione; ſed nos de ea ſatis diximus in Categoriis, Sectione de Actione, ad quem locum recurrendum eſt.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus Cauſæ efficientis.

MUltæ ſunt proprietates cauſæ efficientis, ſcilicet indiſtantia ejus à patiente; ejus diſtinctio à patiente; ejus exceſſus (ſeu, ut loquuntur, proportio majoris inæqualita-

tis) ſuprà patiens; ſphæra ejus activitatis; & proportio agendi : quæ omnia licet ad Phyſicam vulgò remittantur, nihilominùs hoc Capite explicabuntur à nobis, ne mutila ſit noſtra de Cauſa efficiente tractatio.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm dari poſſit actio in diſtans.

OBſervatur primò, duplicem eſſe contactum, unum mathematicum & ſterilem, qui eſt ſine actione rerum contiguarum, qualis eſt contactus duorum lapidum: alterum phyſicum, qui eſt cum actione unius in aliud; qualis eſt contactus ignis cum ligno.

Obſervatur ſecundò, contactum phyſicum duplicem eſſe; ſcilicet ſuppoſiti, & ſolius virtutis. Contactus ſuppoſiti eſt ille, quo ſuppoſitum agentis immediatè præſens eſt ſuppoſitio patientis; quomodo ignis contingit lignum quod comburit.

Contactus ſolius virtutis eſt ille, quod agens localiter diſtans à paſſo, ſuam virtutem uſque ad ipſum, per medium tranſmittit; qualem contactum Sol habet reſpectu infimæ regionis quam illuminat, ſuum lumen per totum medium tranſmittendo.

Obſervatur tertiò, medium corpus inter agens & patiens poſſe habere aut rationem coagentis tantùm; aut rationem compatientis tantùm; aut rationem utriuſque ſimul. v. g. pars propior carbonis accenſi habet

rationem coagentis tantùm reſpectu partis remotioris, quia remotior ita agit per illam, ut in ipſa nihil producat, ſed tantùm cum ipſa agat in patiens. Aër habet rationem compatiens tantùm reſpectu oculi recipientis ſpecies intentionales ab objectis viſibilibus; quia ita eas recipit, ut cum ipſis non poſſit ſimiles producere: At verò idem aër habet ſimul rationem coagentis & compatientis reſpectu caloris ab igne producti, uſque ad paſſum diſtans: quia ita recipit ab igne calorem, ut poſteà calefactus ſimul cum igne concurrat ad calefaciendum. His prænotatis,

Certum eſt primò, non requiri contractum ſuppoſiti inter agens & patiens, ut patet ex eo quòd Sol agat in res à ſe diſſitiſſimas.

Certum eſt ſecundò, nihil referre utrùm medium habeat rationem, aut coagentis tantùm, aut compatientis tantùm, aut utriuſque ſimul, ut liquet per exempla in ultimâ obſervatione allata.

Quæritur ergo utrùm dari poſſit actio in paſſum omnino diſtans: id eſt ita ut medium nec habeat rationem coagentis, nec compatientis. Et hæc quæſtio poteſt intelligi, vel de potentia naturali, vel de potentia abſoluta.

Conclusio.

Naturaliter agens non poteſt agere in paſſum omnino diſtans.

EST Ariſtotelis l. 5. de Generatione c.6. & l.7. Phyſicorum c.2. Ubi probat ex profeſſo amplâ inductione, movens in omni motu ſimul eſſe cum mobili.

Probatur primò experientiâ, quâ conſtat impediri actionem, ſi medium intercipiatur incapax & recipiendi influxum agentis, & cum agente coagendi. v. g. ſi intercipiatur corpus opacum, ſtatim impeditur luminis diffuſio; ut patet in ecclipſi Lunæ, quæ tantùm oritur ex interpoſitione corporis terreni, per ſuam opacitatem impedientis tranſmiſſionem luminis ſolaris uſque ad Lunam.

Probatur ſecundò. Si agens naturaliter agere poſſet in paſſum omnino diſtans, nulla eſſet ſphæra activitatis agentium naturalium, quæ ſcilicet in hoc conſiſtit, ut quò longiùs extenditur actio, eo magis decreſcat: tum quia agens calidum v.g. Pariſiis exiſtens, quod ex ſe poſſet calefacere ſpatium centumpedale, poſſet calefacere naturaliter hominem Romæ exiſtentem, ſi nimirum nihil ageret per ſpatium intermedium, ſed totam ſuam activitatem reſervaret pro homine Romano; tum quia per medium non diminueretur activitas agentium naturalium. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Objicies primò. Baſiliſci occidunt homi-

nes diſtantes; ignis comburit naphtham diſtantem: Torpedo piſcis torpefacit manum piſcatoris diſtantem; quædam vetulæ naturaliter faſcinant pueros diſtantes: Ergo dari poteſt actio in diſtans.

Nego conſequentiam; hæc enim omnia fiunt per tranſmiſſionem aut particularum ſubtiliorum, aut qualitatum: nam baſiliſci immittunt tetros quoſdam vapores, ignis exiguas quaſdam ſcintillas, torpedo qualitatem quandam ſtupefactivam, vetulæ præcipuè inediâ laborantes, ſpiritus quoſdam tabificos, ut explicat ſanctus Thomas quæſtione 16. de malo, articulo 9. ad ultimum.

Objicies ſecundò. Homines viſo eminus lupo raucedinem contrahunt, ſecundùm illud Poëtæ.

Lupi Mœrim vidêre priores:

Ergo datur actio in diſtans.

Nego conſequentiam, quia aut raucedo illa, (ſi qua ſit) contrahitur per ſpiritus quoſdam à lupo emiſſos; aut (quod probabilius crediderim) viſo ex improviſo lupo, ita præ timore turbulentè excitantur ſpiritus & humores hominis, ut raucedo ſequatur.

Objicies tertiò, Magnes attrahit ferrum diſtans, non attrahendo aërem intermedium; Ergo agens poteſt agere in diſtans.

Nego conſequentiam: Magnes enim immittit virtutem quandam attractivam per aërem intermedium.

Inſtabis. Aër eſt capax attractionis localis, nec tamen magnas attrahit aërem: Ergo non immittit virtutem attractivam per aërem.

Diſtinguo antecedens. Aër eſt capax attractionis localis, quæ fit per ſimplicem motum localem, concedo: quæ fit per ſympathiam cum magnete, nego. Sic quædam liquefieri poſſunt, quæ tamen à ſole liquefieri non poſſunt, ut patet de ſale & ſaccharo: Ita à pari, quæcumque attrahi poſſunt, non propterea à magnete attrahi poſſunt.

Objicies quartò. Sol calefacit aërem; nec tamen calefacit cælos intermedios: Ergo agens agit in diſtans, non agendo per medium.

Diſtinguo conſequens: Ergo agens agit in diſtans, non agendo per medium; hoc eſt non producendo eundem effectum ſecundarium in medio, concedo: hoc eſt non producendo aliquem effectum primarium in medio, nego. Nimirùm Sol ubique producit aliquem effectum primarium, putà lumen, aut aliquam qualitatem occultam: quà mediâ varios producit effectus ſecundarios pro variâ diſpoſitione recipientium. Sic ignis eundem producit ubique effectum primarium, putà calorem, quo medio varios producit effectus ſecundarios, pro variâ capacitate patientium: alia enim corpora liquefacit, alia indurat, alia inflammat, alia coquit, &c.

Objicies quintò. Fundus lebetis ebullientis tangi poteſt impunè: Ergo ignis ſuppoſitus agit in aquam non agendo per medium fundum.

Nego conſequentiam. Nam ideo tangi poteſt impunè lebetis ebullientis fundus, quia

partibus aquæ calidioribus ſurſum aſcendentibus, partes frigidiores præ ſua gravitate deſcendunt in fundum lebetis, ſeſeque in ejus poros inſinuant; quo fit ut propter ſummum frigus illarum partium quibus lebetis pori repleti ſunt, ſentiri non poſſit calor fundi; qui tamen maximus eſt, ut patet ex eo quòd ſi effundatur aqua ebulliens, tangi non poſſit ampliùs fundus impunè.

Secunda Conclusio.

Ne quidem divinitus dari poteſt actio in diſtans.

Probatur. Non poteſt agens divinitus agere, niſi ubi eſt aut per ſe aut per ſuam virtutem emiſſam; ſicut non poteſt agere divinitus niſi quando eſt aut per ſe, aut per ſuam virtutem conſervativam: Atqui ſi daretur actio in diſtans, agens ageret ubi nec eſſet per ſe, nec per ſuam virtutem emiſſam: Ergo ne quidem divinitus poteſt dari actio in diſtans.

Confirmatur. Agens hoc anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio exiſtens, ne quidem divinitus poterit agere anno milleſimo ſeptingenteſimo, niſi aut per ſe, aut per ſuam virtutem duret per omne tempus intermedium; aut ſaltem ipſum vel virtus ejus tali anno à Deo reproducatur: Ergo à pari, agens Lutetiæ exiſtens nequidem divinitus poteſt agere Romæ; niſi aut per ſe aut per ſuam virtutem tranſeat per omne ſpatium intermedium;

intermedium ; aut ſaltem ipſum vel virtus ejus Romæ reproducetur : Ergo ne quidem divinitus poteſt dari actio in paſſum omnino diſtans.

Objicies. Deus poteſt ſupplere conditiones ſine quibus non ; atqui approximatio agentis eſt tantùm conditio ſine qua non : Ergo Deus poteſt eam ſupplere.

Diſtinguo majorem. Deus poteſt ſupplere conditiones purè morales, concedo : phyſicas, nego. Sic poteſt abſolutè producere gratiam in infante ſine Baptiſmo, quia Baptiſmus eſt tantùm conditio moralis : ſed non poteſt ſupplere intimam præſentiam localem materiæ & formæ reſpectu corporis naturalis componendi ; non poteſt ſupplere cognitionem reſpectu amoris voluntarii, quia iſtæ conditiones ſunt phyſicæ : At contactus agentis eſt conditio phyſica ; cùm ex naturâ rei requiratur.

Inſtabis. Diſpoſitiones materiæ ad formam ſubſtantialem ſunt conditiones phyſicæ : Atqui Deus poteſt illas ſupplere : poteſt enim unire formam materiæ non diſpoſitæ : Ergo Deus poteſt etiam ſupplere conditiones phyſicas.

Diſtinguo majorem. Diſpoſitiones materiæ ſunt conditiones phyſicæ determinantes materiam, concedo : applicantes materiam, nego. Diſtinguo conſequens : Ergo Deus poteſt ſupplere conditiones phyſicas merè determinantes, concedo : applicantes nego: Diſpoſitiones requiruntur tantùm ex parte materiæ, ut materia de ſe indifferens ad plu-

res formas ſpecificas, ad unam potiùs quàm ad alteram determinetur: At optimè concipi poteſt quomodo Deus extrinſecè determinet materiam ad hanc ſpecie formam; ſicut eam extrinſecè determinat ad hanc numero formam. At verò indiſtantia localis eſt conditio phyſica applicans materiam formæ; unde ſuppleri non poteſt; non enim magis causa non applicata cauſare poteſt, quàm cauſa non exiſtens.

ARTICULUS SECUNDUS.

De diſtinctione Agentis à Paſſo.

QUæritur utrùm idem poſſit agere in ſeipſum? quod ut ſolvas,

Nota actionem aliam eſſe univocam quæ terminatur ad effectum ejuſcem naturæ cum principio productivo, qualis eſt calefactio hominis ab igne; aliam æquivocam, quæ terminatur ad effectum diverſæ naturæ à principio productivo, qualis eſt calefactio hominis à vino.

PRIMA CONCLUSIO.

Idem poteſt agere in ſeipſum actione æquivocâ.

PRobatur inductione. Aqua calida ſeipſam frigefacit; anima in ſe ipſa producit intellectionem & volitionem; liberum arbitrium ſe ipſum ad agendum movet & determinat: Ergo, &c.

Objicies. Idem non poteſt eſſe ſimul in actu, & in potentiâ, reſpectu ejuſdem: Atqui ſi idem ageret in ſeipſum actione æquivocâ, ſimul eſſet in actu, & in potentiâ, reſpectu ejuſdem. Eſſet in actu, quia eſſet agens; omne autem agens eſt in actu: eſſet in potentiâ; quia eſſet patiens; omne autem patiens eſt in potentiâ: Ergo id fieri non poteſt.

Diſtinguo majorem. Idem non poſſet eſſe ſimul in actu formali, & in potentiâ, reſpectu ejuſdem, concedo: idem non poteſt eſſe ſimul in actu virtuali, & in potentiâ, reſpectu ejuſdem, nego. Sic idem vinum, quod eſt actu virtualiter calidum, eſt potentiâ formaliter calidum: At ex eo quòd idem agit in ſe ipſum actione æquivoca, ſequitur tantùm quòd ſit in actu virtuali, & in potentia formali reſpectu ejuſdem effectûs: agens enim æquivocum effectum virtualiter tantùm continet.

SECUNDA CONCLUSIO.

Idem non poteſt agere in ſeipſum actione univocâ.

PRobatur ex Philoſopho lib. 1. de Ortu cap. 7.

Idem non poteſt eſſe ſimul in actu formali, & in potentiâ, reſpectu ejuſdem, v. g. non poteſt idem corpus ſimul eſſe actu formaliter calidum, & potentiâ calidum; alioquin ſimul eſſet formaliter calidum, & non calidum, quod repugnat: Atqui ſi idem poſſet

agere, in ſeipſum actione univocè, idem ſimul eſſet in actu formali, & in potentiâ reſpectu ejuſdem. Eſſet in actu formali, quia omne agens univocum eſt in actu formali reſpectu effectûs, quem ſcilicet formaliter continet. Eſſet verò in potentiâ, quia haberet rationem patientis; omne autem patiens eſt in potentiâ: Ergo, &c. Hoc argumentum colligitur ex Philoſopho l.8. Phyſicorum cap.5. apud Duvallium 6.

Objicies primò. Homo hyeme decumbens in linteis frigidis ſeipſum calefacit; Ergo idem poteſt agere in ſeipſum actione univocâ.

Nego antecedens. Non enim homo tunc ſe ipſum calefacit, ſed ſpiritus & halitus calidi perpetuò ex ejus poris, per impoſſibilem (ut aiunt Medici) tranſpirationem exeuntes, à ſtragulis retenti, ipſum hominem calefaciunt; ut patet ex eo quòd nunquam lapis aut cadaver in linteis calefieret.

Objicies ſecundò. In antiperiſtaſi idem agit in ſe ipſum univocè: v. g. hyeme aquæ fontanæ & puteales ſe ipſas calefaciunt: Ergo idem poteſt agere in ſeipſum univocè.

Huic objectioni ut fiat ſatis, explicanda eſt antiperiſtaſis.

ARTICULUS UNICUS.

De Antiperiſtaſi.

Antiperiſtaſis propriè ſignificat reſiſtentiam quandam adversùs aliquam qualitatem extrinſecùs circunſtantem & obſidentem.

Deſcribitur à Scaligero, (Contrariæ naturæ obſidium.)

Definitur à Philoſophis, (Actio quâ agens aliquod ab obſidente contrario oppugnatum invaleſcit aliquo modo ad retundendas contrarii vires.)

Antiperiſtaſis duplex eſt : ſcilicet impropria & propria.

Impropria eſt ea, quâ agens à contrario obſeſſum evadit quidem activius, ſed non intentius : ut dum ignis hyeme apparet ardentior, quia adurentis frigoris obſidione ita coërcetur & conſtringitur, ut vix ullæ partes igneæ diffluant, *Virtus autem unita eſt fortior ſeipsâ diſpersâ*, ut communi fertur axiomate : propter quam etiam rationem ignis validior eſt in aprico, quàm in irradiato loco.

Propria eſt ea, quâ agens à contrario obſeſſum non tantùm evadit activius, ſed intenſius, & de illâ ſolâ difficultas eſt inter Philoſophos, an, & quomodo fiat.

PRIMA CONCLUSIO.

Datur Antiperiſtaſis propria.

PRobatur contra Galenum, Cardanum, Hugonem Senenſem, & Valeſium multis experientiis. Primò, Inde oriuntur fulmina, quod exhalationes ab aëre frigido mediæ regionis cinctæ ita incaleſcant, ut ignem concipiant. Secundò, Hyeme fundus maris & fluminum calidior eſt, ut patet ex eo quòd tunc piſces ad eum ſeſe recipiant, vixque ad ſuperiores partes enatent. Tertiò, Eâdem tempeſtate ſuperficies terræ nive operta calidior eſt, quàm ſi eſſet nuda, ut patet ex eo quòd meliùs ſub nive conſerventur ſegetes. Quartò, Calx viva injectâ aquà inardeſcit. Quintò, Æſtate cellæ vinariæ profundiores ita frigidæ ſunt, ut ſi quis incaleſcens diutiùs in ipſis commoretur, periculoſiſſimum contrahit morbum. Sextò, Calor ventriculi hyeme major eſt, quàm æſtate, ut teſtantur acutior fames, & coctio promptior. Septimò denique, Res ſubterraneæ, ut aquæ puteales & fontanæ, hyeme calidiores ſunt, æſtate verò frigidiores, propter obſeſſionem agentis contrarii, ex Philoſopho l. primi Meteor. cap.12. ubi dicit etiam ob anteperiſtaſim, in regionibus calidioribus, ut in Arabia & Æthiopia ſæpiùs & impetuoſiùs pluere æſtate quàm hyeme.

Nec ſatisfaciunt Galenus & Cardanus, dicendo iſtiuſmodi aquas eſſe tantùm cali-

diores apparenter ; eò quòd hyeme manibus frigidioribus eas tangamus. Tum quia, etſi calidis manibus iſtæ aquæ attrectarentur hyeme, adhuc calidiores ſentirentur quàm æſtate. Tum quia fumi è puteis & fontibus hyeme perpetuò exundantes, id ſatis indicant. Tum quia id patet ex comparatione iſtiuſmodi aquarum cum aquis fluvialibus ; Si enim aquæ puteales & fontanæ non ſunt hyeme calidiores, cur non tam facilè gelu concreſcunt ac fluviales ?

Non ſatisfaciunt etiam Hugo Senenſis & Valeſius, dicendo qualitates in antiperiſtaſi non intendi, ſed tantùm acui per majorem condenſationem partium. Tum quia ſi hoc eſſet, ſitula aquâ puteali plena, hyeme gravior eſſet quàm æſtate ; quod eſt contra experientiam. Tum quia quò aqua magis calefacta eſt, eò eſt rarior : Ergo aquæ puteales & fontanæ hyeme non tepeſcunt propter majorem condenſationem.

Jam verò ſtabilitâ exiſtentiâ propriæ antiperiſtaſeos ; quæritur cauſa intenſiva qualitatis obſeſſæ.

Coronellus recurrit ad ipſum naturæ Authorem, qui debilioris agentis undique à fortiori contrario obſeſſi miſertus, uberiori quodam concurſu illud juvet, non tantùm ad conſervationem, ſed & ad augmentationem ſuæ qualitatis.

Muliebris ſanè explicatio : Brevi ſolverentur nodi omnes Philoſophi, ſi fas eſſet ad Authorem naturæ ſic confugere : In explicatione effectuum naturalium, non eſt ad

Deum recurrendum, quoties ſuppetunt cauſæ naturales; Hîc autem ſuppetunt, ut poſteà patebit.

Paulus Venetus dicit è primis qualitatibus ſpecies intentionales perpetuò effluere, ſicut revera effluunt è coloribus; quæ ſpecies occurſu agentis contrarii reflectantur in corpus obſeſſum; ſicut ſpecies viſibiles occurſu ſpeculi reflectuntur versùs objectum; ſicque repercuſſæ qualitatem corporis obſeſſi augeant & intendant.

Somnium · tum quia etſi darentur ſpecies intentionales tactiles (quod examinabitur in animaſtica,) non haberent contrarium; nec proinde repercuterentur à contrario. Sicut enim ſpecies viſibiles non habent contrarium; cùm ſpecies albedinis & nigredinis ſimul in eodem aëre, vel oculo recipiantur; ita nec ſpecies tactiles haberent contrarium. Tum quia ſi dentur ſpecies intentionales caloris aut frigoris, ſunt tantùm ad illarum qualitatum contactum vitalem; non autem ad earum productionem aut intenſionem: ſpecies enim intentionales non ſunt productivæ qualitatum realium, ſed aut cognitionum, aut ad ſummum aliarum ſpecierum intentionalium.

Ut probabilior ſententia ſtabiliatur, notandum eſt qualitatem, quæ per antiperiſtaſim intenditur, vel eſſe ſubjecto inimicam, ut cùm hyeme aquæ puteales incaleſcunt, propter obſidium frigoris; vel eſſe ſubjecto amicam, ut cùm æſtate eædem aquæ fiunt frigidiores, propter obſeſſionem caloris.

Secunda Conclusio.

Qualitas inimica in Antiperiſtaſi augetur à corpuſculis retentis.

PRobatur exemplis. Primò, calor exhalationum in nube intenditur interdum; eò quòd ſpiritus quidam calidi & igniti vi circunſtantis frigoris in ipſis exhalationibus recluſi, ita eas calefaciant, ut ex illis generent fulmina. Secundò, Fundus maris & fluminum, & ſuperficies terræ nivibus operta, hyeme tepeſcunt aliquo modo, propter exhalationes ibi diutiùs retentas propter obſeſſionem agentium frigidiorum. Tertiò, calx viva ex aquæ ſuperfuſione inardeſcit, quia puriores ſpiritus in extimam calcis ſuperficiem frigore aquæ condenſatam incurrentes, ad eam alliſi ad interiora ſeſe recipiunt, & ſic ſe collidendo inflammantur, cæteroſque ſpiritus priùs conſopitos excitant; hinc fervor aquæ. Quartò, Cauſa intenſiva caloris locorum ſubterraneorum & aquarum putealium & fontanarum hyeme, eſt, quia aëre nimio frigore denſato, exhalationes à ſole, cæteriſque Aſtris excitatæ, aërem facilè non poſſint dividere, proindéque diutiùs in locis & aquis ſubterraneis retentæ, calorem ibi & excitent & intendant; Eo ferè modo quo fuligines è poris noſtris perpetuò exeuntes à multis ſtragulis retentæ nos hyeme in cubilibus calefaciunt.

Ratio autem cur aquæ illæ ſubterraneæ

hyeme incaleſcant potiùs, quàm fluviales, eſt, quia halitus calidi non tandiu manent in fluminibus, à ſolo ſcilicet aëre ſatis permeabili obſeſſis; diutiùs autem manent in aquis ſubterraneis, eò quòd terræ ſuperficies frigore, aut gelu etiam conſtricta, illis halitibus omnem exitum præcludat: adeò ut non aliam viam nacti, quàm eam, per quam aquæ ſubterraneæ fluunt; quâ data porta ruant, aquiſque fluentibus immiſceant ſeſe, eaſque ſic calefaciant.

Tertia Conclusio.

Qualitas amica in Antiperiſtaſi ſæpè augetur à ſolâ formâ ſubſtantiali.

Probatur exemplis. Primò, Æſtate augetur frigus locorum ſubterraneorum, & aquarum fontanarum & putealium, eò quòd terrâ aliquo modo dehiſcente, & aëre rarefacto, facilè exeant halitus calidi ab aſtris excitati; à quibus libera corpora iſta, ex naturâ ſuâ frigida, ad priſtinum frigus à formâ ſuâ ſubſtantiali reſtituuntur. Secundò, Aqua calida ſolaribus radiis expoſita, citiùs refrigeſcit quàm in locis apricis, eò quòd aëre per æſtivum calorem attenuato facilè diffluant partes calidiores, à quibus immunis aqua ſtatim redit ad amicum frigus.

Dixi, ſæpè in antiperiſtaſi amicam qualitatem augeri à ſolâ formâ ſubſtantiali; nam nonnunquam etiam juvatur forma ſubſtantialis à quibuſdam corpuſculis. v. g. inten-

ditur initio calor eorum, qui hyeme contrectant glaciem aut nivem, eò quòd anima mittat in ſubſidium partis laborantis ſpiritus calidos, qui cùm propter conſtrictionem pororum, non facilè poſſint egredi, ipſam formam ſubſtantialem juvant, ad intendendum calorem in manibus: Sic etiam hyeme juvatur anima à ſpiritibus & halitibus calidus intus retentis, ad calorem naturalem fovendum & intendendum in ſtomacho.

Ex quibus patet, in Antiperiſtaſi idem non agere in ſeipſum actione univocâ; nam ubi antiperiſtaſis fit per retentionem corpuſculorum, idem non agit in ſeipſum; ſed corpuſcula retenta agunt in corpus in quo retinentur: in antiperiſtaſi autem, in qua intentio fit à formâ ſubſtantiali, idem quidem agit in ſeipſum, ſed actione æquivoca, ut ſatis patet.

TRACTATUS TERTIUS.

De exceſſu agentis ſupra Paſſum.

HAnc quæſtionem variis verbis exprimunt Authores: Plerique petunt, utrùm ſimile poſſit agere in ſimile: Alii, utrùm omnis actio debeat eſſe à proportione majoris inæqualitatis: Alii denique, utrùm agens excedere debeat qualitatem paſſi?

Notandum primò, hanc quæſtionem intelligi tantùm de actione alterutrâ (ſeu qualitatis productivâ:) & quidem non de qualibet, ſed de alteratione univocâ, hoc eſt de eâ

alteratione, quâ agens producit in paſſo qualitatem ejuſdem ordinis, cum ſuâ qualitate activâ, v. g. quâ agens calidum calefacit, aut frigidum frigefacit.

Notandum ſecundò, Agens poſſe eſſe ſimile paſſo in rebus. Primò, in qualitate tantùm, quomodo ignis ſimilis eſt homini in calore. Secundò, in qualitate & in gradu tantum, quomodo ferrum calidum ut ſex, ſimile eſt paleæ calidæ ut ſex. Tertiò denique, in qualitate, gradu & conditionibus agendi, hoc eſt in denſitate & raritate; quomodo ferrum calidum ut ſex, ſimile eſt alteri ferro calido ut ſex; & palea calida ut tria, ſimilis eſt alteri paleæ etiam calidæ ut tria.

Certum eſt primò, Agens ſimile in ſolâ qualitate; & excedens in gradu, poſſe agere in paſſum ſimile: ſic ignis calefacit adhuc hominem calidum.

Certum eſt ſecundò, Agens ſimile in qualitate, gradu & conditionibus agendi, hoc eſt in raritate & denſitate, non poſſe agere in ſimile, quia *ſublato fine ceſſat motus & actio*; Finis autem agentis eſt aſſimilare ſibi paſſum: ſi ergo agens reperiat paſſum omnino ſibi ſimile, in illud ampliùs non agit; hinc ignis non calefacit ignem. Ita ferè Philoſophus ilb. primi de Generatione cap. ſeptimo.

Quæritur autem, nunquid agens ſimile in qualitate & gradu, modò ſit diſſimile in conditionibus agendi, poſſit agere in aliud, v. g. nunquid lignum calidum ut ſex, propter eam quam habet denſitatem, poſſit intendere calorem paleæ calidæ, etiam ut ſex?

Conclusio.

Agens ſimile in qualitate & gradu, etſi denſius, non poteſt agere in ſimile.

PRobatur primò ex illo axiomate, *Omnis actio debet eſſe à proportione majoris inæqualitatis*, id eſt: omne agens univocum debet eſſe fortius paſſo ſecundùm eam qualitatem, ſecundùm quam agit: Atqui ſi ſimili in qualitate & gradu, etſi denſius, ageret in ſimile, iſta actio non eſſet à proportione majoris inæqualitatis: Ergo non poteſt.

Probatur ſecundò. In tantùm agens agit, in quantum eſt in actu reſpectu ejus, ad quod patiens eſt in potentiâ: Atqui duorum ſimilium in qualitate & in gradu, tam unum eſſet in actu, quàm aliud: Ergo neutrum ageret in aliud: ut colligitur ex l.1. de Ortu cap.7. Deinde ſi ſimile poteſt agere in ſimile; quidni idem in ſeipſum? inquit Philoſophus ibidem; cùm idem ſit ſibi maximè ſimile, ex eodem Philoſopho.

Probatur tertiò. Agens agit tantùm ut aſſimilet ſibi paſſum, ex Philoſopho lib.1. de Generatione cap. 7. Atqui ſi ſimile in qualitate & gradu, etſi denſius, ageret in ſimile, non aſſimilaret ſibi paſſum; imò potiùs illud redderet ſibi diſſimile: namque ſi ferrum calidum ut ſex, v. g. calefaceret paleam jam calidam ut ſex, illam ſibi planè redderet diſſimilem: primò enim redderet diſ-

ſimilem in gradu, ut ſatis patet; ſecundò eam redderet ſibi diſſimilem in denſitate, quia eam adhuc rariorem efficeret, cùm proprium ſit caloris rarefacere.

Probatur quartò. Si ſimile in qualitate & gradu, etſi denſius, ageret in ſimile, intenſio qualitatis augeretur in infinitum: nam ſi v. g. ferrum calidum ut ſex propter majorem denſitatem, calefaceret paleam item calidam ut ſex, illa poſteà palea ut potè calidior, calefaceret ferrum; quod poſteà magis calefactum, propter majorem denſitatem, calefaceret adhuc paleam, & ſic in infinitum. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Objicies primò. Agens denſius eſt activius; Ergo poteſt agere in rarius, cæteris etiam paribus.

Diſtinguo antecedens. Agens denſius eſt activius quoad tempus & locum, id eſt & citiùs & longiùs agit, concedo: eſt activius quoad gradum, id eſt intenſiùs agit, ſubdiſtinguo. Eò quòd agens rarius non tamen propè ſibi aſſimilet effectum, concedo: eò quòd illud agens denſius agat ſupra propriam intenſionem; nego: At ut ſimile ageret in ſimile, oporteret ut agens ageret ſupra propriam intenſionem.

Objicies ſecundò. Agens æquivocum producit effectum ſe intenſiorem, v. g. lumen beneficio ſpeculi uſtorii, producit calorem ſe intenſiorem; quia illud lumen multùm diſtat à lumine ut octo, ut patet ex eò quòd multùm diſtet à luce ſolari; & tamen producit calorem valdè accedentem ad octo

gradus, cùm comburat: Ergo à pari, agens univocum producere poteſt effectum ſe intenſiorem.

Nego paritatem Ratio diſparitatis eſt, quòd agens æquivocum, præſertim nobilius, compenſat dignitate entitatis, quod ſibi deeſt ſecundùm gradus intenſionis: At agens univocum; ut potè ſimile in entitate, nihil habet, quo compenſet defectum intenſionis; nam major diverſitas non facit, ut agens agat ſupra proprias vires, ut diximus in ſolutione ſuperioris objectionis.

Objicies tertiò. In reflexione luminis ſolaris, paries illuminatus auget lumen aëris intermedii: Ergo ſimile poteſt agere in ſimile.

Ut iſti objectioni fiat ſatis, explicanda eſt reflexio qualitatum.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De reflexione Qualitatum.

Reflexio in motu locali, eſt reditus localis rei motæ, à termino ad quem versùs terminum à quo. In qualitatibus verò eſt reditus (non quidem localis ſed) propagativus qualitatis propter aliquem obicem. Sic fit reflexio radiorum ſolarium à lunâ ad terram, &, à terrâ ad mediam aëris regionem. Talis fit quoque reflexio ſpecierum opticarum à ſpeculis vulgaribus, & ſoni à locis cavernoſis; & hinc Echo.

Porrò, non omnes qualitates reflectuntur,

nam calor propriè non reflectitur : licet enim laminæ focis appoſitæ carnium aſſationem juvent , hoc tamen non venit ex reflexione propriè dictâ ; alioqui versùs unam tantùm partem calor augeretur ab illis laminis, quod eſt contra experientiam. Juvant ergo , tum quia calefactæ, cum igne coagunt ; tum quia ſpiritus igneos in ipſas incurrentes versùs carnes retorquent ; tùm quia lumen ignis reflectunt , quod poſtea ignem juvat ad agendum.

Inter qualitates autem quæ reflectuntur, quædam per reflexionem non intenduntur, ut patet in reflexioni radii optici : quædam intenduntur , ut patet in reflexione luminis ; hinc majus eſt lumen prope parietem reflectentem , quàm in aëre altiore , etſi ſoli viciniore. Et hæc eſt ratio ; ſaltem inadæquata , cur major ſit calor in infimâ aëris regione , quàm in mediâ : quia ſcilicet radii ſolis à terrâ reflexi (qui calefactivi ſunt) non aſcendunt ultra infimam aëris regionem.

Difficultas eſt inter Philoſophos, quænam ſit cauſa phyſica intenſiva illarum qualitatum , quæ per reflexionem augentur. Quidam dicunt ſolum corpus reflectens eſſe cauſam illius intenſionis , vel per qualitatem , quam recepit ab agente principali ; vel per qualitatem quandam virtualem , ſimilem calori virtuali piperis aut vini ; quâ qualitate fiat , ut ſicut vinum,licet virtualiter calidum , non calefacit niſi excitatum à formali calore ſtomachi : ita corpus aptum ad lumen reflectendum

dum v.g. licet virtualiter illuminativum, non poſſit tamen illuminare niſi excitatum ab aliquo lumine actuali. Alii contendunt ſolum agens principale eſſe cauſam intenſivam qualitatis reflexæ : Alii denique aſſerunt utrumque concurrere, cum quibus ſit

Prima Conclusio.

Intenſio qualitatis reflexa non eſt à ſolo reflectente.

Probatur. Tum quia ſi ſolum corpus reflectens eſſet cauſa intenſionis, intenderet reflexivè qualitatem versùs omnem loci partem, cùm agentia naturalia agant in ſphæram, & æqualiter versùs omnem partem, ut poſtea dicemus ; quod eſt contra experientiam. Tum quia augetur reflexio pro augmento agentis principalis, & non tantùm pro augmento qualitatis in corpore reflectente exiſtentis ; nam fax noctu applicata parieti, magis procul dubio in eo producit lumen, quàm Sol die in ipſo producat ; non tamen tanta fit luminis reflexio : Ergo ad iſtam intenſionem concurrit etiam agens principale, ut ſic compenſet quodammodo per majorem intenſionem, quam patitur extenſionis jacturam.

SECUNDA CONCLUSIO.

Intenſio qualitatis reflexæ non eſt à ſolo Agente principali.

PRobatur. Si talis reflexio foret à ſolo agente principali, non augeretur reflexio pro varietate corporum reflectentium. Conſequens eſt contra experientiam. Nam primò, major fit reflexio ex oppoſitione corporis albi, quàm nigri; ut patet ex eo quòd nix hieme longè melius reflectat lumen aſtrorum, quàm terra. Secundò major fit reflexio per oppoſitionem corporis terſi, quàm aſperi, ut patet ex eo quòd ſpecula meliùs reflectant, quàm lapides. Tertiò, Luna, plena, etſi remotior à ſole quàm terra, multò longiùs remittit radios ſolares quàm terra: nam luna ſolis radios ad terram uſque tam validè reflectit, ut videatur ſolem in diei productione æmulari; cùm terra eos ultrà infimam aëris regionem non repercutiat, quam ſcilicet per iſtius reflexionis limites, à mediâ regione diſterminat: Ergo, &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Cauſa adæquata intenſionis in Reflexione, eſt Agens principale ſimul cum corpore reflectente.

HÆc Concluſio ſequitur ex ſuperioribus: nam ſi cauſa iſtius intenſionis nec ſit ſolum corpus reflectens, nec ſolum agens principale; ſequitur quòd utrumque ad idem concurrat: agens quidem principale, in ratione cauſæ principis; corpus verò reflectens, in ratione cauſæ inſtrumentariæ

His poſitis, ſic reſpondendum eſt ſuperiori objectioni.

Diſtinguo antecedens. In reflexione luminis ſolaris, paries illuminatus auget lumen aëris intermedii, ut cauſa inadæquata; & concauſa agentis fortioris, concedo: ut cauſa adæquata, nego. Diſtinguo conſequens. Ergo ſimile poteſt agere in ſimile, ut cauſa inadæquata, & ſimul cum agente fortiori, concedo: ut cauſa adæquata, nego. Quòd ſi placeret recurrere ad lumen virtuale corporis reflectentis ſimile colori virtuali piperis & vini, nulla foret difficultas; ſed forſan non ita philoſophicum eſt recurrere ad qualitates illas virtuales & occultas, ſine urgenti neceſſitate.

Quæres quænam ſit cauſa intenſiva luminis, in ipſo corpore reflectente.

Reſpondeo dici poſſe quòd ſit ipſum

corpus reflectens, ut concauſa agentis principalis; nec abſurdum eſſe idem agere in ſe ipſum univocè, tanquam cauſam inadæquatam: Dici etiam poſſe quòd poſtquàm in priori naturæ, agens principale uſum eſt corpore reflectente ad intenſionem qualitatis in medio; medium illud jam magis illuminatum producat majus lumen in corpore reflectente. Eligite.

ARTICULUS QUARTUS.


De Sphæra activitatis Agentium naturalium.

AGentia naturalia in actionibus ſuis tranſeuntibus agunt in orbem, hoc eſt æqualiter versùs quamcùmque loci differentiam. Verbi gratiâ, ſi fax aut ſidus in medio alicujus ſpatii undique diaphani poneretur, æqualiter ageret versùs quamcunque mundi partem, ſurſum, deorſum; dextrorſum, ſiniſtrorſum; antrorſum, retrorſum. Hinc fit ut totum ſpatium activitatis vocetur *Sphæra*, cujus ſphæræ agens eſt veluti *centrum*; ultima pars activitatis, *circumferentia*.

Porrò agentia illa versùs circumferentiam activitatis agunt quantùm poſſunt per lineam rectam, quia à puncto ad punctum linea recta eſt omnium breviſſima; natura autem (ut aiunt) ſtudet compendio; & hæc linea vocatur radius actionis.

Radius actionis quintuplex diſtingui ſolet,

ſcilicet rectus, directus, reflexus, fractus & refractus, ut patet in hac Figura.




Quippe vel totum medium uniforme eſt uſque ad circumferentiam, & tunc radius actionis vocatur *rectus*, ut A B: vel medium non eſt uniforme, tuncque vel datur corpus aliquod, totaliter impediens ulteriorem propagationem, actionemque repercutiens, quale corpus opacum, M N; & tunc radius ab agente ad illud corpus vocatur *directus*, v. g. C D; Alter verò à corpore repercuſſus aliquo modo versùs principium, v. g. D E, vocatur *reflexus*, Vel corpus non impedit ulteriorem actionis propagationem, ſed tantùm ejus viam & lineam mutat propter majorem

ſuam denſitatem aut raritatem , quale eſt corpus nubiloſum I L ; & tunc radius ab agente ad medium inæquale , v. g. F G , vocatur *fractus* ; Alter verò ab illo medio ad circumferentiam uſque , v. g. G H , dicitur *refractus*.

Differunt ergo reflexio & refractio , quòd in reflexione actio non pergat ultrà corpus reflectens , ſed ab eo veluti remittatur versùs principium ; ut patet in vulgaribus ſpeculis: in refractione verò actio tranſeat per corpus refrangens , ſed per lineas veluti fractas , ut patet in ſpeculis uſtoriis.


Angulus reflexionis æqualis eſt angulo incidentiæ , ut optico fertur axiomate ; hinc ſi radius directus perpendiculariter incidat, per eamdem viam reflectitur , ut patet in hac Figura.



Ubi oculus A mittit ſpeciem ad ſpeculum C D. per lineam A B. quæ redit ad eundem oculum per lineam B A, facitque angulos rectos, proindéque æquales A BC, & A B D.

Si verò radius directus incidat obliquè, non per eandem viam redit, ſed per oppoſitam, ita ut tamen ſimul cum corpore refle-

ctente angulum conficiat æqualem angulo incidentiæ, ut patet in ſequente Figurâ.



Ubi oculus E mittit ſpeciem ad ſpeculum H I, per lineam E F, quæ redit per lineam F G, facitque angulum reflexionis H F G, æqualem angulo incidentiæ E F I. Hæc duo patent experientiâ, quâ conſtat hominem ſeipſum intueri in ſpeculo directè oppoſito: hominem verò à dextra ſpeculi conſtitutum

ſtitutum non ſe videre, ſed videri ab eo qui eſt à ſiniſtra.

Effatum eſt phyſicum: *Datur ſphæra activitatis*; quod patet experientiâ, quâ conſtat actionem agentis paulatim minui pro majori diſtantiâ. Ratio à priori eſt, quia paulatim diminuitur approximatio agentis, quæ eſt conditio ad agendum: Ergo & paulatim diminuitur actio.

Effatum aliud ex illo priori ſequitur, nimirùm, *Datur gradus ſterilis*; niſi enim tandem daretur gradus ſterilis, non daretur ſphæra activitatis; ſicque exigua fax poſſet totum mundum colluſtrare: nam quælibet pars gradualis qualitatis activæ aliam producere poſſet in medio vicino, & ſic in infinitum.

Ex quibus patet actionem cujuſcumque agentis naturalis per medium diminui.

Quæritur autem quâ proportione fiat illud decrementum.

ARTICULUS ULTIMUS.

De proportione, quâ Agentia naturalia agunt extra ſe.

Prima Conclusio.

Agens univocum extra ſe ſemper producit qualitatem ſuâ remiſſiorem.

Probatur. Niſi agens univocum extra ſe produceret qualitatem ſuâ remiſſiorem, nunquam minueretur ejus activitas; nec pro-

inde daretur ſphæra activitatis ; quia ſi in ſpatio ſibi vicino produceret qualitatem ſuæ æqualem, ſpatium illud in alio ſibi vicino producere quoque poſſet qualitatem ſuæ æqualem, & ſic deinceps : Falſum conſequens. Ergo & antecedens.

Objicies. Sequeretur indè ignem nunquam poſſe producere ignem ; quia non poteſt producere ignem, niſi produxerit calorem ſuo æqualem, ſcilicet ut octo : Nam agens non poteſt introducere formam ſubſtantialem, quin prius introduxerit diſpoſitiones illius formæ proprias ; diſpoſitio autem propria ignis eſt calor ut octo.

Nego propoſitionem ; & probationem ejus. Confirmationem diſtinguo. Agens non poteſt introducere formam, quin prius introduxerit diſpoſitiones ſufficientes, concedo : perfectas & completas, nego. Nam ſimul ac introductæ ſunt diſpoſitiones ſufficientes, forma ſubſtantialis ſtatim introducitur quæ poſtea diſpoſitiones ſuas emanativè abſolvit, ſuumque perficit & complet domicilium. Patet ex viventibus, quæ nunquam initio ſuæ generationis completas habent diſpoſitiones, ut liquet ex eo quòd ſuas functiones tunc perfectè non poſſint obire. Hinc arbores initio ramos nondum habent explicatos, aviculæ implumes ſunt, animalia omnia infirma & debilia. Unde ut introducatur forma ignis, ſufficit quòd agens in lignum ſeptem introduxerit gradus caloris v.g. nam poſtea forma ignis introducta octavum emanativè profundit.

Secunda Conclusio.

Agentia naturalia extra ſe agunt uniformiter-difformiter.

AXioma eſt, quod proinde ſolâ eget expoſitione terminorum. Senſus ejus eſt quòd agentia naturalia extra ſe agant uniformiter & eodem modo in omnes partes ejuſdem circuli activitatis; difformiter verò & inæqualiter in diverſos circulos activitatis. Verbi gratia, fax aliqua agit eodem modo in omnes partes circuli A: agit autem intenſiùs in circulum A, quàm in circulum B; & intenſiùs in circulum B, quàm in circulum C: & ſic deinceps, ut patet in ſequenti Diagrammate.



Quòd agentia naturalia agunt uniformiter in omnes partes ejuſdem circuli, patet, quia omnibus partibus ejuſdem circuli æqualiter applicantur.

Quòd agant difformiter in diverſos circulos, etiam patet: tum quia iis inæqualiter applicantur: tum quia, ut ait ſanctus Thomas 1. 2. q. 66. art. 1. *in effectibus tantò aliquod eſt potius, quantò eſt cauſæ propinquius*; tùm quia alioqui non datur ſphæra activitatis.

Ex quibus patet nullam eſſe partem patientis aliquotam, quæ æqualiter alteretur eodem radio; nulla enim pars eſt patientis, quæ non ſit diviſibilis in duas partes quarum una propior eſt agenti, quàm altera; proindéque magis alteratur quàm alia.

Jam quæritur quâ proportione fiat decrementum actionis, an κατ᾽ ἀριθμὸν, Arithmeticâ, an verò κατ᾽ ἀναλογίαν, Geometricâ? In proportione Arithmeticâ eſt idem planè exceſſus, ut patet in iſta; Ut ſe habent duo ad quatuor, ita viginti ad viginti duo: in Geometricâ verò exceſſus eſt tantùm ſimilis, non idem; ut in iſta, Ut ſe habent duo ad quatuor, ita viginti ad quadraginta: ſicut aliàs diximus in Anteprædicamentis agendo de Analogis.

TERTIA CONCLUSIO.

Decrementum actionis non fit ſecundùm proportionem Arithmeticam.

PRobatur primò. Si decrementum actionis fieret ſecundùm proportionem arithmeticam, parva eſſet admodùm activitatis ſphæra: quia ſi agens lucidum ut octo v.g. in primâ ſexpedâ producat tantùm ſeptem gradus luminis; in ſecundâ, produceret tantùm ſex; in tertiâ, quinque; in quartâ, quatuor; in quintâ, tres; in ſextâ, duo; in ſeptimâ, unum: Ita ut tota ejus activitas foret tantùm ſeptem ſexpedarum in orbem. Conſequens eſt contra experientiam: Ergo & antecedens.

Probatur 2. Si decrementum actionis fieret per proportionem arithmeticam; per æquale intervallum fieret æquale decrementum. Conſequens eſt contra experientiam: (quia longè majus decrementum apparet intrà unum pedem ſpatii propè ignem, v. g. quàm intrà æquale intervallum longè ab igne:) Ergo & antecedens.

Decrementum ergo actionis tranſeuntis fit per proportionem Geometricam, hoc modo. Si activitas agentis lucidi ut octo non-niſi ſub finem primæ ſexpedæ diminuta ſit ad ſeptem gradus; non-niſi ſub finem tertiæ ſexpedæ, decreverit ad ſex gradus; non-niſi ſub finem ſeptimæ, decreverit ad quinque gradus; non-niſi ſub finem decimæ quintæ, ad quatuor gradus; non-niſi ſub finem tri-

geſimæ primæ, ad tres gradus; non-niſi ſub finem ſexageſimæ tertiæ, ad duos gradus: non niſi ſub finem centeſimæ vigeſimæ ſeptimæ, ad unum gradum; & proinde ejus activitas erit centum viginti ſeptem ſexpedarum.

Ex quibus patet quantum creſcat ſphæra pro majori activitate agentium: nam ſi activitas agentis lucidi majoris aut activioris, non-niſi ſub finem ſeſquiſexpedæ decreverit ad ſeptem gradus; ejus activitas erit centum nonaginta ſexpedarum cum ſemi.

CAPUT ULTIMUM.

De Diviſione Cauſæ efficientis.

Cauſa efficiens dividitur primò in principalem, & inſtrumentalem.

Cauſa princeps eſt ea, quæ propriâ virtute propriâque authoritate operatur: ſic ignis eſt cauſa princeps alterius ignis; & Deus omnis creaturæ.

Cauſa inſtrumentaria eſt ea, quæ alienâ virtute alienâque authoritate operatur; ſic ſemen eſt cauſa inſtrumentalis viventis, & penicillus tabellæ.

Quod eſt cauſa inſtrumentalis effectûs, dicitur inſtrumentum reſpectu ejus in cujus virtute operatur; ſic ſemen eſt viventis cauſa inſtrumentalis & inſtrumentum; & penicillus, pictoris.

Porro inſtrumentum dici poteſt dupliciter agere in virtute alterius. Primò, quia à

cauſâ principe actualem motionem recipit, quomodo inſtrumenta artificialia agunt in virtute artificum. Secundò, quia ipſum inſtrumentum ex naturâ ſuâ virtus eſt cauſæ principis; quomodo ſemina agunt in virtute viventium, à quibus deciſa ſunt.

Inſtrumentum dividitur primò, in naturale & artificiale. Inſtrumentum naturale illud eſt, quod ex ſe inſtrumentum eſt alterius: quomodo ſemen inſtrumentum eſt viventis. Inſtrumentum artificiale eſt illud, quod cùm ex naturâ ſuâ non pertineat ad agens, ab eo tamen aſſumitur ad effectum producendum; quomodo calamus inſtrumentum eſt ſcribæ.

Inſtrumentum dividitur ſecundò, in conjunctum, quòd phyſicè unitur cauſæ principi; quomodo manus eſt inſtrumentum hominis: & in ſeparatum, quod non unitur phyſicè cauſæ principi; quomodo glans inſtrumentum eſt quercus.

Cauſa efficiens dividitur ſecundò, in univocam, quæ producit effectum ejuſdem ſecum naturæ; qualis eſt homo reſpectu hominis: & in æquivocam, quæ producit effectum diverſæ à ſe naturæ; qualis eſt Sol reſpectu hominis.

Dividitur 3. in univerſalem, quæ ad integram aliquam ſpeciem concurrere poteſt; ut Deus & Sol, & in particularem, quæ ad aliquos tantùm effectus concurrere poteſt; ut homo & equus; ut colligitur ex divo Thoma 1.p. q. 13.art.5.ad 1.

Dividi poteſt etiam per omnia ferè entium

genera. v.g. in naturalem & ſupernaturalem, ſpiritalem & corpoream; ſubſtantialem & accidentalem; neceſſariam, & liberam; vitalem & non vitalem.

Sed celebris eſt diviſio cauſæ efficientis in primam, & ſecundam.

Cauſa prima eſt ea, quæ independenter à quacumque aliâ cauſat, & à qua dependenter cæteræ cauſant, qualis eſt ſolus Deus.

Cauſa ſecunda eſt ea, quæ cauſat dependenter à primâ, qualis eſt omnis cauſa creata.

De utrâque hîc accuratè dicendum eſt: atque ut à facilioribus incipiamus, priùs dicemus de causâ ſecundâ quàm de primâ.

ARTICULUS PRIOR.

De Causâ ſecundâ.

MUltæ ſunt hîc opiniones refellendæ: Prima eſt quarumdam Maurorum, qui putabant creaturas nihil prorſus operari, ſed Deum ad earum præſentiam omnia producere. Secunda eſt Avicembri, qui putavit ſubſtantias corporeas nihil producere, ſed tantùm Intelligentias ipſis intimè præſentes. Tertia eſt Avicennæ, qui conceſſit quidem ſubſtantias corporeas accidentia poſſe producere, non tamen alias ſubſtantias; adeò ut prima cauſa in ejus opinione, immediatè produxerit primam aliquam Intelligentiam, prima Intelligentia ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic uſque ad infimam, quæ infima formas ſubſtantiales introducat in materias omnes ab agentibus corporis diſpoſitas. Ultima eſt Scoti,

qui admiſit, ſubſtantias corporeas & accidentia & ſubſtantias producere poſſe: Itemque accidentia quædam, aliorum eſſe productivâ: ſed negavit accidentia ad productionem ſubſtantiarum corporearum effectivè concurrere.

Ut has omnes opiniones ordine quodam confutemus; tres inſtituemus Paragraphos: in quorum primo, agemus de cauſis ſecundis in genere; in ſecundo, de ſubſtantiis creatis; in tertio, de accidentibus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

An Cauſæ ſecundæ aliquid agant.

CONCLUSIO.

Quædam creaturæ ſunt activæ.

PRobatur primò ex Scripturis Geneſ. cap. 1. ubi Deus hanc virtutem ſic concedit. *Germinet terra herbam virentem, facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum.* Lucæ cap. 21. ubi Chriſtus ſic ait: *Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt jam ex ſe fructum.*

Probatur ſecundò experientiâ, quâ conſtat aërem à Sole illuminari, nos ab igne calefieri, à nive frigefieri; adeò ut omnem ſenſum damnare oporteat eum, qui tam manifeſtis experientiis refragetur,

Probatur tertiò ex abſurdis. Si creaturæ nihil agerent. Primò, ſolus Deus eſſet author omnium peccatorum. Secundò, Nulla eſſet

ratio cur potiùs ad præſentiam ignis produceretur alter ignis, quàm ad præſentiam auri alıud aurum. Tertiò, Nullum eſſet diſcrimen inter viventia, & inanimata. Quartò, Inutilia forent omnia prorsùs viventium organa: quibus omnibus nihil poteſt concipi abſurdius.

Probatur ultimò ratione. Si Deus potuit virtutem activam creaturis largiri, eam procul dubio largitus eſt: nam ſi id potuit, decuit exuberantem illius bonitatem, ut creaturis aliquam ſui ſimilitudinem non in eſſendo modò, ſed & in operando largiretur: Atqui potuit, cùm nulla afferri poſſit contradictio. Ergo fecit.

Objicies primò. Deus eſt cauſa omnium effectuum.

Diſtinguo. Deus eſt cauſa omnium effectuum, concurrendo, concedo: ſolitariè producendo, ſubdiſtinguo. In primâ mundi Geneſi, concedo: peractâ primâ mundi Geneſi, iterum diſtinguo. Dum deſunt cauſæ ſecundæ, concedo: dum adſunt, nego.

Objicies ſecundò. Deus poteſt immediatè omnia facere: Ergo creaturæ nihil faciunt, quia hoc eſſet inutile.

Tranſeat Antecedens, quod falſum eſt cùm Deus non poſſit eſſe author peccatorum, nec actionum vitalium creatarum ut ſic. Nego conſequentiam, namque ex eo quòd Deus creaturis virtutem activam conceſſerit, magis elucet eis & bonitas in communicatione illius perfectionis: & potentia in eo quòd dare poſſit ſuis effectibus non tantùm ut ſint,

ſed etiam ut operentur : & ſapientia, eò quòd effectus naturales hoc modo connaturalius producantur.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

An ſubſtantiæ creatæ ſint activæ.

SUbſtantias creatas activas eſſe ſaltem immanenter, ſequitur ex dictis : Si enim aliquæ creaturæ ſint activæ, maximè ſubſtantiæ : & ſi ſubſtantiæ ſint activæ, maximè immanenter, ſcilicet reſpectu ſuarum proprietatum, quas effundunt ; & ſuarum actionum vitalium, quas eliciunt, ſi ſermo ſit de ſubſtantiis viventibus. Sed quæritur utrùm ſubſtantiæ crebræ ſint productivæ tranſeunter ; quod ut ſolvatur,

Notandum eſt ſubſtantiam creatam dividi in Angelum, & Corpus.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli non ſunt tranſeunter productivi.

PRobatur. Tres tantùm agnoſcuntur potentiæ in Angelis ; ſcilicet intellectus, voluntas, & vis motrix : Atqui intellectus, & voluntas agunt tantùm immanenter ; vis motrix autem agit tantùm applicativè, indéque, ſi quid extra ſe producat, præter impetum (quem exceptum volumus in concluſione, (illud producit tantum moraliter, applicando ſcilicet activa paſſivis. Ergo, &c.

Objicies. Si fides hiſtoriis, Dæmones aliqui genuerunt.

Diſtinguo. Genuerunt moraliter, ex ſemine ſcilicet alieno, tranſeat: phyſicè & propriâ virtute, nego. Quippè non alio modo generare poſſunt Dæmones, quàm agricolæ producant ſegetes, alienâ ſcilicet ſemina emittendo.

SECUNDA CONCLUSIO.

Corpora quædam ſunt tranſeunter productiva accidentium.

PRobatur primò, ex primo cap. Geneſ. ubi ſic legitur: Dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & illuminent terram,*

Probatur ſecundò experientia, quâ conſtat Solem illuminare; ignem calefacere, &c,

Dices, lumen produci à luce Solis; & calorem à calore ignis.

Diſtinguo. Ut ab inſtrumentis, concedo: ut à cauſis principibus, nego. Rationem negati videbis Paragrapho ſequenti.

TERTIA CONCLUSIO.

Quædam corpora ſunt productiva ſubſtantiarum.

PRobatur primò, ex textibus Scripturæ tum citatis Paragrapho ſuperiore; tum aliis, quibus Deus Geneſeos cap. primo, piſcibus, avibus & hominibus dat virtutem genitivam, his verbis, *Creſcite & multiplicamini.*

Probatur 2. ex fide, qua conſtat homines ab Adamo contrahere peccatum originale: At niſi homo generaret hominem, non eſſet ulla ratio, cur homines ab Adamo contraherent peccatum originale: Ergo homo generat hominem; proindéque ſubſtantia ſubſtantiam.

Probatur 3. ex Ariſtotele, qui l. 2. Phyſicorum cap. 2. dicit quòd *Sol & homo generant hominem.*

Probatur ultimò experientiâ, quâ conſtat viventia perfecta per continuas generationes ſuam ſpeciem conſervare & propagare.

Objicies primò cum Avicennâ. Ubi eſt aliqua proportio in opere, ſignum eſt opus illud factum eſſe ab aliquo intelligente; proportio enim eſt opus mentis: Atqui in ſubſtantiis productis maxima eſt proportio, ut potè cùm ad formas omnes ſubſtantiales neceſſariò præ requiratur proportio quædam qualitatum diſponentium, tum inter ſe, tum cum formâ producendâ; & in viventibus miro opus ſit organorum apparatu, miraque primarum qualitatum harmonia: Ergo ſubſtantiæ producuntur ab aliquâ Intelligentiâ.

Diſtinguo majorem. Ubi eſt aliqua proportio in opere, ſignum eſt opus illud factum eſſe ab aliquo intelligente, tanquam à causâ primariâ, concedo: tanquam à causâ proximâ, nego: v. g. ex eò quòd ſit eximia quædam proportio in Æneïde Virgilii, non ſequitur artem poëticam fuiſſe in Typographo, ſed in Virgilio: Ita à pari, ex eo quòd ſit maxima proportio in operibus naturæ, colligi

non poteſt cauſas proximas eſſe intelligentes; ſed duntaxat primam cauſam, putà Deum; ut aliàs diximus in Moralibus, diſputatione de Fine, agendo de ſtupendis quibuſdam belluarum operibus.

Objicies ſecundò. Angeli non producunt alios Angelos: Ergo neque animalia alia animalia.

Nego paritatem: quia Angeli produci non poſſunt, niſi per creationem; creatio autem cuilibet creaturæ impoſſibilis eſt, ut infrà dicemus: animalia verò producuntur per generationem. Adde quòd virtus genitiva ſui ſimilis conceſſa tantùm ſit à Deo ad ſpeciei conſervationem, & proinde res incorruptibiles, ut Cœli & Angeli, eâ careant: Itemque res ferè omnes quæ à cauſis æquivocis producuntur, ut, lapides, metalla, muli.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De Activitate accidentium.

PRIMA CONCLUSIO.

Quædam Accidentia ſunt Activa.

Conſtat experientiâ, quâ compertum eſt quædam accidentia agere non tantùm intentionaliter, ut agunt colores; ſed etiam realiter, ut agunt lumen, calor, frigus, &c.

Secunda Conclusio.

Sola qualitas ex accidentibus eſt realiter activa.

PRobatur. Quia quantitas planè iners eſt, ſicut materia, cujus eſt coæva proles: Septem autem ultimæ categoriæ, cùm ſint tantùm habitudines quædam connotativæ, ut diximus in Logicis, non ſunt activæ.

Nec verò omnis qualitas eſt realiter activa: figura enim expers eſt activitatis realis, ſicut quantitas, cujus eſt determinatio: Habitus etiam eſt tantùm activus immanenter; pleræque patibiles qualitates, ut colores, agunt tantùm intentionaliter: Reſtat ergo ut inter accidentia ſolæ potentiæ & patibiles quædam qualitates, v.g. calor, frigus, &c. ſint realiter extra ſe activæ.

Tertia Conclusio.

Accidentia agunt tantùm inſtrumentaliter.

PRobatur. Quod ex ſe eſt virtus alterius, agit tantùm inſtrumentaliter, & in virtute alterius? Atqui accidentia activa ex ſe ſunt virtutes ſubſtantiarum; (unde Philoſophus vocat l. 7. Metaphyſicorum c. 1. Accidens, Entis Ens, hoc eſt, Ens ſubſtantiæ:) Ergo, &c.

Confirmatur. Operari ſequitur eſſe: Atqui accidentia ſunt potiùs ut *id quo*, quàm ut *id quod*. Calor v. g. non tam eſt id, quod eſt calidum, quàm id, quo aliud eſt calidum: Ergo accidentia operantur potiùs ut *id quo*,

quàm ut *id quod*, proindéque inſtrumentaliter.

Objicies primò. Lumen aëris non eſt inſtrumentum aëris: Ergo accidentia non ſunt inſtrumenta ſubſtantiarum.

Diſtinguo conſequens. Accidentia non ſunt inſtrumenta ſubſtantiarum, in quibus ſunt, concedo: à quibus ſunt, nego. Sic vis formatrix in ſemine reſidens, non eſt inſtrumentum ſeminis, ſed illius viventis, à quo ſemen deciſum eſt.

Objicies ſecundò. Tam lumen proportionatum eſt lumini, quàm equus equo: Ergo tam lumen eſt cauſa princeps luminis, quàm equus equi.

Nego conſequentiam: Quòd enim accidentia non ſint cauſæ principes, non venit ex defectu proportionis in entitate, ſed ex eo quòd ipſa non ſint ſui, ſed ſubſtantiarum à quibus ſunt: At ſubſtantiæ ſunt entia per ſe exiſtentia & proinde per ſe operantia.

Inſtabis. Sequeretur inde nullas creaturas eſſe cauſas principes; ſed tantùm eſſe inſtrumenta Dei, cùm Dei ſint potiùs quàm ſui. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Nego paritatem. Quia accidentia ſunt virtutes ſubſtantiarum creatarum, ut potè cùm ſubſtantiæ creatæ tranſeunter agere non poſſint, niſi mediantibus accidentibus. At ſubſtantiæ creatæ non ſunt virtutes Dei; ſubſtantia enim completa ex ſe non eſt virtus alterius; ſi ſemina excipias quæ elaborant res animatæ, ut iis mediis ſuum ſimile poſſint producere, quæ proinde non malè vocantur

à qui

à quibuſdam Philoſophis, ſubſtantiæ ſubſtitutivæ, quia ſubſtituuntur loco aliarum. Probationem diſtinguo, Subſtantiæ creatæ ſunt Dei effectus, concedo: Dei virtutes, nego. Deus enim ex ſe independens eſt à quacunque creatura, non modò in eſſe; ſed & in operando.

QUARTA CONCLUSIO.

Accidentia effectivè concurrunt ad productionem formarum ſubſtantialium materialium.

EST omnium Thomiſtarum contra Scotiſtas contendentes accidentia diſponere tantùm materiam, ſubſtantiarum autem productionem phyſicè & effectivè non attingere.

Probatur 1. authoritate Philoſophi libro de Senſu & Senſibili, cap.4. aſſerentis ignem & aquam nihil penitùs agere quatenus ſunt ignis & aqua; ſed quatenus contrarietatem habent: Atqui habent tantùm contrarietatem per ſua accidentia: Ergo quando ignis producit formam alterius ignis, eam producit per accidentia.

Probatur ſecundò. Semina viventium concurrunt effectivè per virtutem ſeminalem ſibi inexiſtentem, ad productionem ſubſtantiarum; ut patet ex eo quòd ex ovis avium demortuorum aliæ ſimiles naſcantur, & ex ſeminibus herbarum, quæ hyeme emarcuerunt, ſimiles herbæ oriantur: Ergo, &c.

Minùs enim ſubtiliter hîc recurrit ad Deum Doctor ſubtilis; quippè quoties effectus na-

turales per cauſas ſecundas explicari poſſunt, Philoſophi non debent ad primam confugere; cùm Deus peractâ primâ mundi, geneſi non ſoleat per ſe ſolum præſtare quod poteſt per cauſas ſecundas.

Probatur 3. Agens non poteſt agere in diſtans diſtantiâ virtutis & ſuppoſiti, ut demonſtravimus capite ſuperiori, articulo 1. Atqui ſi accidentia non poſſent attingere productionem formarum ſubſtantialium materialium, agens ageret in diſtans diſtantiâ virtutis & ſuppoſiti, verbi gratia, quando aſtra producunt metalla in viſceribus terræ, agerent in diſtans utrâque diſtantiâ, niſi ipſorum influentiæ (quæ ſunt accidentia,) effectivè attingerent formas ſubſtantiales metallorum; Ergo accidentia effectivè concurrunt ad productionem ſubſtantialium formarum materialium.

Objicies primò. Agens non poteſt producere effectum ſe perfectiorem: Atqui accidentia imperfectiora ſunt ſubſtantiis: Ergo non poſſunt producere ſubſtantias.

Diſtinguo majorem. Agens non poteſt producere effectum ſe perfectiorem, ſi ſit agens principale, concedo: ſi ſit agens inſtrumentale, nego. At accidentia ſunt tantùm inſtrumenta ſubſtantiarum, ut dictum eſt.

Inſtabis. Inſtrumentum non agit, niſi motum à causâ principe: Atqui ſæpè non adſunt ſubſtantiæ, cùm accidentia concurrunt ſuo modo ad productionem formarum ſubſtantialium; abſente enim quercu v. g. è glande naſcitur alia quercus: Ergo accidentia non

ſunt inſtrumenta ſubſtantiarum.

Diſtinguo majorem. Inſtrumentum non agit, niſi motum à causâ principe, ſi ſermo ſit de inſtrumento artificiali, concedo: ſi de naturali, nego. Ratio diſparitatis eſt, quòd inſtrumenta artificialia ex ſe non ſint virtutes artificum, & proinde ut in eorum virtute agant, debent motionem quandam & impreſſionem recipere: At inſtrumenta naturalia ex ſe ſunt virtutes ſubſtantiarum, & proinde ut agant in virtute ſubſtantiarum, non opus eſt, ut ab iis actu moveantur.

Objicies 2. Calor, v.g. de ſe indifferens eſt ad producendum ignem, vel aërem: Ergo neutrum producit: cauſa enim indeterminata, quandiu eſt indeterminata: cauſare non poteſt.

Diſtinguo antecedens. Calor ſolus indifferens eſt ad producendum ignem, vel aërem, concedo: calor cum alia qualitate, nego: nam calor cum ſiccitate producit ignem, cum humiditate verò aërem.

Objicies 3. Si accidentia attingerent productionem ſubſtantiarum, nulla foret generatio univoca: nam generatio univoca eſt ea, vi cujus ſubſtantia productiva ſimilis eſt ſuo principio productivo; At numquam ſubſtantia ſimilis eſſet ſuo principio productivo, ſi produceretur ab accidentibus: Ergo ab iis produci non poteſt.

Nego majorem. Cujus probationem diſtinguo, Subſtantia producta per generationem univocam ſimilis eſt principio principali concedo; inſtrumentali, nego.

Objicies ultimò. Generatio eſt actio ſubſtantialis : Ergo venit à ſubſtantiâ.

Diſtinguo antecedens. Generatio eſt actio ſubſtantialis ratione termini, concedo : ratione principii, ſubdiſtinguo. Ratione principii principalis,concedo : ratione principii inſtrumentalis, nego. Sequitur ergo tantùm quòd generatio veniat à ſubſtantiâ tanquam à causâ principe.

ARTICULUS POSTERIOR.

De causâ primâ.

DEus ſpectari poteſt vel ut eſt ens; vel ut agens eſt. Priori modo ſpectabitur tertiâ parte Metaphyſices.

Deus ut agens eſt, ſpectari poteſt; vel ut agit ad intra, in productione ſcilicet Filii, & Spiritus Sancti; vel ut agit ad extra, in productione creaturarum. Prior conſideratio ſpectat ad tractatum de Trinitate in Theologia; Deus poſteriori modo vocatur cauſa.

Deus ut cauſa, ſpectari poteſt duobus modis. Primò ut author naturæ; ſecundò ut author gratiæ & gloriæ. Poſterior conſideratio Theologica eſt : prior Philoſophica, Metaphyſica, & hujus loci.

Porrò Deus ut author naturæ, multa præſtat : nam creat, conſervat, concurrit, determinat, & in quorundam ſententia prædeterminat; quippè creatura eſſentialiter pendet à Deo in omnibus. Creatura autem ſpectari poteſt tripliciter; ſcilicet, ſecundùm productionem, ſecundùm durationem, &

ſecundùm operationem. In ſuâ productione pendet à Deo per creationem ; in ſuâ duratione per conſervationem ; in ſuâ operatione per concurſum , & determinationem ; & in quorundam ſententiâ per prædeterminationem. Quare de his quinque hoc articulo diſtinctis paragraphis agendum eſt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Creatione,

CReatio definitur productio rei ex nihilo ſimpliciter; productio rei ex nihilo ſui & ſubjecti ; productio rei independenter à quocunque ſubjecto ſuppoſito.

De creatione tres ſunt potiſſimùm difficultates. Prima , de poſſibilitate & exiſtentia ejus. Secunda,de cauſis ejus. Tertia, de ejus effectibus.

PUNCTUM PRIMUM.

De poſſibilitate & exiſtentia Creationis.

PRIMA CONCLUSIO.

Poſſibilis eſt Creatio.

PRobatur primò. Deus eſt agens independens : Ergo agere poteſt ad extra , independenter à quolibet ſubjecto : Atqui ſic agere eſt creare : Ergo creare poteſt.

Probatur 2. Poſſibiles ſunt Intelligentiæ ; At illæ aliter fieri non poſſunt , quàm per creationem ; cùm ſpiritales ſint , & independentes à quocunque ſubjecto : Ergo , &c.

Probatur 3. Non minùs Deus ſuperat naturam, quàm natura ſuperat artem: Atqui natura quia ſuperat artem, minus præſupponit ſubjectum, quàm ars: quia ars præſupponit totum compoſitum; natura autem præſupponit tantùm materiam primam: Ergo Deus minus præſupponit ſubjectum, quàm natura: Atqui nullum eſt minus ſubjectum quàm materia prima; cùm nihil magis recedat ab actu, quàm ipſa: Ergo Deus nihil præſupponit. Et proinde agere poteſt ex nihilo, & per conſequens creare.

Objicies. Nihil poteſt fieri ſine causâ activâ: Ergo nec ſine paſſivâ.

Nego paritatem: quia ſi aliquid fieret ſine causâ activâ, fieret à ſeipſo, quod implicat, ut oſtenſum eſt diſputatione ſuperiori, capite tertio. At vero non implicat aliquos effectus fieri ſine ſubjecto, ut patet de Angelis, animabus rationalibus, & primo ſubjecto.

Secunda Conclusio.

De facto fuit Creatio.

Est de fide, quâ credimus in Deum Creatorem cœli & terræ, propter prima verba Scripturæ ſacræ, quæ ſic habent: *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

Probatur. Tum quia materia prima non eſt improducta; alioquin eſſet infinitæ perfectionis: Atqui per aliam viam produci non potuit: quàm per creationem; non enim potuit produci ex præſuppoſito ſubjecto, alioquin non eſſet materia prima. Tum quia ani-

mæ noſtræ ut potè ſpiritales ſubſtantiæ (ut probatur in Animaſticâ) aliter produci non poſſunt quàm per creationem.

Tertia Conclusio.

Ariſtoteles agnovit Creationem.

PRobatur primò l. 12. Metaphyſicorum c. 7. ubi docet Philoſophus dari primum Ens, quod cœli & naturæ cauſa ſit; quod dicere non potuiſſet, niſi putaſſet primam illam cauſam creaſſe. Si enim produxiſſet omnia ex præſuppoſitâ materiâ, non eſſet cauſa cæli & naturæ, cùm non eſſet cauſa materiæ primæ, quæ in ejus mente natura eſt.

Probatur ſecundò ex l. 2. de Generatione animalium cap. 3. ubi ſubtiliter demonſtrat Philoſophus, ex operationibus animæ rationalis, quàm ex materiâ non cauſari, ſed extrinſecus advenire: Hoc autem eſt animam rationalem creari: Ergo Philoſophus creationem agnovit.

PUNCTUM SECUNDUM.

De cauſis Creationis.

CErtum eſt primò, Creationem nullam agnoſcere cauſam materialem, cùm ſit ex nihilo; & proinde nullam etiam agnoſcere cauſam formalem propriè dictam.

Certum eſt ſecundò, Creationem pro fine proximo agnoſcere creaturam, ad quam tendit; & pro fine ultimo Deum, cujus potentiam manifeſtat.

Certum eſt denique ex puncto ſuperiori, creationem eſſe de facto à Deo, tanquam à cauſa efficiente.

Quæritur, nunquid abſolutè eſſe poſſet à creatura? ſeu nunquid dari poſſet creatura creatrix, ſive ut cauſa princeps, ſive ut cauſa inſtrumentalis? Aſſerit vulgus Philoſophorum: negat ſanctus Thomas in quæſtionibus diſputatis, quæſt.3. de creatione, art. 4. & in Summâ 1. parte, quæſt. 45. art. 5. cum quo ſit

Prima Conclusio.

Impoſſibilis eſt creatura creatrix, ut cauſa princeps.

Probatur primò authoritate ſancti Cyrilli Alexandrini libro ſecundo contra Julianum, ubi ſic loquitur. *Inacceſſa natura ſunt ea quæ propria ſunt ſolius ſummæ ſubſtantiæ, quorum unum eſſe dicimus efficaciter producere poſſe ut Creatorem*; & ſancti Athanaſii ſermone tertio contra Arianos, ubi ſic habet, *Adminiſtrare ſervorum eſt, creare autem ſolius Dei ejuſque Verbi*: & aliorum Patrum, qui diſputando contra Arianos probabant Verbum divinum eſſe Deum, quia creaverat: Atqui hoc argumentum nullum fuiſſet ſi poſſibilis eſſet creatura creatrix: Ergo eſt impoſſibilis.

Reſpondent primò adverſarii argumentum Patrum intelligi tantùm de facto, non de poſſibili, hoc eſt nullam quidem creaturam de facto creaſſe, non autem nullam creare poſſe.

Sed

Sed ſi hoc eſſet, inefficax fuiſſet argumentum Patrum, ad probandam dignitatem Verbi divini: nam ſtatim reſpondiſſent Ariani, creaturam creare poſſe, imò de facto creaſſe, quandoquidem aſſerebant Verbum divinum eſſe creaturam.

Reſpondent ſecundò adverſarii, Patres probaſſe divinitatem Verbi divini contra Arianos, non ex eo quòd creaſſet ſimpliciter, ſed ex eo quòd creaſſet omnia creata.

Sed ſi hoc eſſet, prorsùs futile fuiſſet ratiocinium Patrum, & petiiſſet principium; nam cùm Ariani contenderent Verbum divinum eſſe creaturam, contendebant quoque Verbum divinum non creaſſe omnia creata.

Probatur ſecundò. Si dari poſſet creatura creatrix, jam Deus aliquam condidiſſet, tum ad integritatem univerſi, ut ſcilicet in mundo forent creaturæ omnium planè ordinum: tum ad productionem animarum rationalium, quia peractâ primâ mundi productione, Deus ſibi ſoli non reſervavit quod potuit per aliquas cauſas ſecundas peragere: Atqui, ex adverſariis ipſis nulla eſt de facto creatura creatrix: Ergo nulla poſſibilis eſt.

Probatur tertiò. Quod agit ex aliquo præſuppoſito ſubjecto, non creat: Atqui nulla creatura agere poteſt niſi ex ſubjecto à Deo accepto: Ergo nulla creare poteſt. Probatur minor. Tria ſunt agentia ſibi ſubordinata, Ars, Natura & Deus; ex quibus inferius neceſſariò ſupponit aliquod ſubjectum à ſuperiori acceptum; v. g. ars nihil agere poteſt

niſi ex materia à naturâ acceptâ : Ergo natura nihil agere poteſt, niſi ex ſubjecto à Deo accepto.

Confirmatur. Tam ars eget ſubjecto à naturâ accepto, quàm concurſu activo naturæ: Ergo à pari, tam natura eget ſubjecto à Deo accepto, quàm concurſu Dei : Atqui nulla creatura agere poteſt ſine concurſu Dei, ut infrà probabitur : Ergo nulla creatura agere poteſt ſine ſubjecto à Deo accepto.

Probatur quartò à ſancto Thomâ 1. parte quæſt. 65. art. 3. his verbis. *Quantò aliqua cauſa eſt ſuperior, tantò ad plura ſe extendit in cauſando ; ſemper autem id quod ſubſternitur in rebus, invenitur communius quàm id quod informat & reſtringit ipſum : ſicut eſſe quàm vivere, & vivere quàm intelligere, & materia quàm forma. Quantò ergo aliquid eſt magis ſubſtratum ; tantò à ſuperiori cauſâ directè procedit : Id ergo quod eſt primò ſubſtratum in omnibus, propriè pertinet ad cauſalitatem ſupremæ cauſæ : nulla igitur ſecunda cauſa poteſt aliquid producere non præſuppoſito in re productâ aliquo, quod cauſatur à ſuperiori cauſâ.*

Probatur ultimò. Ad creandum principaliter opus eſt potentiâ infinitâ : Atqui nulla creatura habere poteſt potentiam infinitam, (alioquin haberet eſſentiam infinitam, finitum enim non poteſt habere virtutem infinitam ex l. 12. Metaphyſicorum cap. 7.) Ergo nulla creatura creare poteſt principaliter. Probatur major : Ea potentia eſt infinita, quâ nulla major eſſe poteſt : Atqui ad creandum prin-

cipaliter, opus eſt potentiâ quâ nulla major eſſe poteſt: Ergo opus eſt potentiâ infinitâ. Probatur minor. Eò major debet eſſe potentia in agente, quo major eſt indiſpoſitio in patiente, v.g. opus eſt majori virtute ad comburendam paleam, quàm ad comburendum pulverem tormentarium; majori ad comburendum lignum, quàm ad inflammandam paleam; majori ad comburendum lignum viride, quàm aridum: Atqui in negotio creationis tanta eſt indiſpoſitio in patiente, ut major eſſe vel excogitari non poſſit, cùm in creatione nullum ſit patiens, nihilque prorsùs ſupponatur: Ergo ad creandum principaliter, opus eſt potentiâ, quâ major dari non poſſit. Hoc ratiocinium colligitur ex ſancto Thoma 1. parte quæſt. 45. art. 5. ad tertium, ubi ſic habet: *Si enim tantò major virtus requiritur in agente, quantò potentia eſt magis remota ab actu, oportet quòd virtus agentis ex nulla præſuppoſita potentia, (quale agens eſt creans,) ſit infinita, quia nulla proportio eſt nullius potentiæ ad aliquam potentiam quam præſupponit virtus agentis naturalis, ſicut & non entis ad ens; & quia nulla creatura habet ſimpliciter potentiam infinitam, ſicut neque eſſe infinitam, relinquitur quòd nulla creatura poſſit creare.*

Objiciunt primò adverſarii. Non repugnat dari creaturam creatricem: Ergo, &c.

Nego antecedens. Nam creatura, illa (ut diximus) haberet potentiam & proinde eſſentiam infinitam. Adde quod hoc argumentum nimis probet: probat enim Angelos, v.g.

creare poſſe, cùm nulla major afferri poſſit contradictio, ex eo quòd Angeli crearent, quàm ſi quævis alia creatura poſſibilis crearet: Atqui ex Auguſtino l. 12. de Civitate Dei, cap. 24. & l.3. de Trinitate cap.8. Angeli non magis poſſunt eſſe creatores rerum naturalium, quàm agricolæ ſegetum & frugum.

Quia præcipua noſtra probatio eſt quòd requiratur virtus infinita ad creandum, ideò adverſarii toti ſunt ut oſtendant ad id non requiri virtutem infinitam. Ad quod probandum tria deſumunt argumenta. Unum petitum ex concurſu materiæ ſupplendo. Aliud petitum ex termino ad quem creationis. Tertium ex diſtantia quæ eſt inter terminum ad quem creationis, & ejus terminum à quo. Itaque

Objiciunt ſecundò. Ad creandum ſufficit virtus quæ ſupplere poſſit concurſum materiæ: Atqui ad hoc non requiritur virtus infinita, cùm concurſus materiæ ſit omnium ignobiliſſimus: Ergo ad creandum non opus eſt virtute infinitâ.

Reſpondeo primò, Hoc argumentum ſi quid haberet roboris, probaturum quodlibet agens creare poſſe; ſi enim concurſus materiæ ſit omnium ignobiliſſimus, virtus quorumlibet agentium eſt eo nobilior. Secundò, Nego minorem. Probatio autem inanis eſt, non enim impoſſibilitatem creaturæ creatricis reperimus ex nobilitate concursùs materiæ ſupplendi, ſed ex eo quòd ubi nulla eſt materia, ibi omnimodo ſit diſproportio ad

actum; proindéque opus ſit virtute activâ infinitâ.

Objiciunt tertiò. Ad producendum effectum finitùm, non opus eſt virtute infinita; Atqui effectus creationis finitus eſt: Ergo ad illius creationem non requiritur virtus infinita.

Diſtinguo majorem. Non opus eſt virtute infinitâ ad effectum finitum producendum finito modo, concedo: producendum infinito modo, nego. Creare autem eſt agere infinito modo. Hæc ſolutio petitur ex S. Th. 1. p. q. 65. art. 3. ad 3. ſic ſcribente: *Quantitas virtutis agentis non ſolùm menſuratur ſecundùm rem factam, ſed etiam ſecundùm modum faciendi; quia unum & idem aliter fit à majori & à minori virtute: producere autem aliquid finitùm hoc modo ut nihil præſupponatur, eſt virtutis infinitæ; unde nulli creaturæ competere poteſt.* Similia habet loco in probatione ultimâ citato.

Objiciunt ultimò. Diſtantia inter terminum à quo & terminum ad quem creationis; v. g. inter nihilum & animam rationalem, non eſt infinita: Ergo ad illam ſupplendam non opus eſt virtute.

Diſtinguo antecedens. Diſtantia inter nihilum & animam rationalem non eſt infinita, ex parte animæ rationalis, concedo: ex parte nihili, nego. Diſtantia itaque poteſt eſſe infinita duobus modis. Primò ex utraque parte, qualis eſt inter Deum & nihilum. Secundò ex unâ parte tantùm, qualis eſt inter animam rationalem & Deum; Quamvis enim

diſtantia Dei ab animâ rationali ſit infinita ex parte Dei, cùm nihil magis penes perfectiones diſtat ab anima rationali quàm Deus; non tamen eſt infinita ex parte animæ rationalis, quia datur aliquid quod magis diſtat à Deo quàm anima rationalis, putà ſaxum vel nihilum. Ita à pari, quamvis diſtantia, quæ eſt inter nihilum & animam rationalem, non ſit infinita ex parte animæ rationalis, cùm ſit aliquid quod magis diſtet ab ipſo nihilo quàm anima rationalis, putà Angelus aut Deus; eſt tamen infinita ex parte nihili, quia nihil datur ex hac parte quod magis diſtet ab anima rationali. Hæc ſolutio colligitur ex S. Thom. q. 3. de potentià, art. 4. ad ſecundum, ubi ſic pronunciat: *Dicendum quòd nihil prohibet aliquam diſtantiam imaginari infinitam ex unâ parte, & ex aliâ finitam: ex utraque autem parte infinitam imaginamur diſtantiam, quandò utrumque oppoſitorum ponitur infinitum: putà ſi ſint calor & frigus infinita: ex parte autem alterâ, quandò alterum eſt finitum: ſicut ſi calor eſſet infinitus & frigus finitum, Diſtantia autem finiti entis à non eſſe ſimpliciter, eſt infinita ex una parte tantùm, & requirit nihilominùs potentiam infinitam agentem.*

Secunda Conclusio.

Impoſſibile eſt creatura creatrix, ut cauſa inſtrumentalis.

Hanc concluſionem jam probavimus ubi evicimus non dari potentiam obe-

dientialem in quolibet ad quodlibet: namque adverſarii ſuam opinionem fundant tantùm in chimerica illa univerſalitate potentiæ obedientialis: nihilominùs uberioris doctrinæ gratiâ.

Probatur primò authoritate ſancti Auguſtini l. 9. de Geneſi ad litteram cap. 15. ubi poſtquàm ſic ſcripſit: *Angeli autem nullam omninò poſſunt creare naturam; ſolus enim unius cujuſlibet naturæ, ſeu magnæ, ſeu minimæ, creator eſt Deus*; paulò poſt ſic ſubdit: *Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quàm nos ſi ipſum*: Atqui nequidem divinitus Angelus poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis creativa ſui ipſius, aliàs eſſet prior ſe ipſo: Ergo nec alterius.

Probatur ſecundò ratione deſumptâ ex ſancto Thomâ 1. parte quæſt. 45. articulo 5. *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium diſpoſitivè operatur ad effectum principalis agentis*: ſic ſecuris non participat actionem fabri lignarii, niſi in quantum per ſuam aciem diſpoſitivè concurrit ad formam ſcamni, ſcindendo ligna: Atqui in creatione nullum eſt præſuppoſitum ſubjectum, quod diſponi poſſit per actionem agentis inſtrumentalis: Ergo in creatione nulla poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis.

COROLLARIUM.

De Annihilatione.

SIcut creatio eſt eductio rei ex nihilo ſimpliciter : ita annihilatio eſt reductio rei in nihilum ſimpliciter. Unde ex ſuperioribus concluſionibus ſequitur ſolum Deum poſſe annihilare, quia annihilatio fieri tantùm poteſt ſubtractione influxûs creativi: Atqui ſolus Deus poteſt influere creativè ex dictis : Ergo ſolus Deus poteſt annihilare.

PUNCTUM TERTIUM.

De effectibus Creationis.

DIco 1. Materiam eſſe tantùm creabilem, quia cùm ſit primum ſubjectum, fieri non poteſt ex priori.

Dico 2. Spiritum creatum, eſſe tantùm creabilem, quia cùm ſit independens à materiâ, ex eâ educi non poteſt.

Dico 3. Nullas formas educibiles de facto creari, nam ſuavius eſt & connaturalius eas educi ex ſubjecto, cùm id exigatur; Deus autem ex l. Sapientiæ c.8. *Diſponit omnia ſuaviter.* Excipe tamen quantitatem Euchariſticam; quæ in myſterio altaris creativè conſervatur.

Dico 4. Formas omnes educibiles, ſive ſubſtantiales, ſive accidentales, per abſolutam Dei potentiam poſſe creari; quia Deus poteſt ſupplere in genere cauſæ efficientis in-

fluxum earum ſubjecti , ut probavimus in Logicis , ubi agendo de Categoriis docuimus accidentia divinitus eſſe poſſe ſine ſubjectis.

Dico ultimò. Compoſita naturalia nequidem divinitus creari poſſe ; quia nequidem divinitus fieri poſſunt independenter à materia , cùm materia ſit eorum pars eſſentialis, à qua proinde eſſentialiter dependent , tum in fieri , tum in conſervari.

Dices. Habetur Geneſeos cap. 1. quòd *in principio Deus creavit cœlum & terram* ; ergo creari poſſunt corpora.

Diſtinguo antecedens. *Creavit cœlum & terram* mediatè , in quantum creavit materiam, è quâ eduxit formas cœlorum & elementorum , concedo : Creavit immediatè , quaſi illa corpora produxerit independenter à materiâ , nego : Sic res omnes , quæ etiamnum generantur , vocantur creaturæ , quia creatæ ſunt mediatè ſaltem ; ſcilicet ratione ſuæ materiæ , quam Deus olim creavit immediatè , & quam jugiter creativè conſervat.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De Conſervatione.

CONſervatio latè ſumpta eſt retentio rei in ſuo eſſe , beneficio aliquarum cauſarum ; & duplex eſt ; ſcilicet directa , propria, per ſe : & indirecta , impropria , per accidens.

Conſervatio directa, eſt continuata rei productio ; ſic Sol conſervat diem , & objectum viſibile ſuas ſpecies.

Conſervatio indirecta eſt remotio corrumpentium; ſic ſal conſervat carnes à putrefactione; ſic qui extinguit incendium, conſervat domum; & proinde non omnes creaturæ conſervari poſſunt indirectè, & per accidens; ſed hæ tantùm quæ agnoſcunt quædam corrumpentia. Hinc ſpiritus creati, & materia prima conſervari non poſſunt per accidens. Imò certum eſt eas creaturas, quæ conſervari poſſunt per accidens, non ſemper conſervari per accidens: Alioquin eſſent omnes incorruptibiles; cùm Deus ſemper impedire poſſit corrumpentia.

Quæritur itaque tantùm, utrùm nulla creatura ſtare poſſit ſine directâ Dei conſervatione?

CONCLUSIO.

Qualibet creatura eget directâ Dei conſervatione.

Probatur primò ex Hebræorum c.5. ubi dicitur de Deo, quòd ſit *portans omnia verbo virtutis ſuæ.*

Probatur 2. authoritate tum ſancti Auguſtini l.4. ſuper Geneſim ad litteram cap.12. ubi ſic habet, *Omnipotentis atque omnitenentis virtus, cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ; quæ virtus ab eis quæ creata ſunt regendis, ſi aliquando ceſſaret; ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret.* Tum Authoris libri de mundo, qui id docet cap. 6. *σωτὴρ μὲν γὰρ ὄντως ἁπάντων ὄντων* conſervator enim realiter omnium entium

eſt. Et paulò antè : *οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τοῦ ἐκ τούτου σωτηρίας*, nulla ſufficit per ſe natura, privata illius conſervatione.

Probatur 3. à priori. Quidquid eſſentialiter dependet ab aliquo, eget directâ ejus conſervatione ; Sic quia corpus naturale eſſentialiter dependet à materiâ & formâ, ſubſiſtere non poteſt niſi ab his directè conſervetur ; & quia actio vitalis ut ſic, eſſentialiter dependet à potentiâ vitali, eget perpetuò directo ejus influxu : Atqui creaturæ omnes eſſentialiter dependent à Deo ; non enim aliter à Deo primariò differunt, quàm per ſuam dependentiam ; differentia autem cujuſlibet rei eſſentialis eſt ipſi : Ergo perpetuò creaturæ egent à Deo directè conſervari.

Confirmatur. Dependentia creaturæ à Deo major eſt, quàm ulla alia dependentia : Atqui quædam creaturæ egent, ut perpetuò ab aliis directè conſerventur, ut patet in exemplis allatis : Ergo omnis creatura eget, ut à Deo directè conſervetur perpetuò.

Probatur 4. à poſteriori. Niſi Deus creaturas omnes directè conſervaret, eas omnes non poſſet annihilare. Abſurdum conſequens : Ergo & antecedens. Probatur major. Duo ſunt tantùm modi deſtruendi aliquem effectum, ſcilicet poſitivè producendo aliquem effectum ipſi contrarium, quomodò ignis deſtruit frigus producendo calorem ; & negativè, ſubtrahendo concurſum conſervativum, quomodò motor deſtruit motum mobilis ceſſando ab actu : Atqui dici non po-

Digitized by Google

teſt quòd Deus poſſit deſtruere poſitivè res omnes ; tum quia non poſſet deſtruere res omnes , quia nullas poſſet deſtruere, niſi illas producendo ; tum quia quædam ſunt res incorruptibiles ex naturâ ſuâ , quæ proinde non habent contrarium, (ut Angeli & materia prima ;) atque ideò quæ poſitivè deſtrui non poſſunt : Ergo res omnes deſtruere tantùm poteſt negativè : Atqui deſtructio negativa ſit tantùm per ſubtractionem concurſûs conſervati : Ergo niſi Deus creaturas omnes directè conſervaret, eas omnes non poſſet deſtruere.

Objicies primò. Quædam ſunt creaturæ incorruptibiles, ut Angeli : Ergo illæ non egent à Deo conſervari.

Diſtinguo antecedens. Quædam ſunt creaturæ incorruptibiles, ab intrinſeco, hoc eſt quæ in ſe non habent principium corruptionis, ſicut habent mixta, concedo : incorruptibiles ab extrinſeco, hoc eſt quæ non poſſint deſtrui ſubtractione influxûs divini, nego : Solus enim Deus eſt incorruptibilis utroque modo. Unde dicitur 1. ad Tim. c.6. *Solus habere immortalitatem.* Diſtinguo conſequens; Ergo illæ non egent à Deo conſervari, indirectè, hoc eſt, per remotionem corrumpentium, concedo : directè, hoc eſt per jugem Dei influxum, nego.

Objicies ſecundò. Deus eſt potentior quolibet agente creato : Atqui agentia creata communicare poſſunt ſuis effectibus, ut ſubſiſtant ſine eorum influxu : Ergo & Deus ſuis.

Diſtinguo minorem. Agentia creata poſſunt communicare ſuis effectibus, ut ſine eorum influxu ſubſiſtant, quando effectus non pendent eſſentialiter ab ipſis, concedo: ſecùs, nego: nam agens vitale non poteſt communicare actioni ſuæ vitali ut ſic, ut ſine ipſo conſervetur, quia ſic ſpectata ab eo eſſentialiter pendet: At omnis creatura dependet eſſentialiter à Deo, & proinde ab illa dependentia abſolvi non poteſt; eſſentialia enim ſunt immutabilia.

Objicies tertiò. Licet accidens ex ſe pendeat à ſubjecto, conſervari tamen poteſt Deo volente ſine ſubjecto, ut patet in ſpeciebus Euchariſticis: Ergo à pari; licet creatura dependeat ex ſe à Deo, poteſt tamen Deo volente conſervari ſine influxu Dei.

Nego paritatem; Tum quia dependentia creaturæ à Deo eſſentialis eſt; dependentia verò accidentis à ſubjecto non item, cùm ſit dependentia à causâ ſecundâ externâ non vitali; Tum quia datur cauſa ſuperior ſubjecto accidentis; quæ proinde effectivè ſupplere poteſt ejus vices, nimirùm Deus: At dari non poteſt ulla cauſa ſuperior Deo, quæ ſupplere poſſit vices ejus.

Objicies quartò. Quædam creaturæ conſervantur ab aliis, ut dies à ſole: Ergo illæ non conſervantur à Deo.

Nego conſequentiam: quia cùm creatura agere non poſſit ſine divino concurſu, ut ex ſequenti Paragrapho patebit; non poteſt etiam quidquam conſervare ſine divino concurſu, cùm conſervare ſit agere. Deus ergo

res omnes conſervat, quaſdam ſolus, ut Angelos, animas rationales & materiam primam; quidam verò cum cauſis ſecundis, ut omnia corruptibilia; Sicut enim dat eſſe rebus quibuſdam, mediantibus aliquibus cauſis: Ita res quaſdam *conſervat mediantibus aliquibus cauſis*, ut docet ſanctus Thomas 1. p. quæſt. 104. art.2. in Argumento. Sed contra. Itaque Deus eas creaturas ſolus conſervat, quas ſolus producit; cæteras autem ſolet cum cauſis ſecundis conſervare.

Objicies ultimò. Si Deus ut author naturæ conſervaret creaturas, perpetuò eas conſervaret; cur enim potiùs uno tempore quàm alio? Conſequens eſt contra experientiam: Ergo & antecedens.

Diſtinguo. Si Deus creaturas conſervaret ſolus, concedo; Si conſervaret cum cauſis ſecundis, nego: Deus enim ſe accommodat cauſis ſecundis, v. g. Conſervat hominem ſimul cum hominis temperamento. Unde tamdiu conſervat, hominem quamdiu temperamentum ejus ſufficiens eſt: Hinc quas creaturas ſolus Deus producit, ſolet perpetuò conſervare; quas verò producit & conſervat cum cauſis ſecundis, tamdiu conſervat, quamdiu manet exigentia cauſarum ſecundarum; non ultrà.

Quæritur hîc vulgò quomodo conſervatio rei diſtinguatur à primâ ejus productione. Hanc facilè ſolves ſi recolas ea quæ diximus in Categoriis de actione & paſſione. Itaque juxta eadem principia.

Reſpondeo primò, Eas diſtingui virtuali-

ter, & ratione ratiocinatâ, tum quia diverſas habent definitiones, (Nam prima productio eſt traductio rei à non eſſe ad eſſe; conſervatio verò eſt continuata rei productio) Tum quia habent diverſas connotationes: nam prima productio denotat rem priùs non fuiſſe, conſervatio verò denotat rem priùs productam fuiſſe.

Reſpondeo ſecundò, primam productionem & conſervationem, ſi ſumantur terminativè, nunquam diſtingui realiter, quia terminantur ad eundem effectum.

Reſpondeo tertiò, primam productionem, & conſervationem principiativè ſumptas diſtingui realiter inadæquatè, quandò non ſunt eædem cauſæ conſervantes, quæ fuerunt primò producentes; ut patet in conſervatione hominis; nam homo fuit productus à Deo cum parentibus, & conſervatur à Deo ſine parentibus. Itaque prima ejus productio principiativè erat Deus ſimul influens cum parentibus, conſervatio verò eſt Deus influens ſine parentibus: Atqui parentes & Deus ſimul diſtinguuntur realiter inadæquatè à ſolo Deo: Ergo, &c.

Reſpondeo ultimò, primam productionem & conſervationem principiativè ſumptas non diſtingui realiter, quando eædem ſunt cauſæ conſervativæ, quæ primò productivæ, ut patet in conſervatione Angelorum; quia tunc prima productio & conſervatio ſunt eadem cauſa, prout influit in eundem effectum, ut docet etiam S. Thom. 1. p. quæſt. 104. articulo 1. ad 4. his verbis: *Conſervatio rerum à*

Deo non eſt per aliquam novam actionem, ſed per continuationem actionis quæ dat eſſe. Vide quæ diximus in Logicis ſectione de Quando, agendo de diſtinctione durationis ab exiſtentia rei durantis; nam eodem modo philoſophandum hîc eſt; & ſi quæ fiant objectiones, eodem modo ſolvendæ quo illic ſolutæ ſunt objectiones contra noſtram doctrinam.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De Concurſu Dei.

Concurſus in genere eſt auxilium quoddam ab unâ causâ alteri præſtitum: & duplex eſt, mediatus & immediatus.

Concurſus mediatus eſt largitio virtutis, ſic avus dicitur mediatè concurrere cum Patre, quia illi virtutem genitivam contulit.

Concurſus immediatus eſt ſimultaneus influxus unius cauſæ cum aliâ ad eundem effectum producendum; ſic pater immediatè concurrit cum matre ad generationem prolis.

Quæritur hîc utrùm creaturæ egeant Dei concurſu, ut operentur?

Certum eſt Deum mediatè ſaltem cum creaturis concurrere, in quantum dedit eis virtutem operativam, quam perpetuò conſervat. Quæritur utrùm concurrat etiam immediatè?

Durandus in ſecundum Sententiarum, diſtinctione primâ, quæſtione quintâ, negat Deum immediatè concurrere cum creaturis. Ejus aliqui ſectatores dicunt Deum concurrere tantùm mediatè & permiſſivè, in quan-

tum

tùm dedit creaturæ virtutem activam, & eis permittit ut agant. Contra eos inſurgunt univerſæ ferè Theologorum & Philoſophorum Scholæ, cum quibus noſtra ſit.

CONCLUSIO.

Deus immediatè concurrit cum omnibus creaturis.

PRobatur primò, ex Scripturis, in quibus rerum omnium productiones, paſſim Deo tribuuntur, verbis quæ non denotant ſolam largitionem virtutis & meram permiſſionem, ſed phyſicum influxum Job c. 10. *Manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt me totum in circuitu.* Pſalmo 146. *Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluviam; qui producit in montibus fœnum & herbam ſervituti hominum.* Joannis cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Joannis c. 15. *Jeſus reſpondit eis: Pater meus uſque modò operatur & ego operor.* 1. Corinth. c. 12. *Operatur omnia in omnibus.*

Probatur ſecundò, ex Auguſtino lib. 5. de Geneſi ad literam c. 20. ubi ſic habet: *Sunt qui arbitrantur tantummodo mundum ipſum factum à Deo, cætera jam fieri ab ipſo mundo, ſicut ille ordinavit & juſſit; Deum autem nihil operari; contra quos profertur illa ſententia Domini (Pater meus uſque nunc operatur.)*

Probatur tertiò, à priori. Non minùs Deus eſt primum agens, quàm primum ens; nec minùs creatura eſt agens dependens, quàm ens

dependens : Atqui, quia Deus eſt primum ens, creatura verò, ens dependens ; creatura non tantùm mediatè & permiſſivè, ſed etiam immediatè & effectivè pendet à Deo in eſſe & conſervari, ut ſuperiori Paragrapho probatum eſt : Ergo, à pari, quia Deus eſt primum agens, creatura verò, agens dependens, creatura non tantùm mediatè & permiſſivè, ſed etiam immediatè & effectivè pendet à Deo in operari : operari enim ſequitur eſſe, ſeu (quod idem eſt) modus operandi ſequitur modum eſſendi. Hoc axioma ita verum eſt, ut, eo ſemel negato, non ſuppetat ulla via deveniendi in cognitionem eſſentiarum.

Negant tamen adverſarii illud axioma, & proferunt hanc inſtantiam : Formæ materiales (inquiunt) pendent immediatè à materia in eſſe, nec tamen ab ea immmediatè pendent in operari, cùm materia iners ſit.

Nullam ſanè poterant proferre adverſarii inſtantiam, quæ axioma noſtrum magis confirmaret. Quippè, eo modo formæ materiales pendent à materia in operari, quomodo pendent in eſſe. Pendent ab ea in eſſe, non tãquam à cauſa efficiente, ſed tanquàm à cauſa materiali & ſuſtentante. Earùm etiam operationes, pari modo, pendent quoque à materia non tanquam à cauſa efficiente, ſed tanquam à cauſa materiali & ſuſtentante. Et certè, Philoſophus non alio argumento libro 2. de Generatione animalium, cap. 3. probat animas belluarum, pendere à materia in eſſe, quàm quia ab ea pendent in operari ; nihil hîc video quod ab ullo Philoſopho, vel veriſimiliter, negari poſſit.

Probatur ultimò; à poſteriori. Niſi Deus immediatè concurreret cum creaturis, non poſſet impedire actiones agentium naturalium ſolâ ſubtractione concursûs. Atqui aliquando impedivit actiones agentium naturalium ſolâ ſubtractione ſui concursûs: nam aliquando impedivit ne Chriſtus videretur à Judæis, volentibus eum lapidibus excipere, Joannis c.8. Hoc autem præſtitit tantùm denegando concurſum vel colori Chriſti, ne emitteret ſpeciem, vel ſpeciei Chriſti, ne moveret oculos; vel oculis Judæorum, ne elicerent viſionem: namque, niſi ſubtractione concursûs impediiſſet viſionem, vel eam impediiſſet tollendo virtutem activam, & hoc non, quia Judæi non ſunt obcæcati, cùm ſe invicem viderent; vel removendo agens à paſſo, & hoc etiam non, quia Chriſtus tranſiit per medium eorum; vel producendo qualitatem contrariam, & hoc etiam non, quia ſpeciei & viſioni nihil eſt contrarium: Ergo id fecit Deus ſubtrahendo occurſum. Idem argumentum peti ſolet ex eo quòd Deus aliquando impedierit ne ignis fornacis Babylonicæ, tres pueros, ex mandato Nabuchodonoſoris in formacem injectos, combureret, cùm tamen combuſſerit ſatellites. Danielis cap. 3.

Reſpondent has & ſimiles actiones Deum impedire, non permittendo agentibus naturalibus ut agant.

Refellitur iſtud effugium. Primò, quia, ut diximus, operari ſequitur eſſe: Atqui non ſufficit permiſſio Dei, ut creaturæ ſint, niſi ac cedat ejus operatio: Ergo nec ut operen-

tur. Ratio eſt quia, cùm divina voluntas ſit potentia immanenter activa, non eſt efficax ad extra, niſi beneficio omnipotentiæ, quam ad nutum applicat aut ſubtrahit: nam etſi, per impoſſibile, nollet Deus hac die aliquam creaturam durare, nec tamen ad extra quidquam faceret; vel poſitivè, aliquid producendo incompatibile; vel negativè, denegando concurſum conſervativum; non deſineret propterea creatura durare. Secundò; Creatura omnis, non tantùm permiſſivè ſed effectivè pendet à Deo in conſervari, ut ſuperiore Paragrapho demonſtravimus: Ergo & in fieri; creatura enim, non minùs eſt ens dependens dum fit, quàm dum eſt & durat: Ergo, dum aliqua creatura fit ab alia creatura, fit quoque immediatè à Deo; ſed hoc eſt Deum immediatè concurrere cum creaturis: Ergo cum his concurrit immediatè.

Objicies primò, Æquus habet virtutem completam ad generandum equum; Ergo ad id non eget auxilio Dei.

Diſtinguo antecedens Equus habet virtutem completam, in ratione cauſæ ſecundæ, hoc eſt quantùm habere poteſt cauſa ſecunda, concedo: habet virtutem completam abſolutè, nego. Nam licet calamus habeat virtutem tam completam quàm unquam habere poteſt calamus, nunquam tamen agere poteſt ſine ſcriba, ita, licet creatura habeat virtutem tam complexam quam unquam habere poteſt cauſa ſecunda, nunquam tamen agere poteſt ſine Deo Hinc Plato, in Timæo, docet naturam non tam eſſe ἄιτιον cauſam, quàm συναίτιον concauſam.

Inſtabis. Generatio equi, non ſuperat ejus virtutem: Ergo ab eo ſolo venire poteſt.

Diſtinguo antecedens. Hoc eſt, non eſt nobilioris entitatis; concedò: hoc eſt, ab ejus virtute non adjutâ venire poteſt, nego. Sic equus genitus, non eſt nobilioris entitatis quàm equus generans, nec tamen produci poteſt ab equo ſine concurſu equæ.

Objicies ſecundò. Non minùs creaturæ ſubordinatur in operando Deo ut fini, quàm ut cauſæ efficienti: Atqui omnes ejus actiones non ſunt immediatè propter Deum: Ergo nec ſunt immediatè à Deo.

Diſtinguo minorem. Actiones creaturæ non ſunt immediatè propter Deum, quatenus fiunt à creatura, concedo: quatenus fiunt à Deo, nego. Diſtinguo conſequens: Ergo non ſunt immediatè à Deo, quatenùs fiunt à creaturâ, concedo: ex aliâ parte, nego. Fateor quidem actiones creaturæ quatenùs fiunt à creaturâ, fieri mediatè à Deo, in quantum fiunt à creatura per virtutem à Deo acceptam: ſed contendo ex aliâ parte fieri immediatè à Deo, ſimul cum creaturâ agente, omniáque opera propter ſemetipſum operante; Itaque omnes actiones creaturarum, à Deo pendent, mediatè ſimul & immediatè.

Objcies tertiò. Si Deus concurreret cum creatura, vel concurreret eâdem actione cum actione creaturæ, vel diverſâ. Neutrum dici poteſt: Ergo non concurrit.

Solutio facilis eſt, in noſtra ſententia; quippe concurſus divinus & actio creaturæ, ſi terminativè ſumantur, non diſtinguuntur rea-

liter: ſi vero ſumantur principiativè, diſtinguuntur realiter: proindéque Deus concurrit cum creaturâ, eâdem actione terminativè, diversâ verò principiativè.

Objicies ultimò. Si Deus concurreret ad omnes actiones, concurreret ad actiones peccaminoſas. Falſum conſequens (alioqui Deus eſſet reus peccatorum: quia qui, ſciens & volens, concurrit ad entitatem actûs peccaminoſi, reus eſt peccati) Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Si Deus concurreret ad omnes actiones, concurreret ad actiones peccaminoſas, materialiter & quoad entitatem ſumptas, concedo: formaliter & quoad defectum conſideratas, nego. Eodem modo probatio diſtinguenda: Confirmationem diſtinguo. Qui, ſciens & volens, concurrit ad entitatem actûs peccaminoſi, reus eſt peccati, ſi non concurrat ex officio, concedo: ſecus, nego. Sic, Judex, ſecundùm allegata & probata damnans innocentem contrà propriam ſcientiam, non peccat. Sic, Sacerdos, palàm miniſtrans Corpus Chriſti homini à ſe privatim cognito indigno (ſicut ipſe Chriſtus porrexit Judæ) non peccat: At, Deus, ex officio primæ & univerſalis cauſæ, tenetur (quantùm teneri poteſt Deus) concurrere ad actiones omnes, ſecundùm exigentiam creaturarum. Proindéque non peccat concurrendo ad actiones malas; quia ſic non concurrit ad actiones malas formaliter; ſed materialiter tantùm ſpectatas. Duo ergo ſunt in actione malâ: effectus ſcilicet & defectus: Deus ad primum concurrit, non ad ſe-

cundum. Hoc doctiſſimè explicat ſanctus Thomas 1. 2. quæſt. 79. articulo 2. his verbis : *Actus peccati & eſt ens, & eſt actus : & ex utroque habet quod ſit à Deo : omne enim Ens, quocunque modo ſit, oportet ut derivetur à primo Ente , ut patet per Dionyſium , quinto capite de divinis nominibus. Omnis autem actio cauſatur ab aliquo exiſtente in actu ; quia nihil agit niſi ſecundùm quod eſt actu : omne autem ens actu, reducitur in primum actum (ſcilicet Deum,) ſicut in cauſam , quæ eſt per ſuam eſſentiam actus : Vndè relinquitur quod Deus ſit cauſa omnis actionis, in quantum eſt actio : ſed peccatum nominat Ens & actionem cum quodam defectu ; Defectus autem ille , eſt ex causâ creatâ (ſcilicet libero arbitrio ,) in quantum deficit ab ordine primi agentis , ſcilicet Dei ; Vnde defectus iſte non reducitur in Deum ſicut in cauſam : ſed in liberum arbitrium ; ſicut defectus claudicationis , reducitur in tibiam curvam, ſicut in cauſam , non autem in virtutem motivam , à quâ tamen cauſatur quidquid eſt motionis in claudicatione : & ſecundùm hoc , Deus eſt cauſa actûs peccati , non eſt tamen cauſa peccati ; quia non eſt cauſa hujus quòd actus ſit cum defectu.*

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Di determinatione cauſarum ſecundarum ad effectus.

DEterminatio , eſt ſublatio indifferentiæ ; Undè, totuplex eſt determinatio in agen-

tibus, quotuplex poteſt in iis conſiderari indifferentia : Atqui

Quatruplex indifferentia cogitari poteſt in agentibus. Prima, ad exercitium, hoc eſt ad agendum vel non agendum. Secunda, ad ſpeciem, hoc eſt ad producendum effectum hujus vel illius ſpeciei, v. gl equum aut leonem. Tertia, ad intenſionem, ſeu ad vires effectûs; v.g. ad producendum calorem ut duo vel ſex, effectum infirmum vel robuſtum, maſculum vel femellam. Quarta & ultima ad individuum; v.g. ad producendum Petrum vel Paulum : Ergo

Quadruplex cogitari poteſt determinatio in agentibus, ſcilicet ad exercitium, ad ſpeciem, ad intenſionem & ad individuum.

Quæritur utrùm illæ determinationes veniant à causâ primâ, vel à ſecundâ?

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſa ſecunda non determinantur à Deo ad exercitium, ſpeciem & intenſionem.

PRobatur. Non eſt recurrendum ad Deum in explicatione rerum naturalium, quoties explicari poſſunt per cauſas ſecundas : Atqui triplex illa determinatio explicari poteſt & debet per cauſas ſecundas : quia cauſæ ſecundæ, vel ſunt liberæ vel neceſſariæ : ſi liberæ, vi ſuæ libertatis ſe determinant ad exercitium, ſpeciem & intenſionem, ſaltem in actibus naturalibus : v. g. Homo, vi ſuæ libertatis, ſe determinare poteſt ad agendum, ad exercendum actum amoris potiùs quàm odii :

odii, ad eliciendum actum duorum vel plurium graduum: ſi verò cauſæ ſecundæ ſint neceſſariæ, determinantur à ſuis conditionibus, virtutibus & patientibus: verbi gratiâ ignis determinatur ab applicatione, à calore & à materiâ oppoſitâ: Ergo cauſæ ſecundæ non determinantur à Deo ad exercitium, ſpeciem & intentionem.

Objicies. Vel Deus determinat creaturas ad illa omnia, vel ab iis determinatur. Abſurdum eſt dicere Deum à creaturis determinari: Ergo eas determinat.

Diſtinguo minorem. Abſurdum eſt dicere Deum à creaturis determinari, phyſicè, concedo: moraliter, nego: Sic quotidie, per preces noſtras, Deum moraliter determinamus ad beneficia quædam nobis conferenda, quippe, Deum determinari moraliter, non eſt tam Deum determinari, quàm ipſum ſe determinare ad exigentiam creaturæ.

De iſtâ concluſione conveniunt omnes: ſed major lis eſt de determinatione ad individuum; quam quidam etiam refundunt in cauſas ſecundas; quidam verò, in primam.

Qui refundunt determinationem ad individuum in cauſas ſecundas, ſunt in duplici claſſe; alii enim comminiſcuntur aliquam effectuum ſeriem, quæ ex natura ſua competat unicuique cauſæ creatæ, ita ut Adamo v. g. convenerit ex natura rei producere poſſe tot filios, tali ordine, ut primus eſſet Caïnus, ſecundus Abel, tertius Sethus, &c. Alii, hanc determinationem refundunt in certam con-

probationem cauſarum ſecundarum, in iis circunſtantiis loci & temporis conſtitutarum: contrà quos omnes ſit

SECUNDA CONCLUSIO.

Determinatio ad individuum à primâ causâ repetenda eſt.

PRobatur primò. Quoties aliqua naturalia, refundi non poſſunt in cauſas ſecundas, refundenda ſunt in ipſum Deum; (cujus ſcilicet eſt, propter officium cauſæ generalis ſubvenire naturæ quodammodo laboranti: propter quod principium, productio animarum rationalium, ab omnibus; & productio ſpecierum intelligibilium angelicarum, à pleriſque, in Deum refunduntur:) Atqui determinatio ad individuum, refundi non poteſt in cauſas ſecundas (cauſæ enim ſecundæ, ex ſe indifferentes ſunt ad plura individua: v. g. equus, ad plures equos, quia equus eſt tantùm determinatus à naturâ ad ſuum ſimile: At, omnes equi, perinde ſunt ſimiles equo generanti; nam omnes ſunt ejuſdem ſpeciei cum eo, & omnes ab eo differunt numero: Ergo non eſt potior ratio cur exigat unum potiùs producere quàm alterum) Ergo determinatio ad individuum, à primâ cauſâ eſt repetenda.

Probatur ſecundò. Quia, in noſtrâ ſententiâ, magis elucet beneficium quo Deo aſtringimur, ex eo quòd nati ſumus ex Chriſtianis parentibus; cùm enim Dei ſit determinare

ad individuum, æque naturaliter poterat determinare parentes ethnicos ad nos producendos, quàm Chriſtianos, proindèque maximo ei beneficio aſtringimur, quòd ad nos producendos determinarit parentes Chriſtianos: At, in ſententiâ adverſariorum, nullum ferè eſſet iſtud beneficium nativitatis.

Probatur ultimo, ex rejectione aliarum opinionum. Nam, primò, illa opinio quæ recurrit ad immobilem quamdam ſeriem effectuum unicuique cauſæ propriam, gratis conficta eſt, ad fugiendam difficultatem, ut patet ex eo quòd nulli, vel tantiſper probabili, fundamento innitatur. Secundò, ea quæ recurrit ad conglobationem circunſtantiarum vel cauſarum, non eſt etiam veriſimilis; tum quia circunſtantiæ loci & temporis, non ſunt activæ, proindéque ab iis repeti non debet determinatio ad individuum; Tum quia omnes cauſæ ſecundæ, ſimul conglobatæ, adhuc ſunt indifferentes ad multa individua, cùm nihil in iis appareat à quo determinentur.

Dices. Licet nec equus ex ſe, nec aſina ex ſe poſtulent producere mulum, nihilominùs ſimul determinantur ad producendum mulum. Ergo, à pari, licet Joannes nec Joanna v. g. ſeorſim poſtulent producere Petrum, nihilominus dici poteſt quòd ſimul determinentur potiùs ad producendum Petrum quàm alium.

Nego paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quòd ex equo & aſina ſemper naſcatur mulus, proindéque ſignum ſit has duas cauſas;

ſimul ad iſtam ſpeciem eſſe determinatas ; at verò, ex iiſdem parentibus non ſemper naſcatur idem individuum, proindéque ſignum ſit parentes, etiam ſimul, non eſſe determinatos ad idem individuum.

Objicies primò. Ex Ariſtotele, libro quarto de generatione animalium, capite tertio. Ille qui generat, non tantùm generat ut homo, ſed ut Socrates : Ergo non tantùm determinatur ad generandum hominem, ſed etiam ad generandum alium Socratem.

Diſtinguo conſequens : Ergo Socrates determinatur ex ſe ad generandum alium Socratem, hoc eſt hominem ſibi ſimilem in moribus, temperamento, ſimilibuſque characteribus individualibus, concedo : ad generandum hunc numero hominem, nego. Tum quia Socrates poteſt producere multos Socrates ; tum quia Socrates productus, poterat ex ſe habere alios planè characteres individuales, ſicque venire ab aliis parentibus.

Objicies ſecundò. Si Deus determinaret ad individuum, determinaret ad peccatum. Falſum conſequens : Ergo & antecedens.

Nego antecedens. Peccatum enim non conſiſtit in individuo, ſed in ſpecie ; neque enim ideo peccat homicida, quia hanc numero volitionem exercet ; ſed quia elicit volitionem homicidii in ſpecie : nec ideo peccat homicida quia hunc numero motum, hanc numero enſis vibrationem exercet, aut quia hunc numero hominem occidit ; ſed quia occidit hominem in ſpecie.

Inſtabis. Aliquando malum conſiſtit in individuo, ſaltem ex parte: v. g. quòd occiſio hujus hominis, putà parentis, pejor ſit quàm occiſio alterius, venit ab individuo: Ergo ſi Deus determinat ad individuum, determinat ad peccatum.

Diſtinguo antecedens. Aliquando malum reperitur ab individuo objecti, concedo: ab individuo actionis, nego. Deus autem determinat tantùm ad individuum actionis, non autem ad individuum objecti, cùm agentia libera, ad illud ſe determinare poſſunt, ut potè quæ illud cognoſcant.

Urgebis. Non tantùm Deus determinat ad hanc generationem, ſed etiam ad generationem hujus hominis: Ergo Deus determinat etiam ad individuum objecti.

Diſtinguo conſequens. Deus determinat etiam ad individuum objecti, purè terminativi, quod ſcilicet habet rationem effectûs, concedo: Deus determinat ad individuum objectivi motivi, nego. Quia Deus determinat, quandò determinatio venire non poteſt à causâ ſecundâ; at, determinatio ad objectum motivum venire poteſt à causâ ſecundâ, ut ſatis patet.

Objicies tertiò. Non poteſt aliquis ad individuum determinare alium, quin ipſum determinet ad ſpeciem: Atqui ex dictis Deus non determinat ad ſpeciem: Ergo nec ad individuum.

Diſtinguo majorem. Non poteſt aliquis determinare ad individuum, alium nondum determinatum ad ſpeciem, quin determinet

ad ſpeciem, concedo: ſecus, nego. v. g. amicus non poteſt determinare alterum amicum, nondum cogitantem de emptione equi, ad hunc equum emendum, quin determinet ad equum emendum: ſed amicum jam determinatum ad equum emendum; determinare poteſt ad emptionem hujus equi, licet non determinet ad emptionem equi ſimpliciter.

Inſtabis. Species & individuum non diſtinguuntur: Ergo ſi creatura non determinetur à Deo ad ſpeciem, non determinatur quoque à Deo ad individuum.

Diſtinguo antecedens. Species determinatè ſumpta, prout eſt in aliquo individuo, & individuum non diſtinguuntur, concedo: ſpecies ſumpta collectivè pro omnibus individuis ſub ſe contentis, & individuum non diſtinguuntur, nego. Unde nego conſequentiam.

Objicies ultimò. Species intentionalis Petri & ſpecies intentionalis Pauli differunt ſolo numero, & tamen Petrus ex ſe determinatus eſt ad producendum intentionaliter potiùs ſpeciem ſui quàm ſpeciem Pauli: Ergo determinatio ad individuum, eſt à causâ ſecundâ.

Diſtinguo primam partem antecedentis. Species intentionalis Petri & ſpecies intentionalis Pauli, differunt ſolo numero, per differentias numericas heterogeneas, concedo: per homogeneas, nego. Quippè, quædam differentiæ numericæ, ſunt tantùm diſtinctæ & non heterogeneæ; quales ſunt differentiæ numericæ omnium viſionum ejuſdem objecti:

aliæ, non tantùm ſunt diſtinctæ, ſed etiam aliquatenus heterogeneæ; quales ſunt differentiæ numericæ viſionum, quibus duo homines v. g. videntur. Fateor ergo determinationem ad individuationem hujus rationis, potiùs quàm alterius, eſſe à cauſis ſecundis. Sed nego determinationem ad individuationem hanc potiùs quàm aliam ejuſdem rationis, eſſe à cauſis ſecundis. Unde nego conſequentiam; nam Petrus ex ſe non eſt determinatus ad producendum potiùs hanc imaginem ſui, quàm aliam imaginem ſui.

PARAGRAPHUS ULTIMUS.

De Prædeterminatione.

PRædeterminatio ſeu præmotio, eſt actio quâ una cauſa, aliam applicat ad agendum; & proinde, prædeterminare eſt applicare ad agendum.

Prædeterminatio duplex eſt: ſcilicet moralis, quæ fit ſuaſoriè, quomodo amici determinant amicos: & Oratores, ſeu Auditores: & Phyſica, quæ fit neceſſitando, quomodo artifices ſua prædeterminant inſtrumenta.

Certum eſt Deum poſſe prædeterminare phyſicè creaturas ad agendum (non tamen ad peccandum,) pro ſummo, quo in eas pollet, dominio. Quæritur an de facto ita prædeterminet? Porrò hæc quæſtio inſtitui poteſt de Deo, vel ut authore gratiæ, vel ut authore naturæ. Illam quæſtionem examinant Theologi de Deo; ut authore gratiæ, tractatu de Gratia, ubi agunt de efficacia

gratiæ prævenientis & operantis : nos eam hîc examinamus de Deo ; ut authore naturæ.

Multi Thomiſtæ contendunt creaturas nihil prorſus agere poſſe, niſi à Deo præmoveantur, ſicut inſtrumenta præmoventur ab artificibus, contra quos ſit.

CONCLUSIO.

Deus non prædeterminat phyſicè creaturas ad agendum.

PRobatur primò. Prædeterminatio phyſica veniens à Deo inutilis eſt : Ergo nulla : Deus enim & natura nihil faciunt fruſtrà. Probatur antecedens. Creaturæ poſſunt determinari ad agendum ſine illa prædeterminatione phyſica veniente à Deo : Ergo talis prædeterminatio inutilis eſt. Probatur antecedens. Creaturæ vel ſunt neceſſariæ, vel liberæ : Si neceſſariæ, ſatis determinantur à ſuis virtutibus, conditionibus & patientibus, verbi gratiâ ſatis ignis determinatur ad calefaciendum à ſuo calore, & ab applicatione ad lignum : Si verò ſint liberæ, vi ſuæ libertatis ſe ipſas determinare poſſunt ; cùm libertas, ſit facultas ſui ipſius determinativa : Ergo creaturæ poſſunt determinari ad agendum, ſine prædeterminatione phyſicâ veniente à Deo.

Probatur ſecundò. Si Deus præmoveret phyſicè creaturas ad agendum, vel illa præmotio foret aliqua qualitas fluens & veluti intentionalis, actioni creaturæ prævia ; vel

eſſet ipſamet actio creaturæ, quæ priùs fieret à Deo, quàm creaturâ (utraque enim pars ſuos habet fautores.) Neutrum dici poteſt: Ergo Deus non præmovet phyſicè creaturas.

Probatur prima pars minoris, quòd Deus ſcilicet non præmoveat creaturam per qualitatem actioni creaturæ præviam. Quia quo jure omnis creatura eget prædeterminatione phyſicâ, ut agat & moveat, eodem jure illa qualitas impreſſa egeret prædeterminatione phyſicâ ut moveret, cùm foret creatura; ſicque daretur proceſſus in infinitum. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Probatur ſecunda pars ejuſdem minoris, quod ſcilicet actio creaturæ, non ſit priùs à Deo quàm creaturâ. Quia ſi hoc eſſet, illuminatio priùs foret à Deo, quàm à Sole, & proinde Sol non produceret lumen; ſed tantùm ad ſummum conſervaret, & ſic creaturæ non eſſent productivæ: Imò, nequidem eſſent conſervativæ, quia Deus ſe ſolo ſolet conſervare, quæ ſolus produxit, ut patet in Angelis & cœlis: Deus autem ſolus, omnia produceret: Ergo ſolus conſervaret. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Probatur tertiò. Si Deus prædeterminaret phyſicè omnes creaturas, ita ut aliter agere non poſſent; ſequeretur creaturas liberas nihil agere poſſe niſi à Deo prædeterminarentur; proindéque primos parentes nunquam peccare potuiſſe, niſi ad manducationem pomi fuiſſent à Deo prædeterminati: Quod concilient adverſarii, ſi poſſint, cum bonitate & juſtitiâ divinâ.

Probatur ultimò. Si Deus prædeterminaret phyſicè omnes creaturas, prædeterminaret voluntatem. Falſum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur minor. Si Deus prædeterminaret phyſicè voluntatem, tolleret liberum arbitrium. Abſurdum conſequens: Ergo & antecedens. Probatur major. Tam Deus prædeterminans, tolleret liberum arbitrium reſpectu actionis ad quam voluntatem prædeterminaret, quàm Deus viſus, reſpectu amoris beatifici: Atqui Deus viſus tollit liberum arbitrium reſpectu amoris beatifici, ut ex ipſo ſancto Thoma oſtendimus in Moralibus, diſputatione de Beatitudine & libero arbitrio; Ergo, à pari, Deus phyſicè prædeterminans tolleret liberum arbitrium reſpectu actionis ad quam prædeterminaret. Probatur paritas. Ideò Deus viſus tollit liberum arbitrium reſpectu amoris beatifici, quia voluntas videntis Deum per eſſentiam, non poteſt abſtinere ab ejus amore: Atqui etiam voluntas phyſicè prædeterminata, non poſſet abſtinere ab actione ad quam phyſicè prædeterminaretur: Ergo par utrobique ratio.

Objicies primò. Ex Ariſtotele, Deus eſt primum movens: Ergo præmovet creaturas: Alioqui creaturæ tam deberent dici prima moventia reſpectu ſuorum effectuum, quàm Deus reſpectu ſuorum, quod abſurdum eſt.

Diſtinguo antecedens. Deus eſt primum movens, prioritate eſſendi conſequentiæ, concedo: Prioritate cauſalitatis, ſubdiſtinguitur. Reſpectu virtutis operativæ, quam ſcilicet

creaturis conceſſit, concedo: reſpectu operationis creaturæ, quaſi operatio creaturæ priùs à Deo attingatur, quàm à creaturâ, nego. Itaque Ariſtoteles non aliam admittit prioritatem inter concurſum cauſæ primæ & ſecundæ, quàm prioritatem eſſendi conſequentiæ: vi cujus, ab actione creaturæ ad actionem Dei valeat conſequentia, non contrà. Qualis prioritas, eſt in gradibus metaphyſicis, inter gradum ſuperiorem & inferiorem, quæ non eſt prioritas cauſalitatis, ſed conſecutionis. Ad confirmationem, nego ſequi: quippe creaturæ movent dependenter à concurſu divino: At, de ratione primi moventis eſt, ut moveat independenter à quocunque.

Objicies ſecundò. Ex ſancto Thoma paſſim, Deus prædeterminat creaturas.

Diſtinguo. Creaturis virtutes operativas naturaleſque inclinationes dando, concedo, eas phyſicè ad operandum applicando nego: Nam ſanctus Thomas, 1.part.quæſt.105. articulo tertio, in quo quærit ex profeſſo, utrùm Deus moveat intellectum creatum, non aliter probat Deum movere intellectum creatum, quàm quia dedit ei virtutem intellectivam, & cum intellectu agente concurrit ad ſpecies intelligibiles cudendas: & articulo ſequenti, quærens utrùm Deus moveat voluntatem creatam, duo tantùm dicit. Primum eſt, ſolum Deum movere efficaciter voluntatem creatam, ut objectum; quòd tantùm fit, dum Deus clarè cognoſcitur, ut diximus in moralibus. Secundum eſt, quòd Deus moveat

de facto voluntatem creatam, in ratione primi moventis: Sed in quantùm dedit ei virtutem volendi, & inclinationem naturalem in bonum univerſale; vi-cujus inclinationis, ſe movet voluntas ad bona particularia, quia fines intermedii non movent, niſi in virtute ultimi: Et in reſponſione ad primum dicit Deum, movendo voluntatem, non cogere voluntatem, quia quod movet alterum non contra inclinationem, ſed dando inclinationem, non cogit; ſicut generans non cogit grave, illud movendo deorſum, quia in tantum illud movet, in quantum dat ei naturalem inclinationem tendendi deorſum; Et proinde Deus, movendo voluntatem, ipſam non cogit, quia movet dando ei ſuam propriam & naturalem inclinationem ad bonum ſcilicet univerſale, & beatitudinem indeterminatè.

Inſtabis. Sanctus Thomas paſſim dicit creaturas moveri à Deo, ſicut inſtrumenta ab artificibus.

Diſtinguo. Secundùm aliquam proportionem, concedo. ſecundùm omnem, nego: Omnis enim comparatio claudicat: In hoc ergo paritas eſt, quòd ſicut inſtrumenta agere nequeunt ſine auxilio artificis; ita creaturæ agere non poſſunt ſine concurſu Dei: In hoc verò non eſt paritas, quòd ſicut inſtrumenta debent præmoveri ab artificibus; ita creaturæ debeant præmoveri à Deo. Falſum enim eſt creaturas omnes, ex ſancto Thoma, eſſe inſtrumenta Dei propriè dicta: Nunquam enim negavit creaturas quaſdam eſſe

cauſas principes ſuorum effectuum, verbi gratiâ. Subſtantias univocè agentes, ſubſtantiarum ſimilium; creaturas liberas, ſuorum actuum: Alioqui cenſuiſſet crimina in eas refundi non poſſe: Unde quidam Philoſophi optimè dixerunt creaturas neceſſarias, meliùs comparari arcui tenſo, quàm ſerræ, aut alteri inſtrumento: Itaque ſi quando creatura dicantur Dei inſtrumenta, nomen inſtrumenti ſumendum eſt latè, pro cauſa eſſentialiter ſubordinata.

Objicies tertiò. Magis creaturæ pendent à Deo, quàm aliæ ab aliis: Atqui creaturæ quædam pendent ab aliis: ut phyſicè præmoveantur v. g. inſtrumenta ab artificibus: Ergo creaturæ pendent à Deo, ut præmoveantur phyſicè.

Nego conſequentiam, quia licet creaturæ non præmoveantur à Deo, adhuc magis pendent ab ipſo, quàm inſtrumenta ab artificibus: Quia (ut optimè dicit ſanctus Thomas quæſtione citatâ articulo 5.) *Artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit: Sed Deus dat etiam formas agentibus, & eas tenet in eſſe.* Adde quòd inſtrumenta ita præmoventur ab opifice, ut ab eo non pendeant eſſentialiter, aut in eſſe, aut in operari; quandoquidem poſſunt eſſe & operari ſine eo, ſi nimirùm ab alio applicentur: At omnis creatura eſſentialiter, & (ut ita loquar) indiſpenſabiliter pendet à Deo in eſſe & operarari, ut probatum eſt paragrapho ſecundo & tertio.

Objicies ultimò. Operari ſequitur eſſe : Atqui crerturæ non poſſunt eſſe, quin priùs determinentur à Deo ad eſſendum : Ergo nec operari, quin priùs determinentur à Deo ad operandum.

Diſtinguo majorem. Operari ſequitur eſſe, hoc eſt, ſi eſſe alicujus ab altero ſit eſſentialiter dependens vel independens, ab eodem quoque *τὸ* operari erit dependens vel independens, concedo : Hoc eſt, operari, eſt eodem modo planè dependens vel independens, nego : Sic,eſſe compoſitorum naturalium, dependet eſſentialiter à formâ, tanquam à causâ internâ & formali : Operari verò ipſorum, pendet tantùm à formâ, tanquam à causâ externâ & effectivâ. Conceſsâ minore, nego paritatem. Quia creaturæ,antequàm ſint, nihil habent, quo determinentur ad eſſendum: At verò,antequàm operentur, habent aliquid quo determinentur ad operandum, putà ſuas virtutes & conditiones.

SECTIO TERTIA.

De Causâ Exemplari.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione, & exiſtentiâ Cauſæ Exemplaris.

HÆc cauſa vocatur exemplar, exemplum, typus, prototypus, forma, paradigma; & in agentibus intellectualibus, idea.

Concipitur ut id, ad cujus ſimilitudinem & imitationem aliquid fit.

Tria hîc quæruntur. Primum, utrùm detur exemplar in communi? Secundum, utrùm ipſa agentia naturalia, v. g. Equi generantes, habeant etiam exemplaria? Tertium utrùm exemplar ſit vera cauſa?

PRIMA CONCLUSIO.

Datur Exemplar,

PRobatur primò, ex primo capite ſancti Joannis, ubi ſic ſcribitur: *Quod factum eſt, in ipſo* (Verbo divino,) *vita erat*: Hoc eſt creaturæ ab æterno idealiter vivebant in Verbo divino. Vide quæ de ideis divinis diximus in Logicis, agendo de Univerſali Platonico.

Probatur ſecundò, ratione, Cauſa efficiens ut ſic, indifferens eſt & indeterminata, niſi ab aliquâ ideâ determinetur, v. g. ſutor, eſt indifferens ad calceum vel crepidam, niſi ſeſe determinet per ideam unius potius quàm alterius: Ergo datur exemplar.

SECUNDA CONCLUSIO.

Agentia naturalia habent exemplaria.

PRobatur. Quia, ut ait Philoſophus, lib. 1. de Generatione cap. 7. & ipſa comprobat experientia, omne agens intendit ſibi aſſimilare paſſum, hoc eſt, ex paſſo ſeu ſubjecto, producere effectum ſibi ſimilem: Ergo agentia naturalia habent exemplaria, quæ imitentur,

CAPUT SECUNDUM.

De definitione, & cauſalitate Exemplaris.

EXemplar definitur à ſancto Auguſtino l. 12. de Civitate Dei cap. 25. Forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantîs ſibi finem. Sed hæc definitio (ut patet) convenit tantùm ideæ; hoc eſt exemplari agentis intellectualis & liberi.

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſa exemplaris cauſalitas in actu primo conſiſtit in vi directivâ per imitationem ſui.

PRobatur. In eo conſiſtit cauſæ exemplaris cauſalitas in actu primo, quo intellecto intelligitur exemplar poſſe cauſare: Atqui talis eſt vis directiva per imitationem ſui: Ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cauſa exemplaris cauſalitas in actu ſecundo eſt actualis directio per imitationem ſui.

ESt contra nonnullos, qui cauſæ exemplaris cauſalitatem in actu ſecundo, reponunt in imitatione paſſivâ; contra quos.

Probatur primò concluſio. In eo conſiſtit cauſæ exemplaris cauſalitas in actu ſecundo, quo intellecto intelligitur exemplar actu cauſare; Atqui actualis directio per

imitationem ſui, eſt ejuſmodi: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Cauſalitas in actu ſecundo cujuſlibet cauſæ, conſiſtit in aliquo quod denotat verum influxum: Atqui nihil eſt quod denotet verum influxum exemplaris, præter actualem directionem per imitationem ſui: Nam imitatio paſſiva influxum non denotat, cùm dicat rem habere ſe merè paſſivè: Ergo cauſæ exemplaris cauſalitas in actu ſecundo, eſt actualis directio per imitationem ſui.

Cæterùm, ſicut motio metaphorica, quæ eſt cauſalitas finis, diſtinguitur tantùm connotativè à cauſalitate agentis, eſtque ipſa actio, prout fit ad intuitum alicujus bonitatis allicientis: ita directio exemplaris non differt realiter à cauſalitate agentis, ſed eſt ipſa actio, prout fit ex directione exemplaris.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus cauſa exemplaris.

QUæritur hîc de Exemplari, qualis ſit cauſa; hoc eſt primò, an ſit cauſa moraliter vel phyſica: Secundò, ad quod genus cauſæ ſit revocanda; cùm enim Peripatetici propugnent quatuor duntaxat eſſe cauſarum genera, ad unum ex illis Exemplar revocare tenentur.

Prima Concluſio.

Exemplar eſt tantùm cauſa moralis.

PRobatur eodem argumento quo probavimus finem eſſe tantùm cauſam moralem, nimirùm : Cauſa quæ dum cauſat, non exiſtit phyſicè per ſe aut per virtutem aliquam realem quem reliquerit, non eſt cauſa phyſica : Atqui exemplar non exiſtit phyſicè per ſe aut per virtutem aliquam realem quem reliquerit, ut patet dum quotidie artifices novas ſibi cudunt ideas : Ergo exemplar eſt tantùm cauſa moralis, non phyſica.

Secunda Concluſio.

Exemplar revocandum eſt ad cauſam formalem.

PRobatur primò authoritate Philoſophi, qui lib. 2. Phyſicorum cap. 3. & lib. 5. Metaphyſicorum cap. 2. pro unico genere cauſæ affert τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα, hoc eſt formam & exemplar.

Probatur ſecundò, authoritate ſancti Auguſtini qui libro octoginta trium quæſtionum quæſt. 46. dicit ideas eſſe formas, ſecundùm quas formatur, quidquid oritur ; unde etiam definit exemplar, ut diximus capite ſuperiori, formam quam aliquid imitatur, &c.

Probatur tertiò, authoritate ſancti Thomæ, qui primâ parte, quæſt. 15. articulo primo. ſic ſcribit. *Idem Græcè, Latinè forma dicitur,*

unde per idem intelliguntur formæ aliquarum rerum præter ipſas res exiſtentes.

Probatur quartò, ratione. Quod aliquo modo ſpecificat & determinat ad ſpeciem, revocatur ad cauſam formalem; hinc objecta ſolent revocari ad formalem cauſam, ex eo quòd extrinſecè ſpecificent: Atqui exemplar extrinſecè ſpecificat & determinat ad ſpeciem: ſicut enim effectus intrinſecè ſpecificantur à forma quam includunt; ita extrinſecè ſpecificantur ab ideâ, ad cujus ſimilitudinem facti ſunt, verbi gratiâ, ſicut homo intrinſecè habet, quòd ſit homo, ab anima rationali; ita extrinſecè habet quòd ſit homo, ab idea quam Deus habet de homine: Ideo enim extrinſecè homo eſt, quia factus eſt ad ideam hominis: Ergo exemplar rectè revocatur ad cauſam formalem. Hinc Philoſophus locis citatis definit ſecundum genus cauſæ complectens, τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα, λόγον τοῦ τί ἦν εἶναι, id eſt rationem ſeu ſpecificationem eſſentiæ. Hinc S. Thom. 1. parte, quæſt. 44. art. 3. ſic habet: *Ad productionem alicujus rei, ideo neceſſarium eſt exemplar, ut effectus determinatam formam conſequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materiâ propter exemplar ad quod inſpicit.* Hinc etiam veritas effectûs extrinſecè deſumitur ex conformitate cum exemplari, ſicut intrinſecè conſiſtit in conformitate cum causâ formali.

Objicies 1. Sanctus Dionyſius l. 4. & 5. de Divinis nominibus, vocat ideas divinas, cauſas effectrices rerum: Ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Ideæ divinæ ſunt effectrices rerum, ſi ſumantur formaliter pro ipſa cognitione & ſcientia Dei, concedo: ſi objectivè pro eſſentia divina cognita ut imitabili & participabili à creatura, nego. Fateor ſcientiam Dei practicam revocandam eſſe ad cauſam efficientem; ſicut in artificibus ars ad eam revocatur, definiturque ob id, *habitus effectivus*: ſed nego exemplar, quod ars aut ſcientia practica imitatur, revocandum eſſe ad cauſam efficientem.

Objicies ſecundò. Cauſa formalis eſt cauſa interna: Atqui exemplar non eſt cauſa interna: Ergo non debet revocari ad cauſam formalem.

Diſtinguo majorem. Cauſa formalis *ex qua*, vel potiùs *per quam*, eſt cauſa interna, concedo: cauſa formalis *ad quam*, vel potiùs *ad cujus ſimilitudinem*, eſt cauſa interna, nego. Itaque triplex eſt forma ex S. Thoma quæſt. 3. de veritate, articulo primo: ſcilicet ex quâ, à quâ, & ad quam. Prima eſt illa, *ex quâ* ſeu per quam res intrinſecè conſtituitur in ſua ſpecie. Secunda eſt illa, *à quâ* effectus ut ab agendi principio progreditur. Tertia eſt illa, *ad cujus ſimilitudinem* aliquid fit, v. g. anima equi geniti eſt forma ex qua ſeu per quam intrinſecè conſtituitur equus: anima equi generantis (ut ſic) eſt forma à quâ fit equus genitus: natura equi generantis (ut ei aſſimilatur equus genitus) eſt forma ad quam ſeu ad cujus ſimilitudinem fit equus genitus. Sicut itaque cauſa materialis bene dividitur in intrinſecam, qualis eſt materia reſpectu

compoſiti; & extrinſecam, qualis eſt ſubjectum reſpectu formæ eductæ, cujus ſcilicet pars non eſt: ita cauſa formalis rectè dividitur in æternam quæ ſpecificat intrinſecè, qualis eſt forma informans; & externam quæ extrinſecè ſpecificat, qualia ſunt objecta reſpectu actionum vitalium, & exemplaria reſpectu effectuum. Et certè objecta cognitionum ſunt veluti quædam earum exemplaria, quibus ſcilicet cognitiones conformari debent.

Objicies tertiò. Forma quâ agens agit, revocatur ad cauſam efficientem: Atqui exemplar eſt forma quâ agens agit; ita enim ſe habet exemplar in agentibus intellectualibus, quomodo forma in naturalibus: Atqui in naturalibus forma agentis revocatur ad cauſam efficientem: Ergo in intellectualibus exemplar ad eandem revocari debet.

Diſtinguo majorem. Forma agentis revocatur ad cauſam efficientem, ſi ſermo ſit de formâ à quâ ſit effectus, concedo: ſi de forma ad quam, nego. Ad probationem, diſtinguo minorem. In naturalibus forma revocatur ad cauſam efficientem, ſi ſpectetur prout eſt forma à quâ phyſicè egreditur effectus tanquam à principio actionis, concedo: ſi ſpectetur prout eſt forma ad cujus ſimilitudinem fit effectus, nego. Itaque anima equi generantis v. g. duo habet. Primum eſt, quòd aſſimilet activè equum genitum: ſecundum eſt, quòd ei aſſimiletur equus genitus. Priori ſenſu, eſt cauſa efficiens; poſteriori cauſa exemplaris & formalis extrinſeca. Diſtinguo

conſequens : Ergo in intellectualibus exemplar revocatur ad cauſam efficientem , ſi exemplar ſumatur pro cognitione formali à quâ directivè eſt effectus , concedo : ſi ſumatur pro exemplari objectivo quod agens imitatur , nego.

Objicies ultimò. Quod dirigit agens , revocatur ad cauſam efficientem : & propter hanc rationem ars ab omnibus reducitur ad cauſam efficientem : Atqui exemplar dirigit agens : Ergo revocatur ad cauſam efficientem.

Diſtinguo majorem. Quod dirigit agens revocatur ad cauſam efficientem , ſi dirigat effectivè , concedo : ſi objectivè & exemplariter tantùm , nego. At Exemplar non dirigit effectivè inſtar artis , ſed exemplariter inſtar objecti , in quod reſpicitur ab artifice.

CAPUT QUARTUM.

De diviſione Exemplaris.

EXemplar dividitur primò in univocum, quod eſt ejuſdem naturæ cum exemplato ; qualis eſt una ſtatua reſpectu alterius : & in æquivocum , quod eſt diverſæ naturæ ab exemplato : qualis eſt eſſentia divina reſpectu creaturarum.

Dividitur 2. in naturale , quod agens naturale imitatur ; ut dum equus producit equum: & in intellectuale , quod agens dianoëticum imitatur ; ut cùm pictor exprimit regem.

Exemplar intellectuale ſubdividitur in externum, quod eſt extra agens; qualis eſt rex reſpectu pictoris: & in internum, quod eſt intra agens; qualis eſt idea regis in mente pictoris. Externum autem exemplar non eſt neceſſarium, niſi ut habeatur internum: undè, quò peritior eſt artifex, eò minùs exemplaribus externis eget. Hinc ſummus omnium artifex Deus nullis eget exemplaribus externis, ut aliàs docuimus agendo de Univerſali Platonico.

Porro in exemplari interno duo ſunt diſtinguendi conceptus: ſcilicet formalis, qui eſt ipſa cognitio; & objectivus, qui eſt objectum cognitum ut exprimendum.

Quæritur utrùm exemplar cauſet ſecundùm ſuum conceptum formalem, vel ſecundùm ſuum conceptum objectivum; eo modo quo quæritur de fine, utrùm moveat ſecundùm eſſe intentionale, vel ſecundùm eſſe reale.

Conclusio.

Exemplar cauſat ſecundùm conceptum objectivum tantùm.

Probatur 1. ex S. Thoma 1. p. quæſt. 15. art. 2. ubi dicit ideam operati eſſe in mente operantis, ſicut quod intelligitur, non autem ſicut ſpeciem quâ intelligitur. *Forma enim domus* (inquit) *in mente ædificatoris eſt aliquid ab eo intellectum, ad cujus ſimilitudinem domum in materia format.*

Probatur 2. Artifex debet cogitare inter agendum

agendum de ſuo exemplari. At vix unquam cogitat de conceptu formali exemplaris ; ſed tantùm de objectivo, ut ſatis patet attendenti : Ergo, &c.

Probatur 3. Exemplar eſt menſura operis: ut enim videatur utrùm opus ſit bonum, videndum eſt utrùm ſuum exemplar benè exprimat : Atqui menſura operis non eſt cognitio artificis, ſed objectum ab eo cognitum ut exprimendum : Ergo, &c.

Objcies primò. Exemplar in eo conſiſtit, quod dirigit agens : Atqui conceptus formalis dirigit agens : Ergo exemplar conſiſtit in conceptu formali.

Diſtinguo majorem. Exemplar conſiſtit in eo quod agens dirigit per ſe, concedo : per aliud, nego : At conceptus formalis, per ſe non dirigit agens ; ſed per objectivum conceptum, quem agenti proponit.

Objicies ſecundò. Aliquandò nullus eſt conceptus objectivus ; ut cum facta eſt prima navis : Ergo exemplar non conſiſtit in conceptu objectivo.

Nego antecedens. Impoſſibilis enim eſt cognitio ſine cognito. Probationem diſtinguo. Dum facta eſt prima navis, nullus erat conceptus objectivus, externus, tranſeat : internus, nego : Nam artifex illius navis habebat navim objectivè in mente. Dixi tranſeat: nam ſaltem author illius navis viderat multa exemplaria partialia externa, ex quibus efformaverat aliquod totale.

Objicies ultimò. Si exemplar eſſet conceptus objectivus, exemplaria divina eſſent

ipſa eſſentia divina: Falſum conſequens; Alioqui Deus eſſet valdè imperitus artifex, cùm ſuæ eſſentiæ creaturas parùm aſſimilet: Ergo & antecedens.

Nego minorem, & probationem ejus. Confirmationem diſtinguo. Deus creaturas parum aſſimilat ſuæ eſſentiæ, entitativè ſpectatæ, concedo; ſpectatæ prout participabilis eſt à creatura nego. Sic licet ſtatuarius non reddat ſtatuam homini entitativè ſpectato ſimilem, non deſinit tamen eſſe peritus ſtatuarius, dummodo reddat ſtatuam ſimilem homini, in quantum homo participari poteſt à ſtatua: At eſſentia divina non eſt idea ullius creaturæ, niſi in quantum participabilis eſt ab illâ. Hinc ſanctus Thomas quæſtionis citatæ articulo 2. ſic habet. *In quantum Deus cognoſcit ſuam eſſentiam ut ſic imitabilem à tali creatura: cognoſcit eam ut propriam rationem & ideam hujus creaturæ.*

SECTIO QUARTA.

De Cauſa Materiali.

MAteriam triplicem diſtinximus in Prolegomenis Philoſophiæ, ſcilicet, ex quâ, in quâ, & circa quam. Sola materia ex quâ propriè habet rationem cauſæ materialis. Namque materia circa quam ſeu objectum, habet rationem, aut cauſæ efficientis, in quantum ſimul cum facultate naturali effectivè concurrit ad actum, ut videre eſt in objectis

potentiarum cognoſcitivarum ; Aut cauſæ finalis, in quantum, inſtar boni, potentiam ad ſe allicit, ut videre eſt in potentiis appetitivis ; Aut rationem cauſæ formalis extrinſecæ, in quantum actiones per ordinem ad ipſam ſpecificantur : Materia autem in quâ ſeu ſubjectum; non habet rationem cauſæ, niſi etiam ſit materia ex quâ. Hinc corpus non habet rationem cauſæ reſpectu animæ rationalis, quia anima rationalis ita eſt in corpore, ut non ſit ex corpore.

Porro licet materia ex quâ propriè dicta, conſiderationis ſit phyſicæ : materia tamen ex quâ latè ſumpta, juris eſt metaphyſici ; cum communis ſit rebus ſpiritalibus & corporeis : accidentia enim ſpiritalia habent ſuam materiam ex quâ educuntur, putà ſuum ſubjectum, quod in ea influit in ratione cauſæ materialis.

Cauſa materialis ergo latius patet, quàm materia ſtrictè ſumpta ; cum materia ſtrictè ſumpta, ad ſolas res corporeas attineat : Cauſa verò materialis, ad quaſdam res etiam ſpiritales ſpectet. Unde Metaphyſicorum eſt agere de cauſa materiali in genere ; Phyſicorum verò tractare de materia.

Cauſa materialis definitur Cauſa ex qua fit effectus ; & duplex eſt : ſcilicet compoſitionis, & eductionis.

Cauſa materialis compoſitionis definitur ab Ariſtotele lib. 2. Phyſicorum cap. 3. & lib. 5. Metaphyſicorum cap. 2. Cauſa ex quâ in exiſtente fit effectus, ut æs reſpectu ſtatuæ, & argentum reſpectu pateræ.

Cauſa materialis eductionis eſt ſubjectum à quo dependenter forma aliqua producitur.

Cæterùm, non omnis cauſa materialis compoſitionis, eſt cauſæ materialis eductionis: nam corpus humanum eſt cauſa materialis compoſitionis reſpectu hominis, nec tamen eſt cauſa materialis eductionis reſpectu animæ humanæ; ut potè quæ à Deo creante infundatur: At verò omnis cauſa materialis eductionis, eſt cauſa materialis compoſitionis, quia ſubjectum omne quod paſſivè concurrit ad productionem formæ, ſimul cum illâ formâ totum aliquod componit: Sic materia equi ſimul cum animâ equinâ ex ſe eductâ componit equum; Sic intellectus ſimul cum doctrinâ ex ipſo eductâ, componit doctum.

Ex quibus patet duos eſſe poſſe effectus cauſæ materialis: ſcilicet formam, quæ ex eâ educitur; & compoſitum, quod ex eâ ſimul cum formâ coaleſcit. Quæritur hîc cauſalitas cauſæ materialis reſpectu utriuſque ſui effectûs.

Prima Conclusio.

Cauſa materialis cauſalitas in actu primo reſpectu formæ, eſt vis ſuſtentativa, reſpectu verò compoſiti vis compoſitiva.

Probatur. In eo conſiſtit cauſalitas cauſæ materialis in actu primo reſpectu formæ, quo intellecto intelligitur poſſe cauſare formam; & in eo conſiſtit reſpectu compoſiti, quo intellecto intelligitur cauſa materialis poſſe cauſare compoſitum. Atqui, &c. Ergo, &c.

Secunda Conclusio.

Cauſæ materialis cauſalitas in actu ſecundo reſpectu formæ, eſt actualis ſuſtentatio; reſpectu verò compoſiti, actualis compoſitio per modum potentiæ.

PRobatur. In eo conſiſtit cauſæ materialis cauſalitas in act u ſecundo reſpectu formæ, quo intellecto cauſa materialis intelligitur actu cauſare formam, & in eo conſiſtit reſpectu compoſiti, quo intellecto cauſa materialis intelligitur actu cauſare compoſitum: Atqui, &c. Ergo, &c.

Quærunt hîc vulgò Philoſophi utrùm Deus ſupplere poſſit cauſalitatem cauſæ materialis.

Reſpondeo primò, Deum non poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis, in genere cauſæ materialis; quia ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis in genere cauſæ materialis, eſt ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis recipiendo: Atqui Deus nihil poteſt recipere, alioqui eſſet mutationi obnoxius: Ergo, &c.

Reſpondeo ſecundò. Deum poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis reſpectu cujuſcunque formæ, in genere cauſæ efficientis; quia Deum ſupplere cauſalitatem cauſæ efficientis, eſt Deum effectivè producere aut conſervare formam ſine causâ materiali: Atqui Deus id poteſt; tum quia de facto id præſtat in accidentibus Euchariſticis, quæ conſervat ſine ſubjecto; tum quia Deus poteſt ſupplere concurſum cujuſcunque cauſæ, modo nec ſit cauſa interna, nec efficiens vitalis

Objicies ultimò. Operari ſequitur eſſe : Atqui creaturæ non poſſunt eſſe, quin priùs determinentur à Deo ad eſſendum : Ergo nec operari, quin priùs determinentur à Deo ad operandum.

Diſtinguo majorem. Operari ſequitur eſſe, hoc eſt, ſi eſſe alicujus ab altero ſit eſſentialiter dependens vel independens, ab eodem quoque τὸ operari erit dependens vel independens, concedo : Hoc eſt, operari, eſt eodem modo planè dependens vel independens, nego : Sic, eſſe compoſitorum naturalium, dependet eſſentialiter à formâ, tanquam à causâ internâ & formali : Operari verò ipſorum, pendet tantùm à formâ, tanquam à causâ externâ & effectivâ. Conceſsâ minore, nego paritatem. Quia creaturæ, antequàm ſint, nihil habent, quo determinentur ad eſſendum: At verò, antequàm operentur, habent aliquid quo determinentur ad operandum, putà ſuas virtutes & conditiones.

SECTIO TERTIA.

De Causâ Exemplari.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione, & exiſtentiâ Cauſæ Exemplaris.

HÆc cauſa vocatur exemplar, exemplum, typus, prototypus, forma, paradigma; & in agentibus intellectualibus, idea.

Concipitur ut id, ad cujus ſimilitudinem & imitationem aliquid fit.

Tria hîc quæruntur. Primum, utrùm detur exemplar in communi? Secundum, utrùm ipſa agentia naturalia, v. g. Equi generantes, habeant etiam exemplaria? Tertium utrùm exemplar ſit vera cauſa?

Prima Conclusio.

Datur Exemplar,

PRobatur primò, ex primo capite ſancti Joannis, ubi ſic ſcribitur: *Quod factum eſt, in ipſo* (Verbo divino,) *vita erat*: Hoc eſt creaturæ ab æterno idealiter vivebant in Verbo divino. Vide quæ de ideis divinis diximus in Logicis, agendo de Univerſali Platonico.

Probatur ſecundò, ratione, Cauſa efficiens ut ſic, indifferens eſt & indeterminata, niſi ab aliquâ ideâ determinetur, v. g. ſutor, eſt indifferens ad calceum vel crepidam, niſi ſeſe determinet per ideam unius potius quàm alterius: Ergo datur exemplar.

Secunda Conclusio.

Agentia naturalia habent exemplaria.

PRobatur. Quia, ut ait Philoſophus, lib. 1. de Generatione cap. 7. & ipſa comprobat experientia, omne agens intendit ſibi aſſimilare paſſum, hoc eſt, ex paſſo ſeu ſubjecto, producere effectum ſibi ſimilem: Ergo agentia naturalia habent exemplaria, quæ imitentur,

CAPUT SECUNDUM.

De definitione, & cauſalitate Exemplaris.

EXemplar definitur à ſancto Auguſtino l. 12. de Civitate Dei cap. 25. *Forma* quam aliquid imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem. Sed hæc definitio (ut patet) convenit tantùm ideæ; hoc eſt exemplari agentis intellectualis & liberi.

PRIMA CONCLUSIO.

Cauſa exemplaris cauſalitas in actu primo conſiſtit in vi directivâ per imitationem ſui.

PRobatur. In eo conſiſtit cauſæ exemplaris cauſalitas in actu primo, quo intellecto intelligitur exemplar poſſe cauſare: Atqui talis eſt vis directiva per imitationem ſui: Ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cauſa exemplaris cauſalitas in actu ſecundo eſt actualis directio per imitationem ſui.

ESt contra nonnullos, qui cauſæ exemplaris cauſalitatem in actu ſecundo, reponunt in imitatione paſſivâ; contra quos.

Probatur primò concluſio. In eo conſiſtit cauſæ exemplaris cauſalitas in actu ſecundo, quo intellecto intelligitur exemplar actu cauſare; Atqui actualis directio per

imitationem ſui, eſt ejuſmodi: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Cauſalitas in actu ſecundo cujuſlibet cauſæ, conſiſtit in aliquo quod denotat verum influxum: Atqui nihil eſt quod denotet verum influxum exemplaris, præter actualem directionem per imitationem ſui: Nam imitatio paſſiva influxum non denotat, cùm dicat rem habere ſe merè paſſivè: Ergo cauſæ exemplaris cauſalitas in actu ſecundo, eſt actualis directio per imitationem ſui.

Cæterùm, ſicut motio metaphorica, quæ eſt cauſalitas finis, diſtinguitur tantùm connotativè à cauſalitate agentis, eſtque ipſa actio, prout fit ad intuitum alicujus bonitatis allicientis: ita directio exemplaris non differt realiter à cauſalitate agentis, ſed eſt ipſa actio, prout fit ex directione exemplaris.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus cauſæ exemplaris.

QUæritur hîc de Exemplari, qualis ſit cauſa; hoc eſt primò, an ſit cauſa moraliter vel phyſica: Secundò, ad quod genus cauſæ ſit revocanda; cùm enim Peripatetici propugnent quatuor duntaxat eſſe cauſarum genera, ad unum ex illis Exemplar revocare tenentur.

Prima Concluſio.

Exemplar eſt tantùm cauſa moralis.

PRobatur eodem argumento quo probavimus finem eſſe tantùm cauſam moralem, nimirùm : Cauſa quæ dum cauſat, non exiſtit phyſicè per ſe aut per virtutem aliquam realem quem reliquerit, non eſt cauſa phyſica : Atqui exemplar non exiſtit phyſicè per ſe aut per virtutem aliquam realem quem reliquerit, ut patet dum quotidie artifices novas ſibi cudunt ideas : Ergo exemplar eſt tantùm cauſa moralis, non phyſica.

Secunda Concluſio.

Exemplar revocandum eſt ad cauſam formalem.

PRobatur primò authoritate Philoſophi, qui lib. 2. Phyſicorum cap. 3. & lib. 5. Metaphyſicorum cap. 2. pro unicò genere cauſæ affert τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα, hoc eſt formam & exemplar.

Probatur ſecundò, authoritate ſancti Auguſtini qui libro octoginta trium quæſtionum quæſt. 46. dicit ideas eſſe formas, ſecundùm quas formatur, quidquid oritur ; unde etiam definit exemplar, ut diximus capite ſuperiori, formam quam aliquid imitatur, &c.

Probatur tertiò, authoritate ſancti Thomæ, qui primâ parte, quæſt. 15. articulo primo. ſic ſcribit. *Idem Græcè, Latinè forma dicitur,*

unde per idem intelliguntur formæ aliquarum rerum præter ipſas res exiſtentes.

Probatur quartò, ratione. Quod aliquo modo ſpecificat & determinat ad ſpeciem, revocatur ad cauſam formalem; hinc objecta ſolent revocari ad formalem cauſam, ex eo quòd extrinſecè ſpecificent: Atqui exemplar extrinſecè ſpecificat & determinat ad ſpeciem: ſicut enim effectus intrinſecè ſpecificantur à forma quam includunt; ita extrinſecè ſpecificantur ab ideâ, ad cujus ſimilitudinem facti ſunt, verbi gratiâ, ſicut homo intrinſecè habet, quòd ſit homo, ab anima rationali; ita extrinſecè habet quòd ſit homo, ab idea quam Deus habet de homine: Ideo enim extrinſecè homo eſt, quia factus eſt ad ideam hominis: Ergo exemplar rectè revocatur ad cauſam formalem. Hinc Philoſophus locis citatis definit ſecundum genus cauſæ complectens, τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα, λόγον τοῦ τί ἦν εἶναι, id eſt rationem ſeu ſpecificationem eſſentiæ. Hinc S. Thom. 1. parte, quæſt. 44. art. 3. ſic habet: *Ad productionem alicujus rei, ideo neceſſarium eſt exemplar, ut effectus determinatam formam conſequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materiâ propter exemplar ad quod inſpicit.* Hinc etiam veritas effectûs extrinſecè deſumitur ex conformitate cum exemplari, ſicut intrinſecè conſiſtit in conformitate cum causâ formali.

Objicies 1. Sanctus Dionyſius l. 4. & 5. de Divinis nominibus, vocat ideas divinas, cauſas effectrices rerum: Ergo, &c.

Diſtinguo antecedens. Ideæ divinæ ſunt effectrices rerum, ſi ſumantur formaliter pro ipſa cognitione & ſcientia Dei, concedo: ſi objectivè pro eſſentia divina cognita ut imitabili & participabili à creatura, nego. Fateor ſcientiam Dei practicam revocandam eſſe ad cauſam efficientem; ſicut in artificibus ars ad eam revocatur, definiturque ob id, *habitus effectivus*: ſed nego exemplar, quod ars aut ſcientia practica imitatur, revocandum eſſe ad cauſam efficientem.

Objicies ſecundò. Cauſa formalis eſt cauſa interna: Atqui exemplar non eſt cauſa interna: Ergo non debet revocari ad cauſam formalem.

Diſtinguo majorem. Cauſa formalis *ex qua*, vel potiùs *per quam*, eſt cauſa interna, concedo: cauſa formalis *ad quam*, vel potiùs *ad cujus ſimilitudinem*, eſt cauſa interna, nego. Itaque triplex eſt forma ex S. Thoma quæſt. 3. de veritate, articulo primo: ſcilicet ex quâ, à quâ, & ad quam. Prima eſt illa, *ex quâ* ſeu per quam res intrinſecè conſtituitur in ſua ſpecie. Secunda eſt illa, *à quâ* effectus ut ab agendi principio progreditur. Tertia eſt illa, *ad cujus ſimilitudinem* aliquid fit, v. g. anima equi geniti eſt forma ex qua ſeu per quam intrinſecè conſtituitur equus: anima equi generantis (ut ſic) eſt forma à quâ fit equus genitus: natura equi generantis (ut ei aſſimilatur equus genitus) eſt forma ad quam ſeu ad cujus ſimilitudinem fit equus genitus. Sicut itaque cauſa materialis bene dividitur in intrinſecam, qualis eſt materia reſpectu

conſequens: Ergo in intellectualibus exemplar revocatur ad cauſam efficientem, ſi exemplar ſumatur pro cognitione formali à quâ directivè eſt effectus, concedo: ſi ſumatur pro exemplari objectivo quod agens imitatur, nego.

Objicies ultimò. Quod dirigit agens, revocatur ad cauſam efficientem: & propter hanc rationem ars ab omnibus reducitur ad cauſam efficientem: Atqui exemplar dirigit agens: Ergo revocatur ad cauſam efficientem.

Diſtinguo majorem. Quod dirigit agens revocatur ad cauſam efficientem, ſi dirigat effectivè, concedo: ſi objectivè & exemplariter tantùm, nego. At Exemplar non dirigit effectivè inſtar artis, ſed exemplariter inſtar objecti, in quod reſpicitur ab artifice.

CAPUT QUARTUM.

De diviſione Exemplaris.

Exemplar dividitur primò in univocum, quod eſt ejuſdem naturæ cum exemplato; qualis eſt una ſtatua reſpectu alterius: & in æquivocum, quod eſt diverſæ naturæ ab exemplato: qualis eſt eſſentia divina reſpectu creaturarum.

Dividitur 2. in naturale, quod agens naturale imitatur; ut dum equus producit equum: & in intellectuale, quod agens dianoëticum imitatur; ut cùm pictor exprimit regem.

Exemplar intellectuale ſubdividitur in externum, quod eſt extra agens; qualis eſt rex reſpectu pictoris: & in internum, quod eſt intra agens; qualis eſt idea regis in mente pictoris. Externum autem exemplar non eſt neceſſarium, niſi ut habeatur internum: undè, quò peritior eſt artifex, eò minùs exemplaribus externis eget. Hinc ſummus omnium artifex Deus nullis eget exemplaribus externis, ut aliàs docuimus agendo de Univerſali Platonico.

Porro in exemplari interno duo ſunt diſtinguendi conceptus: ſcilicet formalis, qui eſt ipſa cognitio; & objectivus, qui eſt objectum cognitum ut exprimendum.

Quæritur utrùm exemplar cauſet ſecundùm ſuum conceptum formalem, vel ſecundùm ſuum conceptum objectivum; eo modo quo quæritur de fine, utrùm moveat ſecundùm eſſe intentionale, vel ſecundùm eſſe reale.

CONCLUSIO.

Exemplar cauſat ſecundùm conceptum objectivum tantùm.

PRobatur 1. ex S. Thoma 1. p. quæſt. 15. art. 2. ubi dicit ideam operati eſſe in mente operantis, ſicut quod intelligitur, non autem ſicut ſpeciem quâ intelligitur. *Forma enim domus* (inquit) *in mente ædificatoris eſt aliquid ab eo intellectum, ad cujus ſimilitudinem domum in materia format.*

Probatur 2. Artifex debet cogitare inter agendum

agendum de ſuo exemplari. At vix unquam cogitat de conceptu formali exemplaris; ſed tantùm de objectivo, ut ſatis patet attendenti: Ergo, &c.

Probatur 3. Exemplar eſt menſura operis: ut enim videatur utrùm opus ſit bonum, videndum eſt utrùm ſuum exemplar benè exprimat: Atqui menſura operis non eſt cognitio artificis, ſed objectum ab eo cognitum ut exprimendum: Ergo, &c.

Objicies primò. Exemplar in eo conſiſtit, quod dirigit agens: Atqui conceptus formalis dirigit agens: Ergo exemplar conſiſtit in conceptu formali.

Diſtinguo majorem. Exemplar conſiſtit in eo quod agens dirigit per ſe, concedo: per aliud, nego: At conceptus formalis, per ſe non dirigit agens; ſed per objectivum conceptum, quem agenti proponit.

Objicies ſecundò. Aliquandò nullus eſt conceptus objectivus; ut cum facta eſt prima navis: Ergo exemplar non conſiſtit in conceptu objectivo.

Nego antecedens. Impoſſibilis enim eſt cognitio ſine cognito. Probationem diſtinguo. Dum facta eſt prima navis, nullus erat conceptus objectivus, externus, tranſeat: internus, nego: Nam artifex illius navis habebat navim objectivè in mente. Dixi tranſeat: nam ſaltem author illius navis viderat multa exemplaria partialia externa, ex quibus efformaverat aliquod totale.

Objicies ultimò. Si exemplar eſſet conceptus objectivus, exemplaria divina eſſent

ipſa eſſentia divina: Falſum conſequens; Alioqui Deus eſſet valdè imperitus artifex, cùm ſuæ eſſentiæ creaturas parùm aſſimilet: Ergo & antecedens.

Nego minorem, & probationem ejus. Confirmationem diſtinguo. Deus creaturas parum aſſimilat ſuæ eſſentiæ, entitativè ſpectatæ, concedo; ſpectatæ prout participabilis eſt à creatura nego. Sic licet ſtatuarius non reddat ſtatuam homini entitativè ſpectato ſimilem, non deſinit tamen eſſe peritus ſtatuarius, dummodo reddat ſtatuam ſimilem homini, in quantum homo participari poteſt à ſtatua: At eſſentia divina non eſt idea ullius creaturæ, niſi in quantum participabilis eſt ab illâ. Hinc ſanctus Thomas quæſtionis citatæ articulo 2. ſic habet. *In quantum Deus cognoſcit ſuam eſſentiam ut ſic imitabilem à tali creatura: cognoſcit eam ut propriam rationem & ideam hujus creaturæ.*

SECTIO QUARTA.

De Cauſa Materiali.

MAteriam triplicem diſtinximus in Prolegomenis Philoſophiæ, ſcilicet, ex quâ, in quâ, & circa quam. Sola materia ex quâ, propriè habet rationem cauſæ materialis. Namque materia circa quam ſeu objectum, habet rationem, aut cauſæ efficientis, in quantum ſimul cum facultate naturali effectivè concurrit ad actum, ut videre eſt in objectis

potentiarum cognoſcitivarum ; Aut cauſæ finalis, in quantum, inſtar boni, potentiam ad ſe allicit, ut videre eſt in potentiis appetitivis ; Aut rationem cauſæ formalis extrinſecæ, in quantum actiones per ordinem ad ipſam ſpecificantur : Materia autem in quâ ſeu ſubjectum; non habet rationem cauſæ, niſi etiam ſit materia ex quâ. Hinc corpus non habet rationem cauſæ reſpectu animæ rationalis, quia anima rationalis ita eſt in corpore, ut non ſit ex corpore.

Porro licet materia ex quâ propriè dicta, conſiderationis ſit phyſicæ : materia tamen ex quâ latè ſumpta, juris eſt metaphyſici; cum communis ſit rebus ſpiritalibus & corporeis : accidentia enim ſpiritalia habent ſuam materiam ex quâ educuntur, putà ſuum ſubjectum, quod in ea influit in ratione cauſæ materialis.

Cauſa materialis ergo latius patet, quàm materia ſtrictè ſumpta ; cum materia ſtrictè ſumpta, ad ſolas res corporeas attineat : Cauſa verò materialis, ad quaſdam res etiam ſpiritales ſpectet. Unde Metaphyſicorum eſt agere de cauſa materiali in genere ; Phyſicorum verò tractare de materia.

Cauſa materialis definitur Cauſa ex qua fit effectus ; & duplex eſt : ſcilicet compoſitionis, & eductionis.

Cauſa materialis compoſitionis definitur ab Ariſtotele lib. 2. Phyſicorum cap. 3. & lib. 5. Metaphyſicorum cap. 2. Cauſa ex quâ inexiſtente fit effectus, ut æs reſpectu ſtatuæ, & argentum reſpectu pateræ.

Cauſa materialis eductionis eſt ſubjectum à quo dependenter forma aliqua producitur.

Cæterùm, non omnis cauſa materialis compoſitionis, eſt cauſa materialis eductionis: nam corpus humanum eſt cauſa materialis compoſitionis reſpectu hominis, nec tamen eſt cauſa materialis eductionis reſpectu animę humanæ; ut potè quæ à Deo creante infundatur: At verò omnis cauſa materialis eductionis, eſt cauſa materialis compoſitionis, quia ſubjectum omne quod paſſivè concurrit ad productionem formæ, ſimul cum illâ formâ totum aliquod componit: Sic materia equi ſimul cum animâ equinâ ex ſe eductâ componit equum; Sic intellectus ſimul cum doctrinâ ex ipſo eductâ, componit doctum.

Ex quibus patet duos eſſe poſſe effectus cauſæ materialis: ſcilicet formam, quæ ex eâ educitur; & compoſitum, quod ex eâ ſimul cum formâ coaleſcit. Quæritur hîc cauſalitas cauſę materialis reſpectu utriuſque ſui effectûs.

Prima Conclusio.

Cauſa materialis cauſalitas in actu primo reſpectu formæ, eſt vis ſuſtentativa, reſpectu verò compoſiti vis compoſitiva.

PRobatur. In eo conſiſtit cauſalitas cauſæ materialis in actu primo reſpectu formæ, quo intellecto intelligitur poſſe cauſare formam; & in eo conſiſtit reſpectu compoſiti, quo intellecto intelligitur cauſa materialis poſſe cauſare compoſitum. Atqui, &c. Ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Cauſa materialis cauſalitas in actu ſecundo reſpectu formæ, eſt actualis ſuſtentatio; reſpectu verò compoſiti, actualis compoſitio per modum potentiæ,

PRobatur. In eo conſiſtit cauſæ materialis cauſalitas in act u ſecundo reſpectu formæ, quo intellecto cauſa materialis intelligitur actu cauſare formam, & in eo conſiſtit reſpectu compoſiti, quo intellecto cauſa materialis intelligitur actu cauſare compoſitum: Atqui, &c. Ergo, &c.

Quærunt hîc vulgò Philoſophi utrùm Deus ſupplere poſſit cauſalitatem cauſæ materialis.

Reſpondeo primò, Deum non poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis, in genere cauſæ materialis; quia ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis in genere cauſæ materialis, eſt ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis recipiendo: Atqui Deus nihil poteſt recipere, alioqui eſſet mutationi obnoxius: Ergo, &c.

Reſpondeo ſecundò. Deum poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis reſpectu cujuſcunque formæ, in genere cauſæ efficientis; quia Deum ſupplere cauſalitatem cauſæ efficientis, eſt Deum effectivè producere aut conſervare formam ſine causâ materiali: Atqui Deus id poteſt; tum quia de facto id præſtat in accidentibus Euchariſticis, quæ conſervat ſine ſubjecto; tum quia Deus poteſt ſupplere concurſum cujuſcunque cauſæ, modo nec ſit cauſa interna, nec efficiens vitalis:

Atqui cauſa materialis reſpectu formæ, nec eſt cauſa interna, cum non ſit pars ejus componens; nec cauſa efficiens vitalis, ut ſatis patet: Ergo Deus ſupplere poteſt ejus concurſum reſpectu formæ.

Reſpondeo tertiò, Deum non poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis reſpectu compoſiti. Probatur, Deus non poteſt ſupplere cauſalitatem ullius cauſæ internæ: Atqui materia eſt cauſa interna reſpectu compoſiti: Ergo Deus non poteſt ſupplere cauſalitatem materiæ reſpectu compoſiti. Probatur major. Omnis cauſa interna, eſt eſſentialis ſuo toti, ut ſatis patet: Atqui Deus non poteſt ſupplere concurſum ullius cauſæ eſſentialis; alioqui illa cauſa eſſet eſſentialis effectui & non eſſet. Eſſet ex hippotheſi, non eſſet verò, quandoquidem ſine ipsâ divinitus conſervari poſſet effectus: Ergo Deus ſupplere non poteſt concurſum illius cauſæ internæ.

Et hæc ratio probat etiam, Deum non poſſe ſupplere cauſalitatem cauſæ formalis, cum cauſa formalis ut ſic, ſit cauſa interna & eſſentialis. Unde Deus non poteſt ſupplere cauſalitatem aut corporis aut animæ reſpectu hominis; quia Deus non poteſt facere ut homo conſervetur ſine corpore & animâ; aliàs homo ſimul eſſet homo & non eſſet, quod contradictorium eſſet.

Ad cauſam materialem revocant Philoſophi, primò quodlibet ſubjectum, quod proindè dicitur materia in quâ. Secundò quamlibet potentiam Metaphyſicam, v. g. genus. Tertiò, diſpoſitiones materiæ, quibus ſcili-

cet præparatur materia ad recipiendum. Ultimò denique, partes quaſlibet, ex quibus ſcilicet fit aliquod totum.

SECTIO ULTIMA.

De Causâ Formali.

Cauſa formalis definitur à Philoſopho lib. 2. Phyſicorum c. 3. & lib. 5. Metaphyſicorum c. 2. *Ratio ejus quod dat eſſe rei*, id eſt ratio conſtitutiva eſſentiæ. Clariùs definitur, Cauſa per quam conſtituitur effectus in tali eſſe.

Unicus eſt effectus formæ, putà compoſitum; quia forma non dat eſſe materiæ (ut dicemus in Phyſicis,) ſed ſoli compoſito.

Prima Conclusio.

Cauſa formalis cauſalitas in actu primo eſt vis informativa, ſeu vis compoſitiva per modum actûs.

Probatur. Cauſæ formalis cauſalitas in actu primo, eſt id quo intellecto cauſa formalis intelligitur poſſe cauſare compoſitum; Atqui vis informativa ſeu compoſitiva per modum actûs, eſt ejuſmodi: Ergo, &c.

Secunda Conclusio.

Cauſa formalis cauſalitas in actu ſecundo, eſt actualis informatio; ſeu actualis compoſitio per modum actûs.

Probatur. Cauſæ formalis cauſalitas in actu ſecundo, eſt id quo intellecto intelligitur cauſa formalis actu cauſare compoſitum: Atqui talis eſt actualis informatio, ſeu actualis compoſitio per modum actûs: Ergo, &c.

Quæritur hîc vulgò, quomodo cauſalitates cauſarum internarum ab iis diſtinguantur: Modiſtæ eas diſtinguunt modaliter; illos refellemus in Phyſicis, ubi oſtendemus non opus eſſe ullo glutine modali inter materiam & formam ut uniantur; cauſalitates enim materiæ & formæ nihil aliud ſunt quàm unio ipſarum, quâ ſolâ intellectâ, ſatis intelliguntur actu cauſare. Sicut ergo actio agentis diverſimodè ſpectata cauſalitas eſt omnium cauſarum externarum: ita unio variè conſiderata, cauſalitas eſt ambarum cauſarum internarum.

Ad cauſam formalem reducuntur exemplaria, reſpectu effectuum; objecta, reſpectu potentiarum, habituum, & actionum; definitiones reſpectu definitorum; abſtracta, reſpectu concretorum; actus metaphyſici, reſpectu totorum metaphyſicorum: v. g. differentia, reſpectu ſpeciei; & compoſitio partium, reſpectu totorum artificialium.

APPENDIX.

De Cauſis & Effectibus per accidens.

EAdem eſt ſcientia contrariorum, ex Philoſopho l. 5. Ethicorum c. 1. Cùm ergo cauſa per ſe & cauſa per accidens, ſicut effectus per ſe & effectus per accidens, opponantur; ordo doctrinæ poſtulat ut iis quæ hactenùs docuimus de cauſa & effectu per ſe, de cauſa & effectu per accidens pauca ſubnectamus. Itaque duo erunt hujus appendicis Articuli. Prior de causâ per accidens, poſterior de effectu per accidens.

ARTICULUS PRIOR.

De Cauſa per accidens.

CAuſa per ſe aliter ſumitur apud Morales; aliter apud Phyſicos. Morales qui ſpectant maximè intentionem, cauſam per ſe appellant, quæcunque intendit effectum, etſi eum propriâ vi non producat: Verbi gratiâ, apud eos incendiarius eſt cauſa per ſe incendii. Phyſici verò qui vim cauſarum attendunt, cauſam per ſe appellant, quæ virtute ſuâ influit in effectum: Hinc apud eos, incendiarius non eſt cauſa per ſe incendii; quia illud non cauſat virtute propriâ, ſed virtute ignis.

Cauſa ergo per accidens apud Phyſicos eſt ea, quæ effectum non producit vi ſuâ, qualis eſt incendiarius reſpectu incendii, & medicus reſpectu ſanitatis.

Cauſa verò per accidens apud Morales, eſt ea, quæ effectus præter intentionem attingit, ut cùm foſſor fodiendo invenit theſaurum, & tegula cadendo alicui cervices frangit. Si iſta cauſa intellectualis, dicitur fortuna, ut patet in primo exemplo: ſi verò ſit naturalis, appellatur caſus, ut patet in ſecundo exemplo.

Dari ejuſmodi cauſas per accidens patet per exempla allata.

Verùm, quod eſt præter intentionem agentis ſecundi, non eſt præter intentionem agentis primi; unde ea omnia quæ reſpectu creaturarum fortuita ſunt & caſualia, eadem comparata ad providentiam divinam ſingulas creaturas in ſuos fines dirigentem, conſtantiſſima ſunt, ita ut eatenùs fato fieri dicantur. Hinc S. Thomas 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 1. ſic habet: *In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus cauſæ particularis effugit, dicitur eſſe caſualis, vel fortuitus reſpectu cauſæ particularis; ſed reſpectu cauſæ univerſalis à cujus ordine ſubtrahi non poteſt, dicitur eſſe proviſus: ſicut & concurſus duorum ſervorum, licet ſit caſualis in quantum ad eos. eſt tamen proviſus à Domino qui eos ſcienter ſic ad unum cum mittit, ut unus de alio neſciat.* Quapropter hîc agendum eſt de Fortunâ, Caſu, & Fato.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Fortuna & Caſu.

FOrtuna & caſus aliter ſumuntur à plebe, aliter à Philoſophis. Nam plebs illis nominibus intelligit effectus fortuitos & caſuales; Philoſophi verò intelligunt cauſas eorum effectuum. Sic dum homo ambulans reperit crumenam, plebs ipſam repertionem vocat fortunam: Philoſophi verò inventionem fortuitam appellant; hominem verò qui invenit fortunam.

Fortuna ergo & Caſus ſunt cauſæ per accidens; quæ vel ſumuntur promiſcuè pro quavis causâ per accidens; vel propriè: Fortuna ſcilicet, pro causâ intellectuali; caſus verò pro causâ naturali, aliquem effectum præter intentionem attingente.

Fortuna prout confunditur cum Caſu, vel ſumitur pro causâ univerſali, putà pro Deo, qui hoc ſenſu vocari poteſt Fortuna fortunans; vel pro causâ particulari & creatâ, quæ hoc ſenſu vocari poteſt Fortuna fortunata.

Fortuna fortunans eſt Numen à quo effectus rari præter intentionem cauſarum ſecundarum contingentes, ad fines iſti Numini cognitos ordinantur.

Neque verò Numen illud temerarium eſt impudens, & cæcum, quale à veteribus Ethnicis olim, & nunc à quibuſdam inſipientibus cogitatur, quia enim indeprehenſa eſt publicæ illius cauſæ, & fortunæ mens: hinc

ſit ut eam imprudentem judicemus, eò quòd facilè exiſtimemus ea temerè fieri, quorum conſilium nos latet. Verùm corrigendus ille error ut impius; ſtatuendumque nullam aliam eſſe fortunam publicam præter divinam providentiam, cauſas ſecundas temerarias, temerarioſque earum motus & effectus dirigentem ad certos fines ſibi ſoli deprehenſos: ideoque nomen fortunæ cum nomine providentiæ commutandum eſt; & quando in natura aliquid dicitur fortuitum, intelligi debet per comparationem factam cum cauſis particularibus, quæ plurima præter ſuas intentiones efficiunt, non verò cum primâ causâ, præter cujus intentionem & permiſſionem nihil agitur. Hinc optimè S. Th. 1. p. quæſt. 19. art. 6. *Poteſt enim aliquid fieri extra ordinem alicujus cauſæ particularis agentis, non autem extra ordinem cauſæ univerſalis, ſub quâ omnes cauſæ particulares comprehenduntur: quia ſi aliqua cauſa particularis deficiat à ſuo effectu, hoc eſt propter aliquam aliam cauſam particularem impedientem, quæ continetur ſub ordine cauſæ univerſalis; unde effectus ordinem cauſæ univerſalis nullo modo poteſt exire. . . . Unde quod recedere videtur à divinâ voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium: ſicut peccator; qui quantum eſt in ſe, recedit à divinâ voluntate, peccando; incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur.*

Licet forma publica ſecundùm rem unica ſit, putà Deus; ſecundùm tamen cogitatio-

nem multiplex eſt ; ut fortuna Alexandri, fortuna Cæſaris, &c. quæ eſt ipſamet divina providentia, quatenùs cogitatur dirigere ad aliquem finem ſibi ſoli deprehenſum, quæcunque facit paciturve temerè Alexander, Ceſar, &c. Ea autem dicitur proſpera fortuna, ἀτυχία, dum largitur quæ commoda æſtimantur ; adverſa verò, ἀτυχία, ſeu δυςυχία dum quæ incommoda.

Fortuna fortunata, quæ ſola vulgò intelligitur nomine fortunæ & casûs, promiſcuè definitur à Philoſopho l. 2. Phyſicorum c. 5. & l. 11. Metaph. c. 7. Cauſa per accidens in iis quæ fiunt propter finem, & raro eveniunt; Non quidem raro raritate temporis, nam Eclipſes etſi raræ, non ſunt caſuales ; ſed raritate connexionis effectûs cum tali cauſâ, v. g. foſſor eſt cauſa per accidens inventionis theſauri, quia raro inventio theſauri conjungitur cum fodiente. Hinc ad effectum fortuitum duo requiruntur. Primum eſt, ut fiat præter intentionem; ſecundum eſt, ut fiat raro : nam ſi fieret rarò, non tamen præter intentionem, non eſſet dicendus fortuitus, ut cùm quis ludendo, raro lucratur ; & ſi fieret præter intentionem, ſed ſæpe accideret, non eſſet etiam fortuitus, ut cùm quis ludendo ſæpius perdit.

Fortuna ſic genericè ſumpta dividitur in fortunam ſpecificè τὴν τύχην, & in caſum ſpecificè τὸ αὐτόματον.

Fortuna ſpecificè definitur à Philoſopho loco citato, Cauſa per accidens dianoëtica in iis quæ fiunt propter finem & raro eveniunt:

id eſt cauſa intellectualis, quæ agendo formaliter propter aliquem finem, præter intentionem producit aliquem effectum raro contingentem, ut cùm aliquis venando ſe lædit.

Caſus ſpecificè definitur, Cauſa per accidens merè naturalis in iis quæ fiunt propter finem & raròeveniunt: Id eſt, cauſa naturalis, quæ agendo materialiter propter aliquem finem, præter intentionem producit aliquem effectum raró contingentem; ut cùm lapis cadens occidit hominem.

Fortuitum definitur à Philoſopho, loco citato; quod nec neceſſariò & ſemper, nec ut plurimum fit.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De Fato.

FAtum dicitur à fando, quaſi immutabile quoddam effatum.

Fatum ſumptum pro ineluctabili quadam neceſſitate rebus omnibus impoſitâ, quam nequidem ipſe Deus tollere poſſit, planè ſacrilegum eſt & ethnicum; cùm & Dei poteſtatem, & hominis libertatem evertát: ſed ſumptum aut pro decreto divinæ providentiæ, aut pro diſpoſitione quadam cauſarum ſecundarum à divinâ mente inſtitutâ, Chriſtianum eſt & Philoſophicum. Hinc S. Aug. l. 5. de Civitate Dei cap. primo, *Divinâ providentiâ, regna conſtituuntur humanâ; quæ ſi propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem fati no-*

mine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.

Fatum ergo apud nos ſumi poteſt duobus modis: ſcilicet cauſaliter pro ipsâ divinâ providentiâ, res ſingulas ad certos effectus infallibiliter dirigente; & eſſentialiter ſeu formaliter, pro certâ quadam ordinatione cauſarum ſecundarum à Deo inſtitutâ: ut colligitur ex ſancto Thomâ 1. parte quæſt. 116. art. 2. ad primum: poſterior tamen acceptio eſt magis propria; Nam ut ait idem ſanctus Doctor in corpore articuli, *Poteſt ipſa ordinatio effectum dupliciter conſiderari: Uno modo ſecundùm quod eſt in ipſo Deo; & ſic ipſa ordinatio effectuum vocatur providentia: Secundùm verò quod prædicta ordinatio conſideratur in mediis cauſis à Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, ſic habet rationem fati;* & hoc modo.

Fatum definitur à Boëtio l. 4. de Conſolatione philoſophicâ, proſâ ſextâ; *Inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia ſuis quæque nectit ordinibus.*

Fati diſpoſitio dicitur immobilis, non quidem abſolutè, ſed ex hypotheſi prævisionis divinæ. Nam ut ait ſanctus Thomas primâ parte, quæſt. 116. art. 3. *Fatum ſecundùm conſiderationem cauſarum ſecundarum mobilè eſt, ſed ſecundùm quod ſubeſt divinæ providentiæ, immobilitatem ſortitur, non quidem abſolutæ neceſſitatis, ſed conditionatæ.* Immobilitas autem ſeu neceſſitas conditionata non nocet libertati, ut aliàs docuimus; tum agendo de veritate propoſitionum de futuro

contingenti, ſecundâ parte Logicæ; tum agendo de libertate, primâ parte Ethicæ: proindéque fatum non tollit libertatem.

Porrò, ſi fatum conſideretur per ordinem ad primum principium, unicum eſt, nempe Deus; ſi verò ſpectetur per ordinem ad effectus, multiplex. Hinc Poëta,

Te tua fata trahunt.

Cùm fatum conſiſtat in ordinatione cauſarum ſecundarum ad effectus à Deo proviſos & præviſos, non omnia ſubduntur fato, ſed ea tantùm quæ ſubduntur cauſis ſecundis: Hinc creatio Angelorum non ſubditur fato: Unde eleganter ſcribit Boëtius loco citato. *Quædam verò quæ ſub providentiâ locata ſunt, fati finem ſuperant: Ea verò ſunt, quæ primæ propinqua divinitati ſtabiliter fixa, fatalis ordinem mobilitatis excedunt: Ex quo etiam patet* (inquit ſanctus Thomas quæſt. cit. art. 4.) *quod quando aliquid longiùs à primâ mente diſcedit, nexibus fati majoribus implicatur; quia magis ſubjicitur neceſſitati ſecundarum cauſarum.*

ARTICULUS POSTERIOR.

De effectu per accidens.

Effectus per accidens eſt ille, qui præter intentionem alicujus cauſæ ſecundæ contingit, ut occiſio hominis à tegulâ cadente, & repertio theſauri ab homine fodiente: Notabiliores autem, & ſpeculatione digniores ſunt ii effectus per accidens, qui vulgò

dicuntur

dicuntur Monſtra, de quibus proinde ſequenti Paragrapho ex profeſſo dicemus.

PARAGRAPHUS UNICUS.

De Monſtris.

MOnſtra (inquit ſanctus Auguſtinus l. 21. de Civitate Dei cap. 8.) *ſanè dicta perhibent à monſtrando, quod aliquid ſignificando demonſtrent; & oſtenta, ab oſtendendo; & portenta, à portendendo, id eſt praoſtendendo; & prodigia, quod porro dicant, id eſt futura prædicant.* Vocantur etiam naturæ peccata, naturæ prævaricationes, errores, deliria, & deviationes.

Monſtrum definitur à Philoſopho l. 4. de Generatione animalium c. 4. aliquid præter naturam. Vulgò deſcribitur, *Opus naturæ rarius à rectâ & ſolitâ ſpeciei conſtitutione inſigniter degenerans.* Dicitur primò, *opus naturæ*; ut diſtinguatur à monſtro artis, & monſtro morum. Dicitur ſecundò, *rarius*: nam ſi opus illud ſit ſolitum, non vocatur monſtrum, ex Philoſopho ibidem. Dicitur tertiò, *deficiens à rectâ conſtitutione*; quia ſi plures haberet perfectiones quàm cæteri effectus ejuſdem ſpeciei, non cenſeretur monſtrum propriè: ſic ſi homo naſceretur Philoſophus, non haberetur monſtrum. Dicitur quartò, *deficiens à ſolitâ conſtitutione*; quia ſpecies quælibet certos habet magnitudinis & parvitatis terminos, certam figuram, certaſque diſpoſitiones, extra quas citra errorem non excurritur. Dicitur ultimò,

inſigniter deficiens; quia quivis error naturæ, monſtrum non habetur, ſed tantùm error notabilis.

Quæres primò, ubinam locum habeant monſtra?

Reſpondeo, habere locum in viventibus, præſertimque in animalibus; tum quia ubi opus eſt pluribus cauſis, rebuſque diſſentaneis, illic locus eſt pluribus & inſignioribus à fine præſtituto aberrationibus: Atqui in generatione viventium, præſertimque animalium, opus eſt pluribus cauſis, rebuſque diſſentaneis, putà partibus, organis, temperamentis: Ergo in illis locus eſt pluribus & inſignioribus erroribus. Tum quia animalia generantur ex ſemine humido & molli, quod proinde faciliùs peregrinans admittit qualitates & impreſſiones. Tum denique quia animalium membra magis adnotantur, quàm rerum aliarum partes; proindéque, ſi quid in illis à naturâ peccatum ſit, faciliùs obſervatur aberratio.

Quæres ſecundò, an natura intendat monſtra?

Reſpondeo primò, naturam naturantem intendere monſtra; quia ſcilicet nihil præter ejus intentionem evenit: Intendit autem primò, ut per ea terrorem improbis incutiat, potiſſimùm in monſtris quæ fiunt cum miraculo. Secundò, ut iis legitimi effectus naturæ meliùs appareant, ſicque magis exornetur mundi theatrum. Tertiò denique, ut agnoſcant creaturæ ſuam infirmitatem.

Reſpondeo ſecundò, Naturam naturatam

per ſe conſideratam, monſtra non intendere. Ratio eſt, quia unumquodque agens conatur quantùm poteſt, aſſimilare ſibi effectum, monſtrum autem eſt effectus diſſimilis ſuæ cauſæ, ut ait Philoſophus l.2. de Generatione animalium c.4.

Reſpondeo tertio, dici poſſe conglobationem cauſarum naturalium intendere monſtra; v. g. commixtionem equi cum aſinâ intendere mulum Ratio eſt, quia cauſæ poſſunt dici id intendere quod ex iis ſemper ſequitur; quod enim ſemper fit, fit per ſe; nam quæ fiunt per accidens, ut plurimùm non fiunt: Atqui ex tali conglobatione cauſarum ſecundarum ſemper fiunt talia monſtra: v. g. ex commixtione equi cum aſina ſemper fit mulus; ex commixtione leonis cum patherâ ſemper fit leopardus: ergo, &c.

Quæres tertiò, cur Ariſtoteles fœminam vocaverit monſtrum?

Reſpondeo, rationem eſſe, quia naturæ intentio duplex: una primaria per quam conatur efficere optima; altera ſecundaria, per quam ſi optima aſſequi non poteſt, conſectatur proxima. Hinc cùm natura ſenſitiva generat, primariâ intentione intendit producere maſculum, ſecundariâ verò fœminam: Undè cùm monſtrum ſit aberratio à fine, & in productione fœminæ natura aberret à fine primario; fœmina dici poteſt monſtrum ſecundùm quid & impropriè: non autem monſtrum ſimpliciter & propriè, propter ſexûs neceſſitatem; non enim natura intendit tantùm optima, ſed & neceſſaria; ut ſe explicat ipſe

Philoſophus l. 4. de generatione animalium cap.3.

Quæres quartò, quænam ſint cauſæ monſtrorum?

Reſpondeo, alias eſſe externas; quæ ſcilicet ſunt extra parentes, v. g. regionem, ſydera, divinam voluntatem ſcelerum ultricem, aut pœnas minitantem: alias internas, quæ ſunt in ipſis parentibus.

Cauſæ monſtrorum internæ tres ſunt: ſcilicet, ſemen, uterus, & phantaſia matris.

Semen cauſat monſtra multis modis. Primò, per confuſionem ſeminum diverſæ ſpeciei, ex lib. 10. problematum, problemate 6. Hinc in Africâ, coëuntibus diverſarum ſpecierum feris, quæ ad paucos fontes præ inopia aquarum confluunt, frequentiora ſunt monſtra. Hinc illud tritum: Semper aliquid novi fert Africa. Hinc canes Cyrenenſes ex cane & lupo, Laconici ex cane & vulpe, & Indici ex cane & tigride. Secundò, per copiam & abundantiam, per quam fit ut aliquando generentur gigantes, aliquando fœtus plura membra quàm par ſit habentes, v. g. plures digitos. Tertiò, per inopiam, quâ fit ut vel nani vel mutili gignantur. Quartò, per imbecillitatem virtutis formatricis, quâ ſæpè fit ut corpus non ſatis membratim delineetur, ſed aliquando ſecundùm aliquas partes in rudem & incompoſitam maſſam efformetur. Hinc accidit, quod notavit Albertus Magnus, ut monſtriferæ figuræ rariùs appareant in partibus principibus, eò quòd virtus formatrix ibi vegetior ſit & po-

tentior. Quintò denique, per intemperiem, quâ fit ut aliquando exuberante humore & deficiente calore, pueri naſcantur cani; & plus æquo æſtuante calore, in Europâ naſcantur homines nigri; & dominante frigore, in Æthiopia naſcantur albi; & ſiccitate terreſtri calore cordis intempeſtivè exſiccatâ, infantes naſcantur barbari, ſicut à paucis annis oſtenſa eſt Pariſiis puella quinquennis non barbata ſolùm, ſed toto corpore ferè villoſa.

Uterus cauſat monſtra: primò, propter anguſtias, quæ ſunt in causâ cur partes nimiùm compreſſæ vix diſtinguantur, & nonnunquam etiam, cur materia una, quæ ab alterâ loco ſejungi debebat, & in geminum fœtum conformari, in unum coaleſcat, unde fit ut aliquando naſcatur infans, cui duo ſunt capita, quatuor manus, totidemque pedes, & unicus venter; ut ſua ætate quemdam natum fuiſſe in Oriente refert ſanctus Auguſtinus l.17. de Civitate Dei cap. 8. & ego vidi Germanum quendam in Galliâ abhinc circiter annis vigintiduobus. Secundò, propter nimiam laxitatem, quâ fit ut nimiùm dilatetur infans, ridiculamque magnitudinem induat & figuram. Tertiò denique, propter direptionem ſecundinarum duorum gemellorum, quâ fit ut duo gemelli quadam parte adunati aliquando oriantur. Quandonam autem animal cenſeri debeat unum vel multiplex, ex principio vitæ judicandum eſſe dicit Philoſophus loco citato. Vulgò ex capite judicatur.

Phantaſia matris cauſat monſtra ſimilia iis objectis quæ attentiùs conſiderat mater

concipiens, aut prægnans: ut ei contigiſſe fertur, quæ hirſutam peperit prolem, quòd ſanctum Joannem Baptiſtam pelle hirſutâ veſtitum in tabella conſpexiſſet. Et accedit non ita pridem mulieri Pariſinæ, quæ fœtum produxit ſimilem Termino pontis Beatæ Virginis. Nota eſt hiſtoria Jacobi, quæ habetur Geneſeos cap. trigeſimo, incipiens à verſu vigeſimo-quinto.

Quomodo autem id fiat, non conveniunt Authores.

Aliqui putant id inde contingere quòd ſpecies objectorum à phantaſia matris ad uterum defluant, ubi imagines objectorum imprimunt tenello adhuc fœtui: ſed hæc ſententia non placet; tum quia ridiculum eſt exiſtimare ſpecies à cerebro in uterum deſcendere; tum quia etſi deſcenderent, non poſſent has notas imprimere, cùm ſpecies non ſint univocè activæ, aut productivæ rerum repræſentatarum; ſpecies enim albedinis non dealbat.

Alii putant phantaſiam id efficere phyſicè. Sed malè: tum quia multùm diſtat à vulva; tum quia eſt potentia cognoſcitiva, quæ proinde nihil extra ſe phyſicè operatur.

Ego verò puto id oriri ex ſumma ſympathia facultatum animæ inter ſe propter radicationem in eodem principio. Et certè patet experientiâ, quòd unâ facultate impenſiùs circà aliquod objectum agente, cæteræ quoque circà idem ſuo modo operentur, v. g. dum aliquis maximè amat harmoniam, omnes facultates circà harmoniam, quantùm poſ-

ſunt, ſuo modo operantur, aures audiendo, phantaſia imaginando, intellectus attendendo: ita à pari, dum phantaſia matris alicui objecto pertinaciùs adhæret, vix formatrix uteri ſuo modo circa idem objectum occupatur, ſcilicet imitando & formando.

Quæres ſextò, quotuplex ſit monſtrum?

Reſpondeo, monſtrum aliud eſſe ſecundùm eſſentiam, quod ſcilicet eſt alterius ſpeciei à parentibus; ut cùm equus generat mulum: aliud in accidentibus, ſcilicet vel in quantitate continua, dum fœtus eſt major vel minor quàm par ſit; vel in quantitate diſcreta dum plura habet vel pauciora membra quàm par ſit; vel in figura, ut ſi homo naſceretur pedibus caprinis: vel in ſitu, ut ſi homo lienem haberet in parte dextera, hepar versùs ſiniſtram; (quod à tribus annis obſervatum eſt Pariſiis in diſſectione cadaveris in Schola Medicorum, & quod refert Ariſtoteles l.4. de generatione animalium cap.4. aliquando contingere.) Vel in temperie, ut ſi barbatus vel canus naſceretur infans; vel in ſexu, ut cùm naſcuntur Androgyni ſeu Hermaphroditæ; vel denique in moribus, ut ſi homo delectaretur cibis inſolitis, v. g. araneis, ſerpentibus & ſimilibus.

Quæres ultimò, quid ſentiendum ſit de monſtroſis hominum generibus, quæ gentium narrat hiſtoria (inquit ſanctus Auguſtinus l.16. de Civitate cap.8. ſcilicet de Monophthalmis ſeu Monoculis, (quales ſunt Arimaſpi versùs Aquilonis exortum, qui perpetuò cum Gryphibus auri cuſtodibus

præliantur, ex Plinio libro ſeptimo) qui unicum habent oculum in media fronte : de iis, quibus plantæ dicuntur eſſe verſæ poſt crura, de iis, qui quòd ore careant, per nares ſuſcepto habitu vivere dicuntur : de Pygmeis ſtaturæ cubitalis: de Sclopodis, quo per æſtum jacentes reſupinos umbrâ pedum ſe protegere narrant, de iis, qui ſine cervice oculos dicuntur habere in humeris : de cynocephalis, hoc eſt canini capitis hominibus; & ſi qui id genus referuntur.

Reſpondeo cum ſancto Auguſtino ibidem, *omnia genera hominum, quæ dicuntur eſſe; eſſe credere non eſt neceſſe. Quapropter aut illa, quæ talia de quibuſdam gentibus ſcripta ſunt, omnino nulla ſunt* (quod ego probabilius arbitror ;) *aut ſi ſunt, homines non ſunt; aut ex Adam ſunt* (ideſt ejuſdem naturæ nobiſcum) *ſi homines ſunt.* Vide, quæ diximus de Satyris, ſectione de Specie, ſub finem.

PARS

PARS SECUNDA METAPHYSICÆ.

De Proprietatibus Entis.

HAnc partem utpotè breviſſimam in Tractatus non dividemus, ſed in duas duntaxat Diſputationes, quarum prior erit de proprietatibus Entis in communi ſpectatis; poſterior verò de illis ſigillatim conſideratis.

DISPUTATIO PRIOR.

De Entis proprietatibus in communi.

CAPUT PRIUS.

An, & quot ſint?

CUm objectum ſcientiæ debeat habere quaſdam proprietates, quæ de ipſo demonſtrentur; & ex dictis in Prolegomenis, Metaphyſica ſit ſcientia, cujus objectum eſt Ens; ſequitur Ens habere quaſdam proprietates.

Verùm proprietates hîc duplicis generis, diſtinguendæ ſunt: aliæ ſimplices, quæ unico

termino exprimuntur : ut unitas, veritas, bonitas, &c. aliæ complexæ, quæ pluribus terminis ſub disjunctione efferuntur, ut poſſibile vel actuale, neceſſarium vel contingens, &c.

Dari proprietates Entis complexas nulla difficultas, quia diviſio generis ſub disjunctione concepta afferri poteſt tanquam ejus proprietas complexa : cum de genere in quale neceſſariò & reciprocè prædicetur : At Ens genus eſt, quod dividitur immediatè in multa juga. Ens enim vel eſt

Increatum,		Creatum.
Infinitum,		Finitum.
Neceſſarium,		Contingens.
Poſſibile,		Actuale.
Spiritale,	VEL	Corporeum.
Incorruptibile,		Corruptibile.
Senſibile,		Inſenſibile.
Diviſibile,		Indiviſibile.
Simplex,		Compoſitum.
Subſtantiale,		Accidentarium, &c.

In explicatione proprietatum complexarum hîc non immorantur Philoſophi, tum quia apertæ ſunt ; tum quia de illis in corpore philoſophico paſſim fit mentio : Unde hîc tantùm agimus de ſimplicibus Entis paſſionibus.

Paſſiones ſimplices duplicis ſunt generis, Aliæ primariæ quæ immediatè fluunt ab eſſentiâ, ut intellectus in homine : Aliæ ſecundariæ, quæ non immediatè promanant ab eſſentiâ, ſed mediantibus primariis, ut capacitas ſcientiæ in homine. Secundariæ ſatis intelliguntur ex primariis. Itaque

Quæritur tantùm hîc quot ſint proprietates ſimplices Entis primariæ ?

C o n c l u s i o.

Tres ſunt ; ſcilicet, *Unitas* , *Veritas* , *Bonitas*,

PRobatur primò communi ſuffragio Philoſophorum.

Probatur ſecundò ratione. Sex ſunt tantùm attributa tranſcendentalia ſecum reciproca, ſcilicet Ens, Res, Aliquid, Unum, Verum, Bonum. Atqui Ens, Res & Aliquid, aut ſunt unum & idem formaliter, aut ſaltem Res & Aliquid reducuntur ad aliquam ex aſſignatis proprietatibus. Nam ſi Res idem ſit ac ratum quid & fixum, reducitur ad veritatem ; ſi autem ſumatur à rendo, idem eſt ac quid intelligibile, quod etiam ſequitur ex veritate. Si verò Aliquid idem ſit ac aliud quid, ſequitur ex unitate : ex eo enim quòd ens ſit unum, id eſt indiviſum in ſe & diviſum à quovis alio, ſequitur quòd ſit aliud quid à quovis alio : Ergo tria tantùm ſunt attributa, quæ de ente proprietativè prædicatur, ſcilicet Unum, Verum, Bonum.

Objicies primò, Intelligibilitas & appetibilitas ſunt etiam proprietates Entis : Ergo plures ſunt quàm tres proprietates entis.

Diſtinguo antecedens. Intelligibilitas & appetibilitas ſunt proprietates entis ſecundariæ, concedo : primariæ, nego. Nam intelligibilitas fluit à veritate, & appetibilitas à bonitate. Concluſio autem noſtra intelligitur tantùm de proprietatibus primariis.

Objicies ſecundò. Ubi & Quando, ſunt etiam proprietates entis: Ergo, &c.

Nego antecedens. Primò, quia proprietas alicujus rei etiam hæc numero, inſeparabilis eſt naturaliter à ſuo ſubjecto: At hoc Ubi & hoc Quando ab hoc ente naturaliter ſeparari poteſt. Secundò, quia proprietas conſequi debet eſſentiam: At Ubi & Quando ſequuntur tantùm exiſtentiam, proindeque contingentia ſunt, ſicut & ipſa exiſtentia.

CAPUT POSTERIUS.

Quales ſunt ſuperiores proprietates.

HOc caput facillimum eſt, dummodo recolantur ea quæ diximus de diviſione proprietatis in Logicis, ſectione de Proprio: quibus ſuppoſitis,

Dico primò, iſtas proprietates non diſtingui realiter à ſuis ſubjectis; quia ut hîc ſubtiliter argumentatur Craſſotius, quandò oppoſitorum epithetorum unum perimit ſubjectum, alterum nihil ſubjecto entitatis addit. v. g. quia *mortuus* deſtruit hominem, *vivus* homini nihil entitatis addit: Atqui Epitheta oppoſita proprietatibus entis perimunt ens; quidquid enim non eſt unus homo, non eſt homo; falſum aurum non eſt aurum; malus amicus non eſt amicus: Ergo proprietates Entis non diſtinguuntur realiter ab ente. Hinc Philoſophus lib. 10. Metaph. cap. 2. dicit unum hominem nihil addere ſupra hominem

Dico ſecundò, Proprietates entis ratione diſtinguit ab ente; quia habent alias definitiones ab ente, ut patebit agendo de ſingulis.

Ex quibus ſequitur, proprietates entis eſſe duntaxat proprietates metaphyſicas.

Dico tertiò, ſuperiores proprietates non eſſe proprietates exquiſitas; quia ad proprietatem exquiſitam requiritur ut & dicat formaliter aliquam perfectionem poſitivam, & ſubjectum in ſuo conceptu formaliter non includat: Atqui ſuperiores proprietates aut nullam formaliter dicunt perfectionem poſitivam, ut unitas: aut ſaltem ſubjectum in ſuo conceptu formaliter includunt, ut veritas & bonitas, ut patebit Diſputatione ſequenti.

Dico ultimò, illas proprietates eſſe univocas: proprietates enim gradûs univoci, univocæ ſunt; ens autem completum (quod eſt objectum Metaphyſicæ) eſt gradus univocus; ut dictum eſt in Anteprædicamentis.

DISPUTATIO POSTERIOR.

De ſingulis proprietatibus Entis.

UNitas veritatem & bonitatem videtur antecedere, quia priùs concipitur ens eſſe unum, quàm verum aut bonum. Veritas autem præcedit bonitatem; quia ita videtur habere ſe veritas ad bonitatem, ſicut intellectus ad voluntatem: Veritas enim eſt objectum intellectûs, ſicut bonitas voluntatis:

Atqui intellectus aliquo modo antecedit voluntatem: Ergo & veritas bonitatem. Quare de illis hoc ordine dicemus.

SECTIO PRIMA.

De Unitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione Unitatis.

UNitas non eſt confundenda cum unione quia unio eſt quid relativum: Unio enim eſt duorum unio, ſeu unius cum alio cohæſio; Unitas vero eſt quid abſolutum, tum quia aliquid concipi poteſt unum, non cogitando de ullo alio; tum quia licèt omnes creaturæ forent impoſſibiles, adhuc Deus unus eſſet. Unio ergo eſt partis, aut veluti partis ad partem; Unitas verò eſt Entis ſecundùm ſeipſum. Unio opponitur ſeparationi partium; Unitas verò multitudini Entium.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ratione conſtitutiva Unitatis.

TRes Entis proprietates, ut potè tranſcendentales, ſicque Deo & creaturis communes, non aliam habent cauſam, quàm Ens, à quâ fluere cogitantur. Itaque inveſtiganda tantùm eſt earum ratio conſtitutiva.

Unitas vulgò deſcribitur, Indiviſio Entis in ſe, & diviſio ejus à quolibet alio: Unum

vero, quod eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio.

Ex quo Inferunt vulgò, ad unitatem duas requiri conditiones: Prima eſt, ut ens non ſit ſubdiviſum in ſeipſo; alioqui non eſſet unum, ſed multiplex: Secunda eſt, ut ſit diviſum à quolibet alio; alioquin non eſſet unum, ſed pars unius.

Verùm meo judicio ſecunda conditio non pertinet ad conceptum primarium unitatis; tum quia conceptus unius abſolutus eſt, ſecunda verò conditio eſt relativa; tum quia etſi omnes creaturæ forent impoſſibiles, adhuc Deus unus foret, nec tamen foret diviſus ab alio ente, cùm nullum aliud ens foret poſſibile.

Quæritur hîc an præciſa ratio unitatis conſiſtat in illâ negatione diviſionis entis in ſeipſo, ut affirmant omnes veteres; an in aliquo poſitivo, ut admittere coguntur illi qui negationes omnes reales rejiciunt quorum alii dicunt unitatem conſiſtere in relatione oppoſitionis ad multa; alii verò in unione principiorum internorum: contra quos ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Ratio unitatis non conſiſtit in unione principiorum internorum.

PRòbatur. Unitas eſt proprietas Entis metaphyſici, ut fatentur omnes: Atqui unio principiorum internorum non eſt proprietas Entis Metaphyſici: Ergo in ea non conſiſtit Unitas. Probatur minor. Proprietas ſequitur

ratione (vel ſaltem non præcedit ratione) id cujus eſt proprietas: Atqui unio principiorum internorum non ſequitur, imò præcedit ratione ipſum ens: Unio enim partium ratione præcedit totum; cum partes priùs, ſaltem ratione, uniri debeant, quàm reſultet totum: Ergo unio principiorum internorum non eſt proprietas Entis metaphyſici.

Confirmatur. Illa non ſunt idem formaliter quæ habent diverſos effectus formalis primarios: Atqui unio & unitas ſunt ejuſmodi; Nam effectus formalis primarius unionis eſt reddere unitum, unitatis verò reddere unum: Ergo unio & unitas differunt formaliter.

Secunda Conclusio.

Ratio Unitatis non conſiſtit in relatione oppoſitionis ad multa.

Probatur. Ratio alicujus abſoluti non conſiſtit in relatione: Atqui unitas eſt quid abſolutum, ut patet ex eo quòd in ſuo conceptu non reſpiciat aliud: Ergo ejus ratio in nulla relatione conſiſtit.

Objicies. Unitas opponitur multitudini: Ergo ratio unitatis in illâ oppoſitione conſiſtit.

Nego conſequentiam. Valet-ne iſta conſequentia? Calor opponitur frigori: Ergo eſſentia caloris in illâ oppoſitione conſiſtit. Sicut itaque, licet calor opponatur frigori, ratio tamen caloris non conſiſtit in illâ contrarietate, ſed eam præcedit & fundat: Ita etſi ve-

rum ſit unitatem opponi multitudini, non tamen ratio unitatis in ea oppoſitione conſiſtit, ſed eam præcedit & fundat.

Tertia Conclusio.

Ratio Unitatis conſiſtit in negatione diviſionis Entis in ſeipſo.

HÆc concluſio ſequitur ex refutatione aliarum opinionum, nulla enim hîc ſupereſt alia philoſophandi via: Nihilominùs, ut poſitivè innoteſcat;

Probatur primò authoritate Philoſophi, qui l. 5. Metaphyſicorum cap. 6. ſic ſcribit; *Quæ non habent diviſionem, quatenùs non habent, unum ſunt*; particula autem reduplicativa denotat ſenſum formalem: Unde etiam ex profeſſo ſæpius repetit noſtram ſententiam l. 10. Metaphyſicorum c. 1.

Probatur ſecundò authoritate S. Thomæ, qui primâ parte, quæſt. undecima, art. 1. ſic ſcribit; *Unum non addit ſupra Ens rem aliquam, ſed tantùm negationem diviſionis: unum enim nihil aliud ſignificat quàm Ens indiviſum*, ubi ſanctus Doctor à ratione unitatis excludit quodlibet, præter negationem diviſionis.

Probatur tertiò ratione. In eo conſiſtit ratio alicujus, quo intellecto res illa intelligitur, & quo ſublato non intelligitur: Atqui poſitâ negatione diviſionis in Ente, Ens illud intelligitur unum, & eâ ſublatâ non intelligitur unum. Poſito v. g. quod vinum non ſit diviſum, intelligitur unum vinum;

& illo non poſito non intelligitur unum vinum: Ergo ratio unitatis conſiſtit in negatione diviſionis Entis in ſeipſo.

Objicies primò. Fundamentum relationis realis eſt quid poſitivum : Atqui unitas eſt fundamentum relationis realis, ex Ariſtotele, l.4. Metaphyſicorum cap. 15. ut explicuimus in Logicis, Sectione de relatione. agendo de fundamentis proximis Relationum: Ergo unitas eſt quid poſitivum.

Diſtinguo majorem. Fundamentum relationis realis eſt quid poſitivum, ſi ſermo ſit de fundamento remoto, concedo : ſi de proximo, nego. Ratio diſparitatis eſt quia relatio identificatur fundamento remoto; proindéque poſitiva non eſſet, niſi fundamentum remotum foret poſitivum : At verò fundamentum proximum eſt mera conditio ad relationem requiſita, cui nullomodo identificatur relatio. Si hæc ſolutio minùs arrideat, prætermiſsâ majore, diſtinguam minorem: Unitas conformitatis, hoc eſt homogeneïtas rerum inter ſe, eſt fundamentum proximum relationis, concedo : unitas tranſcendentalis, nego : Alioqui albedo & nigredo eſſent ſimiles, cùm ambæ habeant unitatem tranſcendentalem, & unitas fundet relationem ſimilitudinis : At unitas conformitatis eſt quid poſitivum, cùm ſit convenientia rerum inter ſe.

Objicies ſecundò. Si ratio formalis unitatis conſiſteret in negatione diviſionis Entis in ſeipſo, unitas non diceret perfectionem. Falſum conſequens; maxima enim eſt per-

fectio in Deo quòd ſit unicus : Ergo & antecedens.

Diſtinguo ſequelam majoris. Unitas ſumpta formaliter non diceret perfectionem, concedo : ſumpta fundamentaliter , nego. Sic negatio materiæ in Angelo formaliter ſumpta ; non dicit perfectionem : eadem verò fundamentaliter ſumpta pro ſpiritalitate , dicit perfectionem : Ita à pari , unitas in Deo formaliter ſumpta non dicit perfectionem; eadem verò ſumpta fundamentaliter pro ſummâ , ac prorſus immultiplicabili , indiviſâ , & indiſſolubili connexione omnium perfectionum divinarum , dicit maximam perfectionem.

Objicies tertiò. Si ratio unitatis conſiſteret in negatione diviſionis , ratio unitatis non conſiſteret in negatione : Conſequens implicat in ipſis terminis : Ergo & antecedens. Probatur ſequela majoris. Negatio negationis non eſt negatio , ſed potiùs affirmatio, ſeu quid poſitivum. Sic negatio ignorantiæ eſt ſcientia, & negatio cæcitatis eſt viſus. Hinc docent Grammatici Latini duas negationes æquivalere affirmationi. Atqui ſi ratio unitatis conſiſteret in negatione diviſionis , conſiſteret in negatione negationis: diviſio enim nihil aliud eſt quàm negatio unitatis : Ergo ſi ratio unitatis conſiſteret in negatione diviſionis , non conſiſteret in negatione.

Nego majorem. Ad probationem , prætermiſsâ gratis majore , quæ tamen explicationem pateretur , ut patet ex eo quòd exempla

in illius confirmationem allata falſa ſint: alioqui lapis eſſet ſciens & videns; nego minorem. Cujus confirmationem diſtinguo: Diviſio formaliter ſumpta pro carentia nexûs & unionis, eſt negatio, concedo; fundamentaliter ſumpta pro multitudine, eſt negatio, nego: At unitas eſt negatio diviſionis fundamentaliter & materialiter ſumptæ, hoc eſt, multitudinis cui opponitur; teſte Philoſopho l. 4. Metaphyſicorum c. 2. & ex ſancto Thoma quæſt. citatâ, art. 2. Sicut etiam diviſio formaliter ſumpta eſt negatio unitatis fundamentaliter ſumptæ, hoc eſt nexûs & unionis, non autem formaliter ſumptæ, hoc eſt ipſius indiviſionis.

Objicies ultimò. Si unitas conſiſteret in negatione diviſionis, vel conſiſteret in negatione privativâ; vel purè negativâ. Non primum, quædam enim ſunt entia, quæ non habent privationem diviſionis, ut potè prorsùs indiviſibilia, ut patet de Deo & Angelis: Non item ſecundum; quædam enim ſunt Entia quæ non habent ineptitudinem ad diviſionem ut patet de corporibus: Ergo unitas non conſiſtit in negatione.

Nego minorem, & dico unitatem in genere conſiſtere in negatione diviſionis in genere, prout negatio abſtrahit à negatione ſtrictè ſumptâ & privatione: ita ut unitas rei ſimplicis, v.g. Dei aut Angeli, ſit indiviſio negativa; Unitas verò rei compoſitæ, v.g. corporis naturalis, indiviſio privativa,

ARTICULUS TERTIUS.

De Proprietatibus Unitatis.

IN hac Sectione & ſequentibus, expoſitâ ratione conſtitutivâ affectionis entis; dicemus de ejus reciprocatione cum ente, quæ unica eſt affectio ſingularium Entis proprietatum ſcitu digna. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Unitas reciprocatur cum Ente.

PRobatur primò authoritate Philoſophi l. 5. Metaphyſicorum cap. 4. ubi ſic habet: ἅπαντα δὲ τὰ ὄντα ἢ ἓν ἢ πολλὰ ὧν ἓν ἕκαστον, & l. 4. Metaphyſicorum c. 2. ubi expreſsè docet totidem eſſe ſpecies unius, quot Entis; & l. 11. Metaphyſicorum cap. 1. ubi docet quodlibet eſſe Ens, & unum.

Probatur ſecundò à ſancto Thoma 1. part. quæſt. 11. art. 1. hoc ratiocinio. *Omne Ens aut eſt ſimplex, aut compoſitum: quod autem eſt ſimplex, eſt indiviſum & actu & potentiâ: quod autem eſt compoſitum, non habet eſſe quamdiu partes ejus ſunt diviſa; ſed poſtquàm conſtituunt & componunt ipſum compoſitum: Unde manifeſtum eſt, quòd eſſe cujuſlibet rei conſiſtit in diviſione; & inde eſt quòd unumquodque, ſicut cuſtodit ſuum eſſe, ita cuſtodit ſuam unitatem.*

ARTICULUS ULTIMUS.

De diviſione Unitatis.

QUadruplex vulgò diſtinguitur Unitas, ſcilicet tranſcendentalis; univerſalis, formalis, & numerica.

Unitas tranſcendentalis eſt ea, quæ convenit Enti præcisè quà Ens eſt.

Unitas univerſalis eſt indiviſio rei de ſe communicabilis multis diviſim; quæ duplex tantùm eſt: ſcilicet generica & ſpecifica; quæ ambæ fundamentaliter quidem ſunt à parte rei; ſed perficiuntur per operationem mentis, ut dictum eſt diſput. de Univerſalibus in communi cap. 2.

Unitas formalis eſt indiviſio cujuſlibet gradûs eſſentialis, qualis eſt unitas animalitatis Petri, & unitas humanitatis Petri; & hæc duplex eſt: generica & ſpecifica; quæ utraque in noſtra ſententia non admittente univerſalia à parte rei, multiplicatur realiter pro multiplicatione individuorum; ſinguli enim homines ſuam propriam & realiter diſtinctam habent unitatem formalem, tum genericam, tum ſpecificam; Proindéque animalitatem & humanitatem habent ſibi prorſus ſpecialem.

Unitas numerica eſt indiviſio alicujus individui ut ſic; qualis eſt unitas Petri, Bucephali, &c.

Unum eodem modo poteſt quoque dividi: quia tot modis dicitur concretum, quot modis dicitur abſtractum; & proinde ex diviſio-

ne abſtracti facile eſt colligere diviſionem concreti.

Inſuper, Unum vel eſt unum *per ſe*, quod eſt unicæ naturæ vel perſonæ; ut Deus, Chriſtus, &c. Vel eſt unum *per accidens*, quod eſt multiplicis naturæ, ſaltem numero, ut album, exercitus, & omnia opera artificialia.

Unum per ſe quadruplex diſtinguitur à Philoſopho l. 10. Metaphyſicorum c. 1. ſcilicet continuum, ut linea; totum eſſentiale, ut corpus naturale; ſingulare, ut Petrus; & univerſale, ut humanitas.

SECTIO SECUNDA.

De Veritate.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione Veritatis.

VEritas generatim eſt conformitas alicujus rei cum ſuâ menſurâ. Et ſic ſumpta Duplex eſt: ſcilicet veritas ſigni, de quâ egimus ſecundâ parte Logicæ, ſectione primâ, & veritas Entis, de quâ hîc.

Hac ſectione & ſequenti, nullus habebitur titulus de diviſione, quia aut nulla eſt, aut eadem cum diviſione Entis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De ratione conſtitutiva Veritatis.

QUidam putant veritatem formaliter conſiſtere in conformitate Entis cum ideâ divina, v. g. ideò aurum eſſe verum, quia conforme eſt ideæ quam Deus habet de auro: Alii eam reponunt in conformitate Entis cum aliquo intellectο illud cognoſcente, dicuntque ideò aliquod Ens eſſe verum, quia conforme eſt alicui intellectui ipſum cognoſcenti: Alii denique veritatem Entis ſtatuunt in conformitate rei cum ſuis principiis; cum quibus ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Veritas entis ut Ens eſt non repetitur ex conformitate cum ideâ divinâ.

PRobatur. Tum quia veritas Entis ut ſic, convenit Deo, qui nimirùm Ens eſt: Atqui conformitas cum ideâ divinâ non convenit Deo: Deus enim non habet ideam ſui ipſius, cùm ideæ ſint tantùm rerum faciendarum: Ergo, &c. Tum quia aurum concipitur verum aurum, etiam ſi quis non cogitet de idea quam Deus habet de auro: Ergo veritas Entis non repetitur ex conformitate cum ideâ divinâ.

SECUNDA

SECUNDA CONCLUSIO.

Veritas Entis non conſiſtit in conformitate cùm intellectu cognoſcente.

PRobatur. Res non eſt conformanda intellectui cognoſcenti, ſed potiùs intellectus rei; cùm objectum habeat rationem veluti menſuræ reſpectu intellectûs; & veritas cognitionis conſiſtat in conformitate cognitionis cum objecto: Ergo veritas Entis non conſiſtit in conformitate cum intellectu cognoſcente. Hinc Philoſophus l. 10. Metaph. c. 1. dicit ſcientiam & ſenſationem potiùs menſurari quàm menſurare.

Objicies primò, Ariſtotelem reponere veritatem in intellectu.

Diſtinguo, Ariſtoteles reponit veritatem complexam & propoſitionis in intellectu, concedo: veritatem tranſcendentalem & entis, nego.

Objicies ſecundò, Veritatem vulgò definiri ordinem per intellectum.

Diſtinguo. Definitione deſcriptivâ, concedo: definitione eſſentiali, nego. Sicut enim licet bonum definiatur per appetibilitatem, ejus tamen ratio in ea non conſiſtit, ut diximus in Moralibus: Ita licet verum ſoleat explicari per intelligibilitatem; ejus tamen eſſentia in eâ non conſiſtit: non enim ideò aliquis eſt albus, quia id verè putamus; ſed ideò verè putamus, quia albus eſt, inquit Philoſophus l. 9. Metaph. cap. ultimo.

TERTIA CONCLUSIO.

Verita Entis conſiſtit in conformitate cum ſuis principiis.

PRobatur primò authoritate S. Auguſtini lib. de vera Religione cap. 36. ubi ſic habet. *Veritas eſt ſumma ſimilitudo principii quæ ſine diſſimilitudine eſt.* Et ſancti Anſelmi Dialogo de Veritate cap. 12. ubi ſic loquitur: *Veritas eſt rectitudo ſolâ mente perceptibilis: Rectum autem eſt quod principio concordat*, inquit Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 16. art. primo.

Probatur ſecundò ratione. In eo conſiſtit veritas quod eſt primum in re verâ: Atqui conformitas rei cum ſuis principiis eſt quid primum in re verâ; ideo enim præcisè res vera intelligitur, quia conformis eſt ſuis principiis: Ergo in eâ conformitate conſiſtit veritas entis.

Confirmatur. Cùm quis vult examinare utrùm aliquod Ens ſit verum, examinat utrùm ſit conforme principiis nec-ne, verbi gratiâ, quandò dubitatur de monſtro quopiam humano, utrùm ſit verus homo nec-ne, examinatur utrùm illud monſtrum habeat propria hominis principia, quæ ſi comperitur habere, v. g. ſi comperiatur habere veram animam rationalem in vero corpore humano, jam cenſetur verus homo. Quando artifices examinant utrùm aurum ſit verum nec-ne, ſcrutantur utrùm habeat principia veri auri,

idque rimantur ex affectionibus, putà ex colore, ſono, ductilitate: Ergo veritas entis conſiſtit in conformitate ejus cum ſuis principiis.

Objicies primò, Deus eſt verus, nec tamen veritas ejus conſiſtit in conformitate cum ſuis principiis; cùm Deus non habeat principia: Ergo veritas Entis in illa conformitate ſita non eſt.

Diſtinguo ſecundam partem antecedentis. Veritas Dei non conſiſtit in conformitate cum principiis externis, concedo: cum principiis internis, ſubdiſtinguo; cum principiis internis phyſicis & realibus; concedo: cum principiis internis metaphyſicis, nego. Itaque veritas Entis ut ſic, conſiſtit in conformitate cum principiis internis, abſtrahendo à phyſicis & metaphyſicis.

Objicies ſecundò. Principia entis ſunt vera, nec tamen ſunt conformia cum aliis principiis, alioqui daretur proceſſus in infinitum: Ergo veritas entis non conſiſtit in conformitate cum principiis.

Diſtinguo antecedens. Principia entis ſunt vera veritate propriâ entis incompleti, concedo: veritate propriâ entis completi, de quâ hìc ſermo eſt, nego. Porro non mirum eſt ſi non ſit univoca ratio veritatis in ente completo & incompleto; cùm ens prout eſt commune utrique, non ſit univocum (ut dictum eſt in Logicis:) proprietates autem proportionari debeant eſſentiis. Veritas ergo principiorum internorum deſumitur per ordinem ad principiatum; nam ſicut verus homo eſt

v. g. qui habet veram animam rationalem & verum corpus humanum : Ita anima eſt vera anima rationalis, quando poteſt ſimul cum corpore humano componere verum hominem.

QUARTA CONCLUSIO.

Veritas effectûs ut ſic, conſiſtit in conformitate cum idea artificis.

PRobatur primò. Veritas effectûs ut ſic, conſiſtit in conformitate cum ſuâ regulâ & menſurâ : Atqui idea artificis eſt regula & menſura effectûs, cùm ad illius ſimilitudinem fiat effectus : Ergo veritas effectûs ut ſic, conſiſtit in conformitate cum ideâ artificis.

Probatur ſecundò. Ita ſe habet effectus ad exemplar, quomodo ſe habet cognitio ad objectum : ſicut enim cognitio eſt ſignum quoddam objecti, ita effectus ſunt quædam ſigna & veluti veſtigia exemplaris, quemadmodum imagines ſunt ſigna prototyporum, & creaturæ veſtigia divinarum perfectionum : Atqui veritas cognitionis conſiſtit in conformitate cum objecto : Ergo veritas effectûs ut ſic, conſiſtit in conformitate cum ideâ artificis.

Hoc rectè explicat S. Thomas, 1. p. quæſt. 26. art. 1. his verbis : *Unaquaque res dicitur vera abſolutè, ſecundùm ordinem ad intellectum, à quo dependet : & inde eſt quòd res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum noſtrum : Dicitur enim domus vera, quæ aſſequitur ſimilitudinem formæ quæ eſt in mente*

artificis. . . & ſimiliter res naturales dicuntur eſſe vera ſecundùm quod aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum quæ ſunt in mente divinâ : dicitur enim verus lapis , quia aſſequitur propriam lapidi naturam ſecundùm præceptionem intellectûs divini.

Unde ſicut primâ parte Metaphyſices , tractatu primo , duplicem diſtinximus poſſibilitatem : unam internam, quæ conſiſtit in non-repugnantiâ rei ſeu in compatibilitate terminorum : aliam externam,quæ conſiſtit in producibilitate rei ab aliqua cauſa : Ita duplicem hîc diſtinguere poſſumus veritatem , unam internam quæ conſiſtit in conformitate rei cum principiis internis ; aliam externam quæ conſiſtit in conformitate rei cum exemplari illius agentis à quo res eſt : & ſicut ſola interna poſſibilitas , primaria eſt & communis omni enti ; ita & ſola interna veritas. Sicut enim poſſibilitas externa ſeu relativa , non eſt poſſibilitas entis , ut ens eſt , (quia Deo non convenit :) ſed creaturæ ut creatura eſt : ita interna veritas non eſt proprietas entis ut ſic, (cùm Deo non competat ,) ſed eſt propria effectûs ut effectus eſt.

ARTICULUS ULTIMUS.

An veritas reciprocetur cum Ente ?

CONCLUSIO.

Veritas reciprocatur cum ente,

PRobatur. Illud ens eſt verum quod eſt conforme ſuis principiis internis : Atqui

omne ens eſt conforme ſuis principiis internis; implicat enim ullum eſſe ens ſine ſuis principiis internis; alioquin eſſet ſine ſuâ eſſentiâ, cùm principia interna ſint eſſentialia: Ergo omne ens eſt verum.

Objicies primò. Veritas etiam convenit chimeris. Dicitur enim vera chimera: Ergo veritas non reciprocatur cum ente.

Diſtinguo antecedens. Veritas convenit chimeris abuſivè, concedo: propriè, nego: nam ut optimè ait Craſſotius, ſicut falſum Epithetum verum deſtruit ſubjectum, ut cùm dicitur homo mortuus: ita falſum ſubjectum verum deſtruit Epithetum, ut cùm dicitur chimera vera.

Objicies ſecundò. Dantur res falſæ, v. g. falſum aurum, falſa gemma: Ergo veritas non convenit omni enti.

Diſtinguo antecedens. Dantur quædam res falſæ occaſionaliter ſeu cauſaliter, quòd dent occaſionem & ſint cauſæ judicii falſi, concedo: formaliter, quaſi in ſe falſæ ſint, nego: nam falſum aurum eſt verum aurichalchum v. g. & falſa gemma vera cryſtallus. Hinc optimè S. Thomas 1. part. quæſt. 17. art. 1. *Dicitur res eſſe falſa, quæ nata eſt facere de ſe opinionem falſam. Et quia innatum eſt nobis per ea quæ exteriùs apparent de rebus judicium, eò quòd noſtra cognitio à ſenſu ortum habeat, qui primò & per ſe eſt exteriorum accidentium; ideò ea quæ in exterioribus accidentibus habent ſimilitudinem aliarum rerum, dicuntur eſſe falſa ſecundùm illas res; ſicut fel id eſt falſum mel, & ſtannum eſt falſum argentum; & ſecundùm*

hoc dicit Auguſtinus in libro Soliloquiorum quòd eas res falſas nominamus quæ ſimilia veris apprehendimus. Hinc etiam Philoſophus l. 5. Metaphyſicorum cap. penultimo [Falſa dicuntur quæcunque ſunt quidem Entia; ſed apta nata apparere vel qualia non ſunt, vel quæ non ſunt; ut ſunt pictura & ſomnia: Hæc enim ſunt, ſed non ſunt ea quorum ingenerant apprehenſionem.]

SECTIO ULTIMA.

De Bonitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione Bonitatis.

Bonitas duplex eſt: ſcilicet Abſoluta, quâ res in ſe bona eſt; & Relativa, quâ res eſt alteri bona. De Relativâ egimus in Morali, primâ palte, Tractatu primo, diſputatione primâ: hîc agendum de Abſolutâ.

ARTICULUS SECUNDUS.

In quonam conſiſtat ratio Bonitatis.

Quidam rationem bonitatis abſolutæ reponunt in appetibilitate, alii in perfectione; ſed cùm oſtenderimus in Morali, ne quidem bonitatem relativâ in appetibilitate primario conſiſtere, ſequitur à fortiori quòd in eâ non conſiſtat bonitas abſoluta. Itaque ſit

Conclusio.

Bonitas abſoluta in perfectione conſiſtit.

PRobatur primò authoritate S. Thomæ, qui 1. 2. quæſt. 18. art. 1. bonitatem rei reponit in plenitudine eſſendi. Plenitudo autem eſſendi, nihil aliud eſt quàm perfectio: nam perfectum eſt, cui nihil deeſt, ex Philoſopho l.5. Metaph.c.16.

Probatur ſecundò ratione. In eo conſiſtit bonitas abſoluta, quo intellecto res intelligitur bona in ſe, & quo ſublato non ampliùs intelligitur bona: Atqui perfectio eſt ejuſmodi: Ergo bonitas abſoluta in eâ conſiſtit.

Confirmatur. In ea conſiſtit bonitas abſoluta, pro cujus incremento & decremento res in ſe cenſetur melior, aut minùs bona: Atqui talis eſt perfectio; eò enim res in ſe cenſetur melior, quò perfectior, & eò minùs bona, quò minùs perfecta: Ergo bonitas abſoluta conſiſtit in perfectione.

Objicies. Perfectio rei non diſtinguitur ab ejus eſſentiâ. Atqui bonitas rei diſtinguitur ab ejus eſſentiâ, cùm ſit ejus proprietas: Ergo bonitas rei non conſiſtit in ejus perfectione.

Diſtinguo majorem. Perfectio rei non diſtinguitur ab ejus eſſentiâ, realiter, concedo: ratione, ſubdiſtinguo. Ratione perfectè præciſivâ, concedo: non perfectè præciſivâ, nego. Nam bonitas entis dicit eſſentiam prout ei nihil deeſt, qui conceptus paulò alius eſt à conceptu eſſentiæ ſimpliciter ſumptæ. Fateor bonitatem

bonitatem includere eſſentiam in ſuo conceptu, ſed inde tantùm ſequitur quòd non ſit proprietas exquiſita.

Inſtabis. Si bonitas creaturæ non diſtingueretur ab ejus eſſentiâ, creatura eſſet bona per eſſentiam: Falſum conſequens; (nam hic titulus proprius eſt ſoliûs Dei, de quo Lucæ c. 18. dicitur: *Nemo bonus niſi ſolus Deus:*) Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Creatura eſſet bona per eſſentiam, hoc eſt, haberet bonitatem quamdam à ſuâ eſſentiâ realiter indiſtinctam, concedo: hoc eſt, haberet bonitatem independentem & à ſe, nego: hoc autem poſteriori modo intelligitur textus Scripturæ.

ARTICULUS ULTIMUS.

An Bonum reciprocetur cum Ente?

SCotus quæſtione quintâ Quodlibetariâ numero 27. dividit Ens, in Ens quantum (ſupple quantitate virtutis:) & Ens non quantum, quod nullam habet quantitatem virtutis, nullam bonitatem aut perfectionem; quales dicit eſſe relationes, omnes etiam differentias: contra quem ſit

CONCLUSIO.

Bonum reciprocatur cum Ente.

PRobatur primò authoritate Ariſtotelis, qui l. 1. Ethic. c. 4. docet bonum tot modis dici, quot Ens, & in omnibus categoriis

reperiri. Quod etiam repetit l. 2. Magnorum Moralium c. 7.

Probatur ſecundò ratione S. Thomæ 1. parte, quæſt. 5. art. 3. *Omne enim Ens in quantum eſt Ens, eſt in actu, & quodammodo perfectum; quia omnis actus, perfectio quædam eſt; perfectum verò habet rationem boni*: unde ſequitur omne Ens, in quantum hujuſmodi, bonum eſſe.

Confirmatur. Melius eſt eſſe, quàm non eſſe: Ergo bonum eſt eſſe; comparativum enim ſupponit poſitivum: Atqui omne Ens eſt: Ergo omne Ens bonum eſt.

Objicies primò ex Philoſopho l. 9. Metaphyſicorum, Entia Mathematica non ſunt bona, (unde propter hanc rationem vituperabantur ab Ariſtippo:) Atqui ſunt entia: Ergo omne Ens non eſt bonum.

Diſtinguo majorem. Entia Mathematica non ſunt bona, prout concipiuntur à Mathematicis, tranſeat: prout ſunt à parte rei, nego. Vult enim tantùm Philoſophus Mathematicos nullam ducere rationem à causâ finali, quæ habet rationem boni, ut ipſe ſe explicat l. 3. Metaphyſicorum c. 2.

Dixi: Tranſeat, Entia Mathematica non eſſe bona prout concipiuntur à Mathematicis; Philoſophus enim l. 13. Met. c. 3. ex profeſſo probat Entia Mathematica eſſe bona, quia proportionem habent, in quâ ſita eſt purchritudo, & proinde bonitas.

Objicies ſecundò. Si bonum reciprocaretur cum Ente, relationes eſſent bonæ. Falſum conſequens, (alioqui relationes divinæ

ſſent bonæ, quod impoſſibile eſt: nam ſi re-
ıtiones divinæ eſſent bonæ, eſſet aliqua bo-
itas in Patre divino, quæ non eſſet in Filio,
uta paternitas; ſicque Filius divinus non
ɔret tam perfectus quàm tota Trinitas,
uod eſt contra ſanctum Auguſtinum) Ergo
c antecedens.

Nego minorem, & probationis minorem;
ujus conſequens diſtinguo. Si relationes di-
inæ eſſent bonæ, eſſet aliqua bonitas in Pa-
re divino, quæ non eſſet in Filio; formali-
er, concedo: eminenter, ratione naturæ di-
inæ, quæ relationes omnes divinas in ſe
minenter complectitur, nego: At non mi-
ıùs nobile eſt continere aliquam perfectio-
ıem eminenter, quàm formaliter, dum talis
erfectio non exigitur. Sic Pater divinus non
ninùs perfectus eſt quàm Chriſtus, etſi Chri-
ſtus contineat formaliter perfectiones huma-
ıitatis, quas Pater divinus in ſe complecti-
ur tantùm eminenter.

Objicies ultimò. Aliquod Ens eſt malum:
nulti enim ſunt mali homines, v. g. Ergo
ɔonum non reciprocatur cum Ente.

Diſtinguo antecedens. Aliquod Ens eſt
nalum, in quantum caret aliquo eſſe ſibi
lebito, concedo: in quantum eſt Ens, nego.
Nam ut ait S. Th. art. cit. ad ſecundum:
*Nullum Ens dicitur malum, in quantum eſt
Ens; ſed in quantum caret quodam eſſe. Si-
cut homo dicitur malus, in quantum caret
eſſe virtutis, & oculus dicitur malus, in quan-
um caret acumine viſûs*: unde quidquid
malum eſt, quâ parte malum eſt, non eſt,

malus amicus non eſt amicus, ſed proditor: malum pharmacum, non eſt pharmacum, ſed venenum. Hinc ſecundâ parte Ethicæ docuimus malitiam Moralem in mero defectu conſiſtere.

PARS ULTIMA.

METAPHYSICÆ.

De ſpeciebus Entis.

ANTEQUAM de ſpeciebus Entis dicamus, quædam de ipſo Ente in communi præmittenda ſunt. Itaque duo erunt hujus Partis Tractatus; Prior de Ente in communi; poſterior de ſpeciebus Entis.

TRACTATUS PRIOR.

De Ente in communi.

OBjectum Metaphyſicæ eſt Ens reale, ut diximus, in diſputatione proœmiali: nihilominùs, quia eadem eſt ſcientia contrariorum, diſputatione de Ente reali, alteram ſubjiciemus de Ente rationis.

DISPUTATIO PRIOR.

De Ente Reali.

VArias Entis realis acceptiones expoſuimus in Anteprædicamentis, ubi expendimus utrùm Ens eſſet univocum, vel analogum; utrùm eſſet verum genus, nec-ne.

De principiis Entis realis egimus primâ parte hujus operis: de proprietatibus Entis diximus ſecundâ parte: de illius diviſione fusè diſſeruimus tractatu de Categoriis.

Quare hîc tantùm pauca reſtant de conceptu Entis.

CAPUT UNICUM.

De conceptu Entis.

COnceptus alicujus rei duplex eſt: formalis, & objectivus.

Conceptus formalis eſt ipſa mentis concipientis actio. v. g. conceptus formalis de Deo, eſt actio quâ intellectus Deum apprehendit. Dicitur formalis conceptus, quia eſt forma aut veluti forma reſidens in mente concipiente, eam reddens formaliter concipientem.

Conceptus objectivus eſt objectum conceptionis, ſeu res concepta. Verbi gratia, quando concipitur Deus, conceptus objectivus eſt ipſe Deus prout per intellectum apprehenſus.

Uno verbo conceptus formalis ſimilis eſt tabellæ, conceptus objectivus verò ſimilis eſt prototypo per tabellam expreſſo.

Quæritur hîc utrùm conceptus Entis tum formalis tum objectivus unus ſit; & utrùm ſit præciſus à conceptibus inferiorum ſeu differentiarum dividentium.

ARTICULUS PRIOR.

An conceptus Entis unus ſit.

UTerque conceptus, formalis ſcilicet & objectivus, poteſt eſſe unus dupliciter, nimirùm re, & ratione.

Conceptus formalis eſt unus re, quando eſt unica mentis actio: Eſt verò unus ratione, quando illa unica mentis actio objectum unicum repræſentat: Nam conceptus formalis eſt inſtar tabellæ; tabella autem poteſt eſſe una, & re, quando de facto unica eſt tabella; & ratione, quando unica tabella unicum repræſentat objectum.

Porrò conceptus formalis unus ratione, eſt unus ratione vel perfectè, quando aliquid uniformiter & univocè repræſentat: vel imperfectè, quando aliquid repræſentat non planè uniformiter & univocè; ſed analogicè.

Conceptus objectivus eſt unus re, quando unica realiter res eſt quæ concipitur: Eſt verò unus ratione, quando unica mentaliter res eſt quæ concipitur; tuncque eſt unus ratione, vel perfectè, quando objectum eſt univocè, & uniformiter repræſentatum;

vel imperfectè, quando objectum non eſt univocè, ſed analogicè dumtaxat repræſentatum.

His prænotatis facile eſt determinare quæſtionem, ſi modò in memoriam revocentur quæ docuimus in Logicis tum tractatu primo, ubi oſtendimus res à parte rei non eſſe univerſales, tum tractatu ſecundo, ubi egimus de univocatione & analogiâ entis, quibus ſuppoſitis,

Dico primò. Conceptus formalis entis eſt unus re, quia ſufficit unica mentis actio ad ens concipiendum.

Dico ſecundò. Conceptus objectivus entis non eſt unus re, quia non eſt unum ens à parte rei in omnibus entibus: Alioqui daretur univerſale à parte rei.

Dico tertiò. Conceptus tum formalis, tum objectivus entis realis latè ſumpti, non eſt unus ratione perfectè, ſed imperfectè tantùm; quia Ens latè ſumptum (ut diximus in Logicis) non eſt univocum, ſed tantùm analogum: Ergo ejus conceptus tum formalis, tum objectivus, non eſt unus ratione perfectè, ſed imperfectè tantùm.

Dico ultimò. Conceptus tum formalis, tum objectivus entis propriè ſumpti, perfectè unus eſt ratione; quia (ut oſtendimus in Logicis) ens propriè ſumptum univocum eſt: Ergo uterque ejus conceptus eſt ratione perfectè unus.

ARTICULUS POSTERIOR.

Vtrùm conceptus Entis præſcindat à conceptibus diffreentiarum.

Uterque conceptus poteſt eſſe præciſus à conceptibus differentiarum diviſivarum vel re, vel ratione.

Conceptus entis tum formalis, tum objectivus, præciſus eſt re à conceptibus inferiorum, ſi ab iis realiter diſtinguatur.

Conceptus formalis entis præciſus eſt ratione à conceptibus differentiarum, ſi aliud vel aliter repræſentet, quàm conceptus differentiarum, nec ſit prorſus identicus. Poteſt autem eſſe præciſus vel perfectè, ſi nimirùm ratio repræſentata per conceptum entis, nullo modo repræſentatur per conceptus differentiarum; vel imperfectè, ſi ratio repræſentata per conceptum entis, confusè ſaltem repræſentetur per conceptus differentiarum.

Conceptus objectivus entis præciſus eſt ratione à conceptibus objectivis ſuarum differentiarum diviſivarum, ſi virtualitas entis alia ſit à virtualitatibus differentiarum ejus: Poteſt autem eſſe præciſus vel perfectè, ſi virtualitas entis non includatur formaliter in virtualitatibus differentiarum dividentium; vel imperfectè, ſi in iis formaliter imbibatur. His prænotatis

Dico primò. Formalis conceptus entis eſt præciſus re à conceptibus formalibus differentiarum: quia alia eſt realiter actio, quâ

concipio ens, aliæ, quibus concipio differentias entis diviſivas, ſcilicet aſeïtatem & abalietatem, perſeïtatem & inalïetatem.

Dico ſecundò. Conceptus objectivus entis non eſt præciſus re à conceptibus objectivis differentiarum; quia gradus metaphyſici non diſtinguuntur realiter.

Dico tertiò. Conceptus tum formalis, tum objectivus entis realis latè ſumpti non eſt perfectè præciſus, ſed imperfectè tantùm, à conceptibus differentiarum; quia ens latè ſumptum eſt tantùm analogum, non univocum.

Dico ultimò. Conceptus tum formalis, tum objectivus entis propriè ſumpti, eſt perfectè præciſus ratione à conceptibus differentiarum: quia ens propriè dictum univocum eſt, nec formaliter imbibitur in ſuis differentiis diviſivis, ut demonſtratum eſt in Antepræ- dicamentis.

DISPUTATIO POSTERIOR.

De Ente Rationis.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione, & exiſtentia Entis Rationis,

ENns rationis, ſi vim nominis ſpectes, ſignificat id omne, quod ad rationem aliquo modo pertinet. Unde ſecundùm hanc Etymologiam

Triplex eſt Ens rationis, ſcilicet ſubjectivum, effectivum, & objectivum.

Ens rationis ſubjectivum, illud eſt quod eſt in ratione tanquam accidens in proprio ſubjecto; quomodo virtutes intellectûs ſunt entia rationis.

Ens rationis effectivum illud eſt, quod à ratione verè & phyſicè producitur; quomodo operationes mentis & ſpecies expreſſæ intellectûs, ſunt entia rationis.

Ens rationis objectivum illud eſt, quod menti conſiderandum objicitur: Uno verbo eſt quodlibet objectum mentis.

Verùm apud Philoſophos, Ens rationis eſt Ens quoddam fictum & commentitium: Quare

Certum eſt entia rationis ſubjectiva & effectiva non eſſe propriè entia rationis, ſed entia realia: nam accidentia & germana opera mentis tam realia ſunt, quàm accidentia & opera cujuſcumque alterius potentiæ realis.

Entia autem rationis objectiva ſunt in duplici differentiâ. Quædam ſunt extra intellectum, eo modo quo concipiuntur ab intellectu, ut Deus, Sol, &c. Quædam non ſunt extra intellectum, eo modo quo concipiuntur ab intellectu, ut Chimæra, Sol pedalis, &c.

Conſtat entia rationis objectiva, quæ eodem modo ſunt extra intellectum, quæ ſunt in intellectu, non eſſe entia rationis propriè dicta, ſed vera & realia: Alioqui nullum foret ens reale.

Jam verò entia rationis objectiva, quæ ita ſunt in intellectu, ut non ſunt extra intel-

lectum eodem modo, duplicis ſunt adhuc generis. Alia quæ ita ſunt in intellectu, ut nec ſint, nec eſſe poſſint extra intellectum, eo modo quo concipiuntur; ut Chimæra, Hircocervus. Alia quæ ita ſunt in intellectu, ut non ſint quidem extra intellectum, eo modo quo concipiuntur, eſſe tamen poſſint, ut Mons aureus, Sol pedalis. De quibus ultimis

Lis eſt inter Philoſophos, utrùm ſint entia rationis propriè dicta; ſed lis de nomine ut videtis: quare nos entia rationis prioris generis vocabimus entia rationis ſtrictè ſumpta: Entia verò rationis poſterioris generis appellabimus entia rationis latè ſumpta: Priora enim fictitia ſunt & chimerica, poſteriora tantùm erronea. Unde priora magis merentur nomen entium rationis: nam poſteriora non ſunt in intellectu objectivè tantùm (quod tamen proprium eſt entis rationis ſecundùm omnes veteres Philoſophos) cùm ſint extra intellectum poſſibilia: Ens autem poſſibile, chimæricum non eſt.

Dari entia rationis latè ſumpta nullus ambigit; quia multa concipiuntur aliter quàm ſint de facto, ut ſol maximus, inſtar ſolis pedalis; turris quadrata, inſtar rotundæ; baculus rectus, inſtar curvi: ſed quidam negant dari entia rationis ſtrictè ſumpta, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Dantur Entia rationis ſtrictè ſumpta.

PRobatur. Entia rationis ſtrictè ſumpta ſunt quædam concepta aliter quàm ſint,

aut eſſe poſſint : Atqui dantur eiuſmodi entia rationis : Namque dum Philoſophi diſputant inter ſe, utrùm poſſibilis ſit creatura creatrix vel infinita, vel æterna, v. g. profectò quidam ex illis concipiunt rem aliter quàm eſſe poſſit : nam quidam aſſerunt, quidam negant ; impoſſibile autem eſt ut ambæ contradictoriæ poſſint eſſe veræ : Ergo dantur entia rationis ſtrictè ſumpta.

Confirmatur. Dum Athei concipiunt nullum eſſe Deum, & Ethnici plures eſſe Deos, concipiunt profectò quædam quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt : Ergo faciunt entia rationis ſtrictè ſumpta.

Objicies primò. Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu : Atqui entia rationis ſtrictè ſumpta numquam fuerunt in ſenſu : Ergo nec in intellectu.

Diſtinguo majorem. Nihil eſt in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu : per ſe, vel per aliquid ſui, concedo. per ſe neceſſariò, nego. Entia autem rationis chimærica, etſi non fuerint in ſenſu per ſe, fuerunt tamen per partes. Namque aliquando vidimus hircum v. g. & aliquando cervum : Unde mens ſumit occaſionem fingendi hircocervum.

Objicies ſecundò. Quod fit à mente, reale eſt ; Ergo entia rationis non fiunt à mente.

Diſtinguo antecedens. Quod fit à mente reale eſt, ſi ſit effectus primarius mentis, concedo : ſi ſecundarius tantùm, nego. Primarius effectus mentis eſt imago, ſeu ſpecies expreſſa, quæ ſemper eſt realis. Secundarius vero eſt res in illa imagine repræſentata quæ

aliquando eſt fictitia: Eo ferè modo quo primarius effectus pictoris (putà tabella) ſemper verus eſt: ſecundarius verò (putà res depicta) aliquando fabuloſus.

Objicies tertiò. Si darentur entia rationis chimærica, fierent maximè ab intellectu: Atqui non poſſunt fieri ab intellectu: Namque intellectus non facit, ſed ſupponit objectum: Atqui entia chimærica eſſent objecta intellectûs: Ergo non fierent ab intellectu.

Nego minorem. Ad cujus probationem, diſtinguo majorem. Intellectus non facit ſed ſupponit objectum motivum, concedo: terminativum, nego. Objectum motivum illud eſt, quod excitat veluti & movet potentiam ad agendum; proindéque ejus actionem præcedit: Objectum verò terminativum illud eſt, ad quod potentia jam mota tendit. Fateor intellectum non poſſe facere objectum ſuum motivum, ſed contendo poſſe facere objectum ſuum terminativum: Nam v.g. cùm peritus aliquis artifex alicujus operis ſtructuram excogitat novam, licet non faciat objectum motivum, ſcilicet opera multa, ex quibus ſingulis aliquid ſeligit; nihilominùs facit objectum ſuum terminativum, putà illud opus novum quod excogitavit: Ita quando mens effingit hircocervum v. g. nec hircum facit, nec cervum, ſed ex utroque cudit hircocervum.

CAPUT SECUNDUM.

De Cauſis Entis rationis.

CAuſa finalis entis rationis ex ſe nulla eſt : cùm enim nullam habeat veram entitatem, nullam quoque habet veram bonitatem, ſuprà quam tamen fundatur omnis internus ordo ad finem : Unde ens rationis nullum habet alium finem, quàm finem operantis.

Cauſa materialis entis rationis (ſi qua ſit) ſunt partes ex quibus coaleſcit v.g. Cauſa materialis hircocervi, ſunt natura hirci & natura cervi.

Cauſa formalis entis rationis veluti phyſica, eſt ea forma ſeu eſſentia quam accipit ab intellectu fingente ; metaphyſica verò eſt ejus definitio.

Ens rationis ſtrictè ſumptum definitur à priſcis Philoſophis: Illud quod habet eſſe objectivè tantùm in intellectu. Dicitur primò, *illud*, ſupple ens latiſſimè ſumptum. Dicitur ſecundò, *quod habet eſſe in intellectu*, in quo differt ab entibus realibus extrà intellectum exiſtentibus. Dicitur tertiò, *quod habet eſſe objectivè tantùm*: In quo differt ab entibus rationis ſubjectivis & effectivis, itemque objectivis, quæ aut ſunt, aut eſſe poſſunt extra intellectum, eodem modo quo ſunt in intellectu.

Senſus ergo definitionis hic eſt : Ens rationis ſtrictè ſumptum eſt illud quod conci-

pitur aliter quàm ſit, aut eſſe poſſit.

Ens verò rationis latè ſumptum deſcribi poteſt, illud quod concipitur aliter quàm ſit de facto.

Quod ſpectat ad cauſam efficientem entis rationis, difficultas eſſe poteſt de appetitu, ſenſu, intellectu divino, angelico, & humano.

PRIMA CONCLUSIO.

Nullus appetitus poteſt facere Ens rationis.

PRobatur primò. Illa potentia non poteſt facere ens rationis, quæ non poteſt dare eſſe objectivè in ſe: Atqui nullus appetitus poteſt dare eſſe objectivè in ſe, tum quia appetitus ad ſe non attrahit objectum, ſed potiùs ad illud fertur; tum quia dare eſſe objectivè, eſt efformare ſpeciem objecti: Atqui appetitus non poteſt efformare ſpeciem objecti, cùm illud proprium ſit potentiæ cognoſcentis: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Illud non poteſt facere ens rationis, quod non poteſt concipere rem aliter quàm ſit: Atqui nullus appetitus poteſt concipere rem aliter quàm ſit; cùm proprium appetitus non ſit concipere, ſed tantùm ferri in objectum à potentia apprehenſiva ſibi propoſitum: Ergo, &c.

Objicies. Poteſt voluntas appetere aliquid impoſſibile per modum poſſibilis: Ergo poteſt facere ens rationis.

Nego conſequentiam: quia in tali hypotheſi homo facit quidem ens rationis; ſed pe-

intellectum, in quantùm cognoſcit poſſibile quod non eſt poſſibile; non autem per voluntatem, cujus ſcilicet non eſt concipere, ſed duntaxat ferri in objectum ab intellectu conceptum.

SECUNDA CONCLUSIO.

Senſus poſſunt facere entia rationis latè ſumpta.

PRobatur. Quia ſenſus tum interni, tum externi poſſunt apprehendere res aliter quàm ſint de facto, ut patet in nocturnis phantaſiæ ſomniantis illuſionibus, & variis ſenſuum externorum hallucinationibus.

TERTIA CONCLUSIO.

Nullus ſenſus poteſt facere entia rationis ſtrictè ſumpta.

PRobatur. Quia ſenſus non poſſunt apprehendere res aliter quàm eſſe poſſint, cùm accidentia tantùm & ſolas partes externas conjungant vel ſeparent, quæ omnia revera fieri poſſunt.

Objicies. Phantaſia concipit chimæras æquè ac intellectus: Ergo æquè poteſt facere entia rationis ſtrictè ſumpta, quàm intellectus.

Diſtinguo antecedens. Phantaſia concipit chimæras quoad partes externas & entitativas, concedo: quoad partes eſſentiales & quidditativas, nego: Senſus enim non percipiunt eſſentias rerum, quas proinde conjungere non poſſunt: intellectus contra.

QUARTA

Quarta Conclusio.

Deus non poteſt facere entia rationis.

PRobatur. Facere entia rationis eſt alicui objecto dare eſſe objectivè tantùm: Atqui Deus nulli objecto dare poteſt eſſe objectivè tantum: Ergo non poteſt facere entia rationis. Probatur minor. Dare alicui objecto eſſe objectivè tantùm, eſt illud concipere aliter quàm ſit aut eſſe poſſit; dum enim res concipitur ut eſt aut eſſe poteſt, non habet eſſe objectivè tantùm in intellectu; cum habeat eſſe extra intellectum, ſaltem poſſibile: Atqui Deus non poteſt concipere rem aliter quàm ſit aut eſſe poſſit: Ergo Deus nulli objecto dare poteſt eſſe objectivè tantùm.

Objicies primò. Cognoſcere entia rationis eſt facere: Atqui Deus cognoſcit noſtra entia rationis: Ergo facit.

Diſtinguo majorem. Cognoſcere entia rationis approbando, eſt facere, concedo: cognoſcere entia rationis, improbando, eſt facere, nego: At Deus non cognoſcit entia rationis quin eodem rationis ſigno videat illa eſſe cæcutientis noſtri intellectus errores, quod non eſt falli aut fingere; ſic qui cognoſcit propoſitionem hæreticam ab Hæretico prolatam, eam probando, æquè errat ac hæreticus ipſe; ſed qui eam cognoſcit improbando, non errat.

Objicies ſecundò. Deus eſt omnipotens Ergo omnia poteſt facere.

Diſtinguo conſequens : Ergo Deus poteſt facere omnia quæ ſunt effectus, concedo : quæ ſunt defectus, nego : At entia rationis defectus potiùs ſunt quàm effectus.

Objicies tertiò. Deus concurrit nobiſcum ad fabricam entis rationis : Ergo ejus cauſa cenſeri debet.

Diſtinguo antecedens. Deus concurrit nobiſcum ad fabricam entis rationis ſecundùm id quod in ea fabrica reperitur realitatis & effectûs, concedo : ſecundùm id quod reperitur defectûs, nego. Nimirùm duo ſunt in fabrica entis rationis, ſcilicet ſpecies expreſſa, & res in illa depicta : Deus concurrit ad ſpeciem expreſſam, quæ ſemper realis eſt, quidquid in ea repræſentetur, ſed non concurrit ad rem depictam : Sic Deus concurrit ad actiones pravas ſecundùm id omne quod habent entitatis, non autem ſecundùm id quod habent pravitatis : anima concurrit ad claudicationem ſecundùm id omne quod habet motionis, non autem ſecundùm id quod habet deformitatis.

Quinta Conclusio.

Angeli non poſſunt facere entia rationis circa res naturales.

PRobatur. Facere ens rationis eſt concipere res aliter quàm ſint : Atqui Angeli non poſſunt cognoſcere res naturales aliter quàm ſint ; cùm eas omnes clarè penetrent, ut docebimus diſputatione ultimâ, agendo de objecto cognitionis Angelicæ : Ergo, &c.

SEXTA CONCLUSIO.

Angeli poſſunt facere entia rationis latè ſumpta circa cogitationes cordium.

PRobatur. Angeli non certò cognoſcunt cogitationes cordium, ut oſtendemus loco citato: Ergo circa illas falli poſſunt, eas concipiendo aliter quàm ſint; ſicque circa illas entia rationis latè ſumpta facere poſſunt.

SEPTIMA CONCLUSIO.

Angeli poſſunt facere entia rationis ſtrictè ſumpta circa res ſupernaturales.

PRobatur. Cùm res ſupernaturales nativas intellectûs Angelici vires ſuperent, eas Angeli concipere poſſunt aliter quàm ſint & eſſe poſſunt: Ergo circa eas facere poſſunt entia rationis ſtrictè ſumpta.

ULTIMA CONCLUSIO.

Intellectus humanus fœcundiſſimus eſt entium rationis parens.

PRobatur. Intellectus humanus infimus eſt in ordine intellectuum, & ab initio omni cognitione penitùs deſtitutus: Ergo multa concipit aliter quàm ſint & eſſe poſſint; ut patet etiam ex eo, quòd homines de rebus etiam naturalibus inter ſe non conveniant: Ergo intellectus humanus ſæpè facit entia rationis etiam ſtrictè ſumpta.

Ex quibus patet quàm ſapienter Majores

noſtri illis entibus chimæricis & fictitiis entium rationis nomen impoſuerint; cùm de facto fieri tantùm poſſint à ratione, putà ab intellectu humano, & ab intellectu angelico circa objecta libera & ſupernaturalia, circa quæ ratiocinari poſſunt Angeli, ut docebimus diſputatione ultimâ.

Porro duo ſunt modi faciendi entia rationis: ſcilicet dividendo inſeparabilia, ut cùm damnati ſeparant miſericordiam à Deo; & conjungendo impoſſibilia, ut cùm damnati concipiunt Deum ut crudelem.

Exiſtimo entia rationis fieri poſſe per tres mentis operationes, ſcilicet per apprehenſionem, ut ſi quis apprehendat Deum ut crudelem; per judicium, ut ſi quis dicat Deum eſſe crudelem; & per diſcurſum, ut ſi quis ita inferat: Deus eſt optimus, ergo audacter peccandum eſt.

CAPUT TERTIUM.

De Paſſionibus Entis Rationis.

CUm ens rationis, ens reale aliquomodo mentiatur; de paſſionibus ejus philoſophandum eſt analogicè ad ea quæ diximus de proprietatibus entis realis. Nimirùm ens rationis unitatem habet pictam & fictam, veritatem commentitiam & apparentem, bonitatem larvatam & umbratilem; In quibus explicandis nulla eſt ſpecialis difficultas.

CAPUT ULTIMUM.

De diviſione Entis rationis.

ENs rationis dividitur in fundatum, quod fit cum fundamento in re; ut obſcuritas concepta ad modum nigredinis: & in non-fundatum, quod fit ſine ullo fundamento in re; ut Hircocervus, Atheïſmus, Polytheïſmus.

Ens rationis fundatum dividitur in negativum, privativum, & relativum.

Ens rationis negativum, eſt negatio concepta ad modum entis poſitivi; ut carentia rationis in bruto, concepta inſtar differentiæ cujuſdam poſitivæ.

Ens rationis privativum, eſt privatio concepta inſtar entis poſitivi; ut umbra concepta ad modum fuſci coloris, & cæcitas concepta ad modum qualitatis malignæ.

Ex quibus inferes negationes & privationes non eſſe neceſſariò entia rationis: Namque ſi conciperentur ut abſentiæ quorundam entium realium, non eſſent entia rationis; cùm de facto tales abſentiæ à parte rei ſint ſuo modo, ut in Poſtprædicamentis docuimus.

Ens rationis relativum, eſt illud quod concipitur inſtar relationis realis, cùm tamen non ſit; qualis eſt relatio generis ad ſuas ſpecies.

Ens rationis relativum, aliud eſt primæ intentionis, quod non fit per reflexionem men-

tis; qualis eſt relatio ſimilitudinis inter duos cæcos, relatio paternitatis putativæ, relatio viſi ad viſum, & denominationes omnes putò morales: v.g. Conſulis, Doctoris, &c. Aliud ſecundæ intentionis, quod dependet à reflexione mentis, qualia ſunt omnia attributa Logicalia, v.g. Eſſe ſubjectum, prædicatum, &c. Quod ut intelligas,

Nota intentionem hîc non ſignificare actionem voluntatis, quâ voluntas ſuum ſibi finem efficaciter proponit: ſed conceptionem intellectus; proindéque intentionem hîc idem eſſe cum conceptione, ſeu conceptu.

Intentio ſic ſumpta, ſeu conceptio, duplex eſt, ſcilicet formalis, quæ eſt ipſa actio mentis concipientis; & objectiva, quæ eſt ipſa res concepta.

Utraque duplex eſt: prima ſcilicet, & ſecunda, ſed quia actiones ſpecificantur ab objectis, ſatis intelligitur quod ſit prima & ſecunda intentio formalis, ex definitione prima & ſecundæ intentionis objectivæ.

Prima intentio objectiva, eſt aliquod objectum independens à mentis reflexione, ut homo, chimæra.

Secunda intentio objectiva, eſt attributum quoddam logicale competens rei conceptæ, eò præcisè quòd concepta ſit, ut eſſe ſubjectum, prædicatum, genus, ſpeciem, &c.

Nempè ſicut apud Grammaticos quædam ſunt nomina rerum, ut lapis, petra, ſaxum; quædam verò nomina nominum, ut eſſe maſculini, fœminini, neutrius generis: Ita

apud Logicos quædam ſunt conceptiones rerum, ut conceptio hominis aut philoſophi; quædam verò ſunt conceptiones conceptionum, ut conceptio ſubjecti & prædicati. Priores conceptiones ſunt primæ intentiones formales; poſteriores verò, ſecundæ intentiones formales: objecta priorum conceptionum ſunt primæ intentiones objectivæ; objecta verò poſteriorum ſunt ſecundæ intentiones objectivæ.

Cæterùm ſecundæ intentiones objectivæ non ſunt entia rationis formaliter, ſed fundamentaliter tantùm, ut docuimus agendo de Univerſalitate; ubi de cauſa ejus effectrice: poſſet enim quis ſecundas intentiones objectivas concipere ſine figmento; quia ſi quis conciperet Petrum v. g. fuiſſe objectum alicujus propoſitionis, conciperet ſine figmento Petrum fuiſſe ſubjectum: ſed quia iſtæ ſecundæ intentiones dant occaſionem intellectui excogitandi relationes aliquas advenire rebus, ex eo quòd conceptæ ſint; ideò dici poſſunt entia rationis fundamentaliter.

TRACTATUS POSTERIOR.

De ſingulis ſpeciebus Entis Metaphyſici.

ENs metaphyſicum, & eſſentialiter completum immediatè & adæquatè, dividitur in ſubſtantiam & accidens tanquam in veras ſpecies, ut docuimus in Antepædica-

mentis; quæ quia univerſaliter ſumptæ abſtrahunt ab omni materia, juris ſunt metaphyſici.

Verùm de Accidente multa diximus, tum in diſputatione de Univerſalibus in ſpecie, ſectione ultima; tum in Categoriis poſt ſectionem de ſubſtantiâ. Unica reſtat de eo difficultas ſolvenda, nimirùm utrùm inhæſio actualis, ſeu unio accidentalis phyſici cum ſubjecto, ſit entitas quædam à ſubjecto & accidente realiter (ut aiunt) modaliter diſtincta. Sed quia de unione accidentis cum ſubjecto, eodem modo philoſophandum eſt, ac de unione formæ ſubſtantialis cum materia; ideò hanc quæſtionem hîc omittimus, cùm nullius futurum ſit operæ, ejus ſolutionem petere ex his quæ in Phyſicis dicemus, refellendo unionem modalem inter partes corporis naturalis.

Itaque hîc tantùm agemus de ſubſtantiâ; & quia ſubſtantia duas habet ſpecies à materiâ realiter abſtractas (quæ proinde continentur intra limites Metaphyſicæ) nimirùm Deum & Angelum; ideò tres erunt hujus Tractatus Diſputationes. Prima erit de ſubſtantia metaphyſica in communi: ſecunda de Deo: ultima de Angelis.

DISPUTATIO PRIMA.

De Subſtantiâ in genere.

SUbſtantia definitur, Ens per ſe ſubſiſtens. De ſubſtantia diximus in Categoriis; hîc tantùm

tantùm agendum eſt de ſubſiſtentia: Sed ſubſiſtentia triplex eſt, ut diximus loco citato, ſcilicet radicalis, aptitudinis & actualis: Prima eſt de eſſentiâ ſubſtantiæ categoricæ & completæ: Secunda eſt ejus proprietas; Tertia ultimum complementum ejus. De ſola tertia hîc futurus eſt ſermo, & quidem fuſus & accuratus; cùm doctrina de ſubſiſtentia actuali, Philoſopho Chriſtiano maximè neceſſaria ſit ad notitiam duorum potiſſimorum myſteriorum noſtræ fidei; Trinitatis ſcilicet & Incarnationis, de quibus ſcriptum eſt Joannis c. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum; & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione & exiſtentiâ Subſiſtentiæ.

SUbſiſtentia eſt abſtractum ſubſtantiæ, quare ſecundùm vim vocis ſignificat id quod conſtituit ſubſtantiam in eſſe ſubſtantiæ; ſicque ſumpta ſubſiſtentia tot modis dicitur quot ſubſtantia.

Atqui ſubſtantia ſumitur quatuor modis. Primò, prout opponitur accidenti, hoc eſt pro ſubſtantiâ latè ſumptâ abſtrahente à completâ & incompletâ. Secundò, prout opponitur ſemiſubſtantiæ, hoc eſt pro ſubſtantiâ categorica & eſſentialiter completa, abſtrahente ab univerſali & ſingulari. Tertiò,

prout opponitur ſubſtantiæ ſecundæ & univerſali, hoc eſt pro ſubſtantia eſſentialiter completa & ſingulari, abſtrahendo à ſubſtantiâ ultimatè completâ, & ultimatè incompletâ. Quartò denique, prout opponitur ſubſtantiæ ſingulari eſſentialiter completæ per aliud ſuppoſitum ſubſiſtenti, hoc eſt pro ſubſtantiâ integrâ, ſingulari, & ultimatè completâ.

Ergo ſubſiſtentia ſumitur quoque quatuor modis, cùm tot modis dicatur abſtractum, quot concretum. Primò, ſubſiſtentia ſumitur pro eo quod facit ut ens aliquod ſit incommunicabile alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; quo ſenſu conſtituit ſubſtantiam primo modo ſumptam; ſcilicet ſubſtantiam prout opponitur accidenti. Secundò, pro eo quod facit ut ſubſtantia aliqua ſit incommunicabilis alteri tanquam alicujus naturæ comparti; quo ſenſu conſtituit ſubſtantiam ſecundo modo ſumptam, ſcilicet categoricam. Tertiò, pro eo quod facit, ut ſubſtantia eſſentialiter completa & categorica ſit incommunicabilis alteri tanquam inferiori; quo ſenſu conſtituit ſubſtantiam tertio modo ſumptam, ſcilicet ſubſtantiam primam ſeu ſingularem. Quartò denique, pro eo quod facit, ut ſubſtantia completa ſingularis ſit incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito; quo ſenſu conſtituit ſubſtantiam quarto modo ſumptam, hoc eſt ſuppoſitum: Et hæc tantùm ultima acceptio eſt hujus loci.

Itaque in quolibet Suppoſito quatuor ſunt incommunicabilitates, ſcilicet incommuni-

cabilitas alteri tanquam ſubjecto, tanquam alicujus naturæ comparti, tanquam inferiori, & tanquam ſuppoſito. Petrus v. g. incommunicabilis eſt alteri tanquam ſubjecto, quia non eſt accidens, ſed ſubſtantia: incommunicabilis eſt alteri tanquam comparti, quia non eſt ſubſtantia incompleta, ſed completa; incommunicabilis eſt alteri tanquam inferiori, quia non eſt ſubſtantia univerſalis, ſed ſingularis; incommunicabilis eſt denique alteri tanquam ſuppoſito, quia non eſt ſubſtantia ſubſiſtens per aliud, ſed per ſeipſam; uno verbo quia eſt ſuppoſitum. Humanitas autem Chriſti Domini non habet quartam incommunicabilitatem, quia ſubſiſtit per ſuppoſitum Verbi divini. Humanitas in communi non habet tertiam & quartam, quia multis inferioribus & ſuppoſitis communicari poteſt. Anima S.Petri non habet ſecundam & quartam, quia poteſt communicari & alicujus naturæ comparti & alicui ſuppoſito. Accidens nullam habet, quia communicari poteſt etiam ſubjecto inhæſionis.

Subſiſtentia ergo, prout eſt hujus loci, concipitur. ut ultimum complementum naturæ ſubſtantialis, eam reddens incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito, ſicque ſumpta, conſtitutiva eſt ſuppoſita, proindéque ſubſiſtentia actualis propriè ſumpta & ſuppoſitum differunt tantùm, ut abſtractum & concretum: Hinc

Suppoſitum (quod ſubſiſtens & res naturæ à quibuſdam antiquis appellatur) concipitur ſubſtantia eſſentialiter completa, ſin-

gularis, incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito.

Perſona autem addit tantùm ſuppoſito connotationem intellectualitatis in naturâ ſubſtantiali; proindéque perſona nihil aliud eſt quàm ſuppoſitum intellectuale: ſicque omnis perſona ſuppoſitum eſt, non contra; ſicut omnis perſonalitas eſt ſubſiſtentia, ſed non vice verſâ.

Perſonalitas igitur concipitur ut ultimum complementum ſubſtantiale, ultimuſve ſubſtantialis terminus ſubſtantiæ intellectualis eſſentialiter completæ.

Hypoſtaſis autem, quamvis apud Græcos ſubſtantiam & eſſentiam aliquandò ſignificet: nihilominùs jam ex determinatione Eccleſiæ ſignificat ſubſiſtentiam. Unde dicimus tres eſſe hypoſtaſes in naturâ divinâ; hoc eſt tres ſubſiſtentias & perſonalitates, tria ſuppoſita, tres perſonas:, hypoſtaſis enim & ſumitur in abſtracto pro ſubſiſtentia; & in concreto pro ſuppoſito vel perſonâ: hinc unio hypoſtatica idem eſt ac unio duarum naturarum ſubſtantialium in eodem ſuppoſito, vel in eadem perſonâ.

Ex quibus patet ſuppoſitum, ſubſiſtens, rem naturæ, hypoſtaſim nunc ex uſu communi confundi; quamvis, ſi vis vocabulorum propiùs attenderetur, nonnihil inter iſta nomina diſcriminis reperiretur, ut colligitur ex ſancto Thoma, 1. parte quæſt. 29. art. 2. ubi ſic ſcribit: *Dicendum quòd ſecundùm Philoſophum lib. 5. Metaphyſicorum, ſubſtantia dicitur dupliciter. Uno modo dicitur ſubſtantia, quid-*

ditas rei quam ſignificat definitio, ſecundùm quod dicimus quòd definitio ſignificat ſubſtantiam rei: quam quidem ſubſtantiam Græci ὀυσίαν vocant, quam nos eſſentiam dicere poſſumus. Alio modo dicitur ſubſtantia, ſubjectum vel ſuppoſitum quod ſubſiſtit in genere ſubſtantiæ; & hoc quidem communiter accipiendo, nominari poteſt nomine ſignificante intentionem; & ſic dicitur ſuppoſitum. Nominatur etiam tribus nominibus ſignificantibus rem; quæ quidem ſunt, res naturæ, ſubſiſtentia, & hypoſtaſis; ſecundùm triplicem conſiderationem ſubſtantiæ ſic dictæ. Secundùm enim quod per ſe exiſtit, & non in alio, vocatur ſubſiſtentia; (in concreto, hoc eſt ſubſiſtens:) *illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio ſed in ſe exiſtunt. Secundùm verò quod ſupponitur alicui naturæ communi. ſic dicitur res naturæ; ſicut hic homo eſt res naturæ humanæ: ſecundùm verò quod ſupponitur accidentibus, dicitur hypoſtaſis, vel ſubſtantia* (ſcilicet à ſubſtando.) *Quod autem hæc tria nomina ſignificant communiter in toto genere ſubſtantiarum: hoc nomen, perſona, ſignificat in genere rationalium ſubſtantiarum.*

Hæc omnia exiſtere certum eſt, tum fide quâ credimus tres ſubſiſtentias, tres hypoſtaſes, tres ſuppoſitalitates, tres perſonalitates, tria ſuppoſita, tres perſonas in naturâ divinâ; unicam verò ſubſiſtentiam, ſuppoſitalitatem, perſonalitatem, hypoſtaſim, perſonam, unumque ſuppoſitum in Chriſto Domino: tum authoritate omnium Philoſophorum qui agnoſ-

cunt individua omnia ſubſtantiæ categoricæ eſſe ſuppoſita & hypoſtaſes.

CAPUT SECUNDUM.

De naturâ ſubſiſtentiæ.

HIc agendum eſſet de cauſis Subſiſtentiæ, ſed facilè colligentur ex ejus naturâ benè intellectâ: Quare ut naturam Subſiſtentiæ accuratiùs percipiamus, primò quæremus ejus definitionem, ſecundò entitatem illius; quomodo ſcilicet ſubſiſtentia diſtinguatur à ſubſtantiâ.

ARTICULUS PRIOR.

De definitione Subſiſtentiæ, Suppoſiti & Perſonæ.

SUbſiſtentia vulgò deſcribitur, ultimus terminus, ultimumve naturæ ſubſtantialis complementum.

Suppoſitum verò, ſubſtantia ultimò completa.

Perſona autem, ſubſtantia intellectualis ultimatè completa.

Accuratiùs Subſiſtentia definitur, complementum ſubſtantiale ultimum, reddens ſubſtantiam incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito. Additur aliqui *per modum naturæ.* Dicitur primò *complementum*; in quo differt à materiâ quæ non eſt complementum aut actus, ſed potentia. Dicitur 2. *ſubſtantiale*

in quo differt ab accidentibus perfectivis, quæ ſunt tantùm complementa accidentalia. Dicitur 3. *ultimum*, in quo differt à formâ ſubſtantiali quæ eſt quidem complementum ſubſtantiale materiæ, ſed non neceſſariò ultimum, cùm materia ulteriùs ſubſtantialiter compleri poſſit. Dicitur 4. *reddens ſubſtantiam incommunicabilem alteri*, non tanquam ſubjecto inhæſionis, quod eſt proprium gradûs ſubſtantiæ; nec tanquam comparti naturæ, quod eſt proprium ſubſtantiæ eſſentialiter complexæ; nec tanquam inferiori, quod eſt proprium ſingularitatis: ſed *tanquam ſuppoſito*, quod eſt proprium ſubſiſtentiæ actualis. Addunt aliqui *per modum naturæ*, hoc eſt per modum terminabilis; nam ſuppoſitum communicari poteſt alteri per modum terminantis. Sic ſuppoſitum Verbi divini communicatur humanitati Chriſti per modum terminantis. Verùm hoc ſatis intelligitur ſine illa additione; nam communicari per modum terminantis eo modo quo communicatur Verbum divinum humanitati, non eſt communicari alteri tanquam ſuppoſito, ſed potiùs tanquam ſuppoſitum.

Dices. Subſiſtentia Patris divini non reddit naturam divinam incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito; nam natura divina communicatur adhuc Filio & Spiritui Sancto: Ergo ſubſiſtentia non reddit naturam incommunicabilem alteri tanquam ſuppoſito.

Diſtinguo antecedens. Subſiſtentia Patris divini non reddit naturam divinam incommunicabilem alteri ſuppoſito: ſi natura divi-

na ſpectetur in abſtracto, & in ſenſu diviſo paternitatis, concedo: ſi conſideretur in concreto, & in ſenſu compoſito paternitatis, nego. Uno verbo, ſubſiſtentia Patris non reddit divinitatem incommunicabilem; reddit tamen Patrem divinum incommunicabilem; proindéque de ratione ſubſiſtentiæ eſt reddere ſuppoſitum à ſe conſtitutum incommunicabile alteri cuilibet ſuppoſito.

Suppoſitum accuratè definitur, ſubſtantia completa, ſingularis, incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito quæ definitio patet ex dictis.

Perſona verò bene definitur à Boëtio, libro de duabus naturis, rationalis naturæ individua ſubſtantia; id eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſtantia. Poſſet etiam definiri, ſubſtantia intellectualis, completa, ſingularis, incommunicabilis alteri tanquam ſuppoſito; perſonna enim addit tantùm ſuprà ſuppoſitum connotationem naturæ intellectualis.

ARTICULUS POSTERIOR.

Quid Subſiſtentia ſuperaddit naturæ ſubſtantiali?

SUppoſitum concretum eſt ex naturâ ſubſtantiali & ex ſuppoſitalitate ſeu ſubſiſtentiâ, idem enim eſt ac ſubſtantia habens actualem ſubſiſtentiam.

Quæritur quid ſubſiſtentia actualis ſuperaddat ſubſtantiæ.

Certum eſt propter ſummam ſimplicita

tem perſonarum divinarum, ſubſiſtentias divinas nihil entitatis ſuperaddere naturæ divinæ, ſed tantùm relationes quaſdam (ut vocant) originis ab ipsâ divinitate realiter indiſtinctas: ſed controverſia eſt de Subſiſtentiâ creatâ.

Quidam exiſtimaverunt ſubſtantiam & ſubſiſtentiam eſſe nomina polyonyma, nec magis differre quàm veſtimentum & indumentum. Veteres aliqui ſubſiſtentiam conſtituerunt in collectione accidentium: nonnulli Thomiſtæ ſubſiſtentiam ab exiſtentiâ ſubſtantiali non diſtingunt. Scotiſtæ plerique putant ſubſiſtentiam ſuperaddere ſubſtantiæ creatæ duplicem negationem: ſcilicet negationem actualis communicationis & negationem communicationis aptitudinalis alteri tanquam ſuppoſito, v. g. Petrum ideò per ſe ſubſiſtere, quia nec unitur nec uniri poſtulat alteri ſuppoſito: humanitatem autem Chriſti per ſe non ſubſiſtere, quia unitur alteri ſuppoſito; animam vero ſeparatam non ſubſiſtere, quia licet non uniatur, petit tamen uniri alicui ſuppoſito. Modiſtæ contendunt ſubſiſtentiam creatam ſuperadere ſubſtantiæ creatæ entitatulam quamdam modalem. Nominales verò aſſerunt ſubſiſtentiam nihil aliud eſſe; quàm ipſam naturam ſubſtantialem, prout eſt ultimatè ſubſtantialiter completa, cum quibus ſit

Prima Conclusio.

Subſiſtentia & Subſtantia non ſunt nomina polyonyma.

PRobatur. Ex polyonymis, unum non poteſt multiplicari, quin aliud quoque multiplicetur: Atqui poteſt multiplicari ſubſiſtentia non multiplicatâ ſubſtantiâ, ut patet in myſterio Trinitatis, in quo credimus tres eſſe ſubſiſtentias & unicam naturam ſubſtantialem. Poteſt etiam multiplicari natura ſubſtantialis non multiplicatâ ſubſiſtentiâ; ut patet in myſterio Incarnationis, in quo credimus duas naturas ſubſtantiales, divinam ſcilicet & humanam in unicâ perſonâ: Ergo Subſtantia & Subſiſtentia non ſunt nomina polyonyma. Hinc Epiphanius in ſeptima Synodo ſectione ſextâ ſic habet: *Ideo errant hæretici, quia nihil aliud agunt, quam ut oſtendant naturam & ſubſiſtentiam idem eſſe quas veri Eccleſiæ alumni norunt inter ſe diſtingui.*

Secunda Conclusio.

Subſtantia non addit collectionem accidentium.

PRobatur primò. Humanitas Chriſti habet certam collectionem accidentium humanorum, ſcilicet habet temperamentum, figuram, colorem, virtutes intellectuales & morales; nec tamen habet ſubſiſtentiam humanam: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Si ſubſiſtentia repeteretur à certâ collectione accidentium, ſuppoſitum foret ens per accidens, ut potè conſtans ſubſtantiâ & accidentibus. Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Objicies primò. Multi ſancti Patres definiunt ſuppoſitum per accidentia: ſcilicet Baſilius Epiſt. 43. Gregorius Nyſſenus libro de Eſſentiâ & Hypoſtaſi: Athanaſius libro de Definitionibus; & Damaſcenus l. 3. de Fide orthodoxa, & Dialecticæ cap. 3. Ergo, &c.

Diſtinguo. Multi ſancti Patres definiunt ſuppoſitum per accidentia, definitione deſcriptivâ & reſpectu noſtri, quòd ſcilicet ſuppoſita & perſonas ſoleamus tantùm diſtinguere inter ſe per certam accidentium congeriem, concedo: definitione eſſentiali & reſpectu rei, nego.

Objicies ſecundò. Subſiſtentia eſt ultimum ſubſtantiæ complementum: Atqui collectio accidentium perfectivorum eſt ultimum ſubſtantiæ complementum: Ergo eſt ſubſiſtentia.

Diſtinguo majorem. Subſiſtentia eſt ultimum ſubſtantiæ complementum; ſubſtantiale, concedo: ultimum omnino, nego. Sicut enim inhærentia eſt ultimum complementum accidentis remanendo in genere accidentis: ita ſubſiſtentia eſt ultimum complementum ſubſtantiæ, remanendo in genere ſubſtantiæ.

Tertia Conclusio.

Subſiſtentia non eſt idem formaliter ac exiſtentia ſubſtantialis.

PRobatur primò. Ita ſe habet ſubſiſtentia ad exiſtentiam ſubſtantialem, quomodo ſe habet inhærentia ad exiſtentiam accidentalem. Atqui inhærentia non eſt idem formaliter cum exiſtentia accidentali: Ergo à pari, ſubſiſtentia non eſt idem formaliter cum exiſtentia ſubſtantiali.

Probatur ſecundò. Humanitas Chriſti propriam habet exiſtentiam ſubſtantialem, cùm exiſtentia nihil aliud ſit quam ipſa eſſentia, prout eſt extra nihil: Atqui humanitas Chriſti non habet propriam ſubſiſtentiam formaliter: Ergo ſubſiſtentia non eſt idem formaliter cum exiſtentiâ ſubſtantiali.

Confirmatur. De fide eſt unicam eſſe formaliter ſubſiſtentiam in Chriſto: de fide non eſt unicam eſſe exiſtentiam ſubſtantialem in Chriſto, cùm plerique Theologi contrarium propugnent. Item, de fide eſt plures eſſe ſubſiſtentias perſonales in ſacroſanctâ Triade, de fide non eſt plures eſſe exiſtentias in eadem Triade, cùm aliqui Theologi præſertim Thomiſtæ contrarium ſentiant: Ergo ſubſiſtentia non eſt idem formaliter ac exiſtentia ſubſtantialis.

Objicies. Richardus à ſancto Victore l.4. de Trinitate cap. 18. 21. & 23. definit perſonam, rationalis naturæ incommunicabilem

exiſtentiam : Ergo ſubſiſtentia non diſtinguitur formaliter ab exiſtentiâ ſubſtantiali.

Diſtinguo conſequens. Subſiſtentia non diſtinguitur ab exiſtentiâ ſubſtantiali prout incommunicabili, concedo : non diſtinguitur ab exiſtentiâ ſubſtantiali ut ſic conſideratâ, nego. Fateor itaque exiſtentiam ſubſtantialem ſpectatam prout incommunicabilem alteri ſuppoſito, habere rationem ultimi complementi, proindéque ſubſiſtentiæ : At nego exiſtentiam ſubſtantialem ſpectatam in ratione exiſtentiæ, habere rationem ſubſiſtentiæ; cùm humanitas Chriſti propriam habeat exiſtentiam; quæ tamen exiſtentia non habet rationem ſubſiſtentiæ; cùm non habeat rationem ultimi complementi, ultimæve perfectionis, ut potè quæ ulteriùs perficiatur à Verbo divino.

QUARTA CONCLUSIO.

Subſiſtentia non eſt formaliter duplex negatio.

PRobatur primò. Subſiſtentia in divinis non eſt quid formaliter negativum, alioqui tres perſonæ divinæ negativè tantùm inter ſe diſtinguerentur, quod implicat; Ergo nec in creatis.

Probatur ſecundò. Subſiſtentia definitur ultimus terminus ſubſtantialis, complementum ultimum ſubſtantiale : Atqui negatio non eſt ultimus terminus aut ultimum complementum: Ergo ſubſiſtentia non eſt negatio.

Probatur tertiò. Si ſubſiſtentia eſſet formaliter duplex negatio, ſuppoſitum & perſona

eſſent formaliter aliquid negativum : Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Objicies : In eo conſiſtit formaliter ſubſiſtentia, quo intellecto intelligitur ſubſtantia ſubſiſtere: Atqui intellectâ duplici negatione, ſcilicet negatione unionis & unibilitatis in ſubſtantiâ, ſubſtantia intelligitur ſubſiſtere: Ergo ſubſiſtentia conſiſtit formaliter in illâ duplici negatione.

Diſtinguo majorem. In eo conſiſtit formaliter ſubſiſtentia, quo intellecto ſubſiſtentia ſubſiſtere intelligitur, præcisè & formaliter, concedo: præſuppoſitivè, nego. Sic intellectâ capacitate ſcientiæ in aliquo animali, ſatis intelligitur quòd illud animal ſit homo, ſed præſuppoſitivè tantùm; homo enim non conſtituitur per capacitatem ſcientiæ, ſed per fundamentum illius capacitatis, putà per rationalitatem. Quare diſtinguo minorem. Intellectâ negatione unionis & unibilitatis in ſubſtantiâ, ſubſtantia ſubſiſtere intelligitur præſuppoſitivè, concedo: formaliter, nego. Non enim ideo ſubſiſtentia ſubſiſtit, quia nec unitur, nec uniri poſtulat alteri, ſed quia habet fundamentum utriuſque illius negationis; putà totalitatem & complementum ultimum. Fateor ergo duplicem illam negationem fundamentaliter ſumptam conſtituere ſubſtantiam in eſſe ſubſiſtentis; non autem formaliter ſumptam. Nec verò exiſtimo aliam fuiſſe mentem Scoti; ſatis enim videbat ſubtilis Doctor perſonam & ſuppoſitum non eſſe formaliter aliquid negativum.

Quinta Conclusio.

Subſiſtentia non eſt modus ſubſtantiæ ſuperadditus.

HÆc Concluſio eſt contra pleroſque recentiores; ſed eſt omnium Patrum, & antiquorum Philoſophorum.

Probatur primò ex ſancto Paulo, qui Hebræorum c.2. eò quòd Chriſtus voluerit ſanare quidquid erat in homine, ſic concludit; *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari*: Atqui ſi ſubſiſtentia eſſet entitas modalis, Chriſtus non fuiſſet per omnia ſimilatus fratribus; quia non fuiſſet ſimilatus per ſubſiſtentiam modalem, quandoquidem de fide eſt, Verbum humanam ſubſiſtentiam non aſſumpſiſſe, quæ tamen in ſententia adverſariorum eſt entitas quædam modalis: Ergo, &c.

Probatur ſecundò, ex ſancto Damaſceno, qui lib.3. de fide orthodoxa cap.6. dicit quòd Filius Dei aſſumpſit omnia quæ in natura noſtra plantavit: Atqui de fide eſt illum non aſſumpſiſſe ſubſiſtentiam modalem: Ergo ſubſiſtentia non eſt entitas modalis.

Probatur tertiò, ex communi modo loquendi plerorumque Patrum, qui aſſerunt Verbum divinum aſſumpſiſſe omnia quæ ſunt in nobis, præter peccatum & ignorantiam: Atqui ſi ſubſiſtentia eſſet entitas modalis, Verbum divinum non aſſumpſiſſet omnia quæ ſunt in nobis præter peccatum & ignorantiam; quia illam entitatem mo-

dalem non aſſumpſiſſet : Ergo , &c.

Diſtinguunt adverſarii ſuperiorum Argumentorum majores, hoc modo : Chriſtus debuit per omnia fratribus ſimilari ; Filius Dei aſſumpſit omnia quæ in natura noſtra plantavit , Verbum divinum aſſumpſit omnia quæ ſunt in nobis : Omnia (inquiunt) pertinentia ad naturam, concedunt : pertinentia ad perſonam , negant.

Contrà , primò. Sanctus Paulus , & Patres abſolutè loquuntur. Secundò , ſi ſic eſſent intelligendi Patres , ridicula eſſet illorum exceptio ; nam ridicula eſt exceptio , quæ excipit aliquid non contentum in toto , verbi gratiâ ridicula foret exceptio, Verbum accepit omnia quæ pertinent ad naturam humanam præter alas ; quia alæ non pertinent ad naturam humanam : Atqui peccatum & ignorantia non pertinent ad naturam humanam ſecundùm ſe , ſed ad perſonas : Ergo diſtinctio adverſariorum ridiculos facit ſanctos Patres. Tertiò denique , Subſiſtentia pertinet ad naturam , ſi non ut ejus conſtitutivum , ſaltem ut ejus complementum ultimum : Ergo ſi ſubſiſtentia eſſet entitas modalis , illam quoque excipere debuiſſent ſancti Patres & quidem longè magis quàm peccatum & ignorantiam ; tum quia magis pertinet ad naturam ; tum quia de illa longè major poſſet eſſe difficultas : nam vix ullus poſſet ſibi perſuadere Verbum divinum aſſumpſiſſe peccatum & ignorantiam : aliqui autem poſſent ſibi perſuadere Verbum aſſumpſiſſe entitatem modalem ſubſiſtentiæ : Ergo ex ſanctis

Patribus

Patribus ſubſiſtentia non eſt entitas modalis.

Probatur quartò paritate. Suppoſitum incommunicabile eſt alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; incommunicabile eſt alteri tanquam alicujus naturæ comparti; incommunicabile eſt alteri tanquam inferiori ſine ullâ entitate modali: Ergo à pari, incommunicabile eſt alteri tanquam ſuppoſito; proindéque ſubſiſtens, ſine ulla entitate modali.

Probatur quintò ex incommodis quæ ſequuntur ex opinione Modiſtarum, qui explicari vix poſſunt quare ſubſiſtentia non ſit accidens; quare humanitas Chriſti non ſit in ſtatu violento, cùm careat aliqua proprietate poſitiva; quare ſubſiſtentia humana non ſit aſſumpta à Verbo divino; an ſubſiſtentia humana ſimplex ſit, vel compoſita, ſpiritalis, vel corporea.

Probatur ultimò Argumento peremptorio. Procul dubio antiquis omnibus Philoſophis incognita fuit diſtinctio ſubſtantiam inter & ſubſiſtentiam, totumque quod intereſt inter utramque diſtinctionis, nobis tantùm innoteſcit ex myſteriis Trinitatis & Incarnationis, quod inficiari non poſſunt Modiſtæ: Ergo ſi poſſint iſta myſteria commodè explicari ſine diſtinctione ullâ entitativâ, ſubſtantiam inter & ſubſiſtentiam, non debet admitti ulla diſtinctio entitativa inter utramque; (ut potè in eo caſu non tantùm inutilis: ſed etiam intricans myſteria noſtra:) Atqui facilè poſſunt explicari iſta myſteria ſine ulla diſtinctione entitativa ſubſtantiam inter & ſubſiſtentiam. Ergo, &c.

De myſterio Trinitatis negare non auderent adverſarii ; nam tres ſubſiſtentias divinas non diſtingui entitativè à divinitate, fide certum eſt, cùm quaternitas rerum in divinis damnata ſit à Conciliis.

Myſterium etiam Incarnationis explicari facilè poteſt ſine ullâ entitativâ diſtinctione inter humanitatem & ſubſiſtentiam ejus: dicendo quod naturam per ſe ſubſiſtere, nihil aliud ſit quàm ſubſtantiam aliquam habere rationem totius & ſubſtantiæ ultimò completæ; quam rationem perdit eo ipſo quo unitur alteri perfectiori, quia eo ipſo ulteriùs completur: ſicut enim aquæ gutta ſola, totum quoddam eſt ; eadem verò unita mari ſine ulla jactura amittit rationem totius, & fit pars alicujus nobilioris: Ita à pari, humanitas Chriſti ſi ſola eſſet, eo ipſo eſſet ultimò completa & haberet rationem totius ſubſtantialis; unita verò Verbo divino ulteriùs per ipſum completur, definitque habere à ſe ipſa ultimum complementum ſubſtantiale, quandoquidem ulterius complementum accipit à Verbo divino: Et hæc eſt germana explicatio Myſterii Incarnationis, unica antiquis Patribus & Theologis cognita.

Audiatur Paſcaſius, lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 4. ubi ſic habet ; *Dei quidem & hominis duplex ſubſtantia eſt, ſed tamen una perſona. Quamobrem? quia formam ſervi accipiens famulo jungitur ; minoris humilitas intrà majoris reverentiam abſconditur, & ſuperioris lumine exinanita conſumitur ; ac ſic proprietatem perſonæ humanitis divinitate obſcurante non obtinet,*

Audiatur Gregorius Nazianzenus, qui Myſterium Incarnationis non explicat per jacturam ullius entitatis modalis, ſed per ſolam unionem cum Verbo divino, his verſibus.

Tunc cùm mortali Deus eſt in corpore junctus,
Vnus utrique Deus; deitati namque beatæ
Junctus homo, deitaſque homini ſimul additæ
Chriſtus.

Audiatur Hugo à ſancto Victore tomo tertio Apologiæ de Verbo Incarnato, quæſt.7. ubi ſic habet: *Nonne homo aſſumptus perſona eſſet, ſi non eſſet unitus Verbo? dicitur aliquis: Eſſet quidem perſona, & haberet ſuam perſonantiam ex ſuâ rationalitate; nunc verò ex quo totus ſplendor divinitatis ſe infudit lucernæ humanitatis, minus lumen cedit majori, & homo aſſumptus trahit ſuam perſonam à Verbo, eſtque una perſona cum illo, ex eadem perſonantiâ quam habuit Verbum ab æterno: ſicut lampas in nocte dicitur lumen Eccleſiæ; in die verò lampas non ampliùs lumen Eccleſiæ dicitur, ſed lumen ſolis majus ita vocatur: Sic homo perſona quidem eſſet ex ſuâ perſonalitate, ſi non eſſet aſſumptus, nunc verò non eſt, quia eſt aſſumptus à digniori.*

Audiatur ſanctus Thomas 3. parte quæſt. 4. art.2. ad ſecundum, ubi ſic ſcribit: *Dicendum quòd naturæ aſſumptæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat; ſed propter additionem alicujus quod eſt ſupra humanam naturam, quod eſt unio ad divinam perſonam.*

Audiantur denique omnes ferè Patres : qui unionem humanitatis cum Verbo divino explicant per unionem corporis cum anima. Hinc ſanctus Athanaſius in Symbolo ſic habet : *Sicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus :* Atqui nulla entitas modalis deeſt corpori, ex eo quòd animæ uniatur : Ergo nec humanitati, ex eo quòd Verbo divino uniatur.

Objicies primò. Innocentius Tertius in quadam decretali dicit, quòd perſona Dei in Myſterio Incarnationis conſumpſit perſonam hominis : Atqui ſi perſonalitas non eſſet entitas ſuperaddita, hoc non poſſet explicari.

Diſtinguo majorem. Perſona Dei conſumpſit perſonam hominis impropriè, hoc eſt impedivit ſuâ aſſumptione, ne humanitas eſſet per ſe ſubſiſtens, concedo : conſumpſit propriè, hoc eſt aliquam entitatem poſitivam naturæ humanæ deſtruxit, nego : Hæc ſolutio eſt ſancti Thomæ, articulo citato ad tertium, ubi ad textum Innocentii ſic reſpondet : *Dicendum quòd conſumptio ibi non importat deſtructionem alicujus quòd priùs fuerat, ſed impeditionem ejus, quod aliter eſſe poſſet; ſi enim humana natura non eſſet aſſumpta à divinâ perſonâ, natura humana propriam perſonalitatem haberet ; & pro tanto dicitur perſona conſumpſiſſe perſonam, licet impropriè, quia perſona divina ſuâ unione impedivit ne humana natura propriam perſonalitatem haberet.*

Objicies ſecundò. Ex Patribus Verbum divinum excluſit & impedivit ſubſiſtentiam

humanam: Ergo ſubſiſtentia aliquid addit entitatis naturæ.

Nego conſequentiam: Etenim ratio hypoſtaſis & ſubſiſtentiæ in integritate & totalitate quadam conſiſtit, ut patet ex dictis, & ampliùs patebit ex dicendis. Totalitas autem & integritas rerum finitarum duobus modis poteſt perire, nimirùm detractione & additione, ut patet in numeris. Nam omne totum finitum ſuam totalitatem perdit non ſolùm per detractionem alicujus, quod ei ineſſe deberet, ſed etiam per adjectionem alicujus, quo melius & perfectius fiat. Sic aqua quæ ſola totum erat, addita oceano, totum eſſe deſinit & fit pars. Præterea, ſubſiſtentia eſt ultimum complementum ſubſtantiale: At complementum ultimum ſolâ acceſſione alicujus, quo magis compleatur, ultimum eſſe deſinit. Igitur ſubſiſtentia nullius entitatis realis deperditione, ſed ſolâ acceſſione novæ ſubſtantiæ, quâ magis compleatur altera ſubſtantia, excluditur, impeditur, detrahitur, ut patet ex textu ſancti Thomæ in probationem allato. Denique hypoſtaſis eſt ſubſtantia per ſe, & non in alio; quod autem ex natura ſuâ per ſe eſt non in alio, additione novæ ſubſtantiæ perfectioris deſinit eſſe per ſe, & incipit eſſe in alio, proindéque amittit rationem hypoſtaſeos & perſonæ, ut patet ex ſancto Thomâ 3. parte quæſt. 2. art. 2. ad tertium. Ubi de humana Chriſti natura ſic loquitur: *Licet ergo hæc humana natura ſit quoddam individuum in genere ſubſtantiæ, quia tamen non per ſe ſeparatim*

exiſtit, ſed in quodam perfectiori, (ſcilicet in perſona Dei Verbi,) conſequens eſt quod non habeat perſonalitatem propriam.

Objicies tertiò. Si natura humana perſona eſſe deſineret, eo præcisè quò Verbo divino unitur, Verbum quoque perſona eſſe deſineret eò præcisè quò humanitati uniretur: Hæreticum conſequens: Ergo & antecedens.

Nego paritatem: Ratio diſparitatis eſt, quòd humanitas perficiatur ex additione Verbi divini, proindéque non habeat ex ſe ultimum ſuum complementum ſubſtantiale: At Verbum divinum nullatenùs perficitur ex unione cum humanitate, proindéque habet ex ſe ultimam ſuam perfectionem ſubſtantialem, nam bonum creatum ſe habet ad increatum, ſicut punctum ad lineam, inquit ſanctus Thomas; undè ſicut punctum additum lineæ illam non redderet majorem; imò nequidem omnia puncta poſſibilia augerent lineam, ex Philoſopho: Ita bonum creatum additum Verbo increato, non facit quid melius; imò nequidem omnes creaturæ poſſibiles Verbo divino hypoſtaticè unitæ ipſum vel minimùm perficerent.

Objicies ultimò. Si ſubſiſtentia non diſtingueretur realiter à natura, ſubſiſtentia humana eſſet in Chriſto Domino: Hæreticum conſequens: Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Subſiſtentia humana eſſet in Chriſto, entitativè, concedo: formaliter & connotativè, nego. Sic totalitas guttæ, poſt injectionem in oceanum, remanet quidem entitativè, non autem formaliter; quia

illa gutta non habet ampliùs rationem totius, ſed partis.

Inſtabis. Si hoc eſſet, ſequeretur quòd in Chriſto eſſent duæ ſubſiſtentiæ: Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. In Chriſto duæ eſſent ſubſiſtentiæ, entitativè, concedo: formaliter, nego.

Urgebis. Inde ſequeretur verum eſſe aliquo ſenſu, quòd in Chriſto duæ eſſent perſonæ.

Nego. Perſona enim nomen eſt formalitatis alicujus, ſignificat enim naturam integram & ſeparatam à nobiliori. *Ad cujus evidentiam* (inquit ſanctus Thomas Opuſculo 2. cap. 211.) *conſiderare oportet quòd hæc nomina, perſona, hypoſtaſis, ſuppoſitum, integrum quoddam deſignant; non enim poteſt dici quod manus, aut caro, aut quæcumque aliarum partium ſit perſona vel hypoſtaſis aut ſuppoſitum, ſed hoc totum, quod eſt homo. Eſt etiam conſiderandum ulteriùs, quod aliquorum conjunctio per ſe conſiderata, quandoque quidem facit aliquod integrum, quæ in alia propter additionem ulterius non conſtituit aliquod integrum: ſicut in lapide, commiſtio quatuor elementorum facit aliquod integrum: Unde illud quod eſt ex elementis conſtitutum, in lapide, poteſt dici ſuppoſitum vel hypoſtaſis, quod eſt hic lapis; non autem perſona, quia non eſt hypoſtaſis naturæ rationalis. Compoſitio autem elementorum in animali non conſtituit aliquod integrum, ſed conſtituit partim, ſcilicet corpus; quia neceſſe eſt aliquid*

aliud advenire ad completionem animalis, ſcilicet animam; unde compoſitio elementorum, in animali non conſtituit ſuppoſitum, vel hypoſtaſim; ſed hoc animal totum, eſt hypoſtaſis vel ſuppoſitum: Nec tamen propter hoc minùs eſt efficax in animali elementorum compoſitio quàm in lapide, ſed multo ampliùs, quia eſt ordinata ad rem nobiliorem: Sic igitur in aliis hominibus unio animæ & corporis conſtituit hypoſtaſim & ſuppoſitum, quia nihil aliud eſt præter hæc duo. In Domino autem Ieſu, præter animam & corpus, advenit tertia ſubſtantia: ſcilicet divinitas. Non ergo eſt ſeorſum ſuppoſitum vel hypoſtaſis, ſicut nec perſona, id quod eſt ex corpore & animâ conſtitutum; ſed ſuppoſitum, hypoſtaſis, vel perſona: eſt id quod conſtat ex tribus ſubſtantiis, corpore ſcilicet & animâ & divinitate: & ſic in Chriſto ſicut eſt una tantùm perſona, ita unum ſuppoſitum, & una hypoſtaſis.

ULTIMA CONCLUSIO.

Subſiſtentia ſolâ ratione ratiocinatâ diſtinguitur à naturâ ſubſtantiali,

QUòd diſtinguatur ratione ratiocinatâ clarum eſt, habet enim definitionem à definitione naturæ ſubſtantialis diverſam; ut patet tum ex primo capite hujus Diſputationis, tum ex prima concluſione hujus Articuli.

Quòd autem ratione tantùm diſtinguatur, ſequitur ex ſuperiori concluſione. Si enim ſubſiſtentia nihil entitatis ſuperaddat naturæ, procul

procul dubio, ſolâ ratione ab eâ diſtinguitur. Nihilominùs majoris claritatis gratiâ.

Explicatur noſtra Sententia. Natura completa eſſentialiter conſiderari poteſt, vel prout eſt ſeparata à qualibet aliâ; & tunc habet rationem ſuppoſiti, quia per ſe exiſtit & non in alio, eſtque per ſe ultimò completa: vel prout eſt unita alteri; & tunc non habet rationem totius, ſed partis, in quantum uberiùs completur & perficitur; ſicut aqua ſola totum eſt, alteri verò juncta, totum eſſe deſinit. Quod ſatis commodè explicari poteſt per analogiam ad quantitatem. Nam ſicut eadem quantitas ex ſe nec eſt totum, nec pars, ſed indifferens eſt ad utrumque eſſendi modum; ſicque totum quando eſt ſeparata ab alia, & pars cùm alteri conjungitur: ita eadem natura ſingularis, verbi gratia hæc humanitas, eſt ſuppoſitum; hypoſtaſis & perſona, cùm ſola eſt; non eſt verò ſuppoſitum, hypoſtaſis aut perſona, cùm alicui perficienti unitur; ſecundùm ſe verò eſt indifferens ad utrumque eſſendi modum.

Nimirùm, ſuppoſitum eſt ſubſtantia ultimò completa: quod autem eſt ultimum complementum, amittit rationem ultimi complementi eo ipſo quo illi additur aliquid complens ulteriùs; deſinitque eſſe complementum ultimum, licet non deſinat eſſe complementum. Sic decima unitas in decade habet duo: quòd ſit decima, & quòd ſit ultima. ſi altera ipſi addatur; amittit rationem ultimæ, nec tamen amittit rationem decimæ.

Sic explicat ſanctus Thomas, quare humanitas Chriſti non per ſe ſubſiſtat, 3. part. q. 2. art. 5. ad 1. his verbis. *In puris hominibus ex unione animæ ad corpus conſtituitur perſona; ſed hoc ideò in puris hominibus accedit, quia anima & corpus ſic in iis conjunguntur ut per ſe exiſtant: Sed in Chriſto uniuntur ad invicem, ut adjuncta alteri principaliori, quod ſubſiſtit in natura ex eis compoſita; & propter hoc ex unione animæ & corporis in Chriſto non conſtituitur nova hypoſtaſis ſeu perſona. . . . . . . Nec propter hoc ſequitur quòd ſit minoris efficaciæ unio animæ & corporis in Chriſto, quàm in nobis; quia ipſa conjunctio ad nobilius, non adimit virtutem aut dignitatem, ſed auget; ſicut anima ſenſitiva in animalibus conſtituit ſpeciem, quia conſideratur ut ultima forma; non autem in hominibus, (quamvis in nobis ſit virtuoſior & nobilior,) & hoc propter adjunctionem ulterioris & nobilioris perfectionis (ſcilicet animæ rationalis.)* Unde ſecundùm hanc explicationem facilè redditur ratio in noſtra ſententia, cur etſi humanitas in Chriſto careat propriâ perſonalitâte, non tamen careat ullâ perfectione: quod ſic explicat idem Doctor quæſtione citatâ articulo 2. ad 2. *Perſonalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicujus rei & perfectionem, in quantum ad dignitatem rei & perfectionem ejus pertinet, quòd per ſe exiſtat, (quod in nomine perſonæ intelligitur.) Dignius autem eſt alicui, quòd exiſtat in aliquo ſe digniori, quàm quòd exiſtat per ſe; & ideo ex hoc ipſo humana na-*

tura dignior eſt in Chriſto, quàm in nobis: quòd in nobis quaſi per ſe exiſtens propriam perſonalitatem habet, in Chriſto autem exiſtit in perſona Verbi, Sicut etiam eſſe completivum ſpeciei pertinet ad dignitatem formæ; tamen ſenſitivum nobilius eſt in homine propter conjunctionem ad nobiliorem formam completivam, quàm ſit in bruto animali, in quo eſt forma completiva. At in ſententiâ Modiſtarum difficilè concipitur quomodo humanitas Chriſti non ſit in ſtatu aliquomodo violento, cùm aliquâ perfectione ſibi naturali careat, nimirùm ſubſiſtentiâ modali. Sicut enim anima ſeparata, etſi Deo per beatitudinem uniatur, eſt tamen in ſtatu aliquomodo violento, quando non unitur corpori, (ut diximus in Moralibus diſputatione de Beatitudine:) ita quamvis humanitas Chriſti Verbo divino uniatur; eſt tamen in ſtatu aliquomodo violento, ſi careat aliquâ perfectione ſibi naturali.

Suppoſitum ergo realiter nihil eſt aliud quàm ſubſtantia prout eſt ultimò completa, ſeu prout eſt ſeparata à digniori, ſeu prout eſt in ſe & non in alio. Hinc ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 29. articulo 1. ad 2. ſic ſcribit. *Per hoc quod additur* (ſupple in definitione perſonæ ſuprà allatâ ex Boëtio) *individua, excluditur à perſona ratio aſſumptibilis: humana enim natura in Chriſto non eſt perſona, quia eſt aſſumpta à digniori, ſcilicet à Verbo Dei.*

Docet disertè noſtram ſententiam Theodoretus, apud quem Hæreticus inquit: Aliud

eſt ſubſtantia, & aliud hypoſtaſis. Orthodoxus reſpondet, Aliud & aliud, non tanquam res alia & alia, ſed tanquam aliud ſignificet hypoſtaſis, & aliud ſubſtantia; Sicut granum frumenti dicitur, & ſemen & fructus, non tanquam res alia & alia; aliud verò ſignificat ſemen & aliud fructus: quoniam ſemen quidem eſt futuræ agriculturæ ſemen; fructus verò præteritæ agriculturæ fructus.

Objicies. Si eò præcisè ſubſtantia perderet ſuam ſubſiſtentiam quò uniretur alteri nobiliori, ſequeretur antiquos Patres non debuiſſe tantùm laborare, ut convincerent Neſtorium duas admittentem in Chriſto perſonas; quia facile fuiſſet iis probare naturam humanam Chriſti propriâ carere ſubſiſtentiâ & perſonalitate, eò quòd ſit unita nobiliori, putà Verbo divino.

Diſtinguo. Si Neſtorius admiſiſſet unionem ſubſtantialem inter humanitatem & Verbum divinum, concedo: ſi admiſiſſet tantùm unionem accidentalem, nego: At admittebat unionem tantùm accidentalem, ut colligitur ex ſancto Thoma 3. parte quæſt. 2. art. 6. ubi ſic ſcribit; *Alia verò fuit hæreſis Neſtorii & Theodori Mopſueſteni, ſeparantium perſonas: poſuerunt enim aliam eſſe perſonam filii Dei, & filii hominis; quas dicebant ſibi invicem eſſe unitas. Primò quidem ſecundum inhabitationem, in quantum ſcilicet Verbum Dei habitavit in illo homine ſicut in templo: Secundò per unitatem effectus, in quantum ſcilicet voluntas illius hominis eſt ſemper conformis voluntati Verbi Dei: Tertiò*

ſecundùm operationem, prout ſcilicet dicebant hominem illum, eſſe Verbi Dei inſtrumentum: Quartò. ſecundùm dignitatem honoris, prout omnis honor qui exhibetur filio Dei, coëxhibetur filio hominis propter conjunctionem ad filium Dei: Quintò, ſecundùm æquivocationem, id eſt communicationem nominum, prout ſcilicet dicimus illum hominem eſſe Deum & filium Dei: Manifeſtum eſt autem iſtos omnes modos accidentalem unionem importare. Hactenus ſanctus Thomas. Tota ergo lis inter Neſtorianos & Orthodoxos erat, utrùm humanitas eſſet unita ſubſtantialiter Verbo divino, vel accidentaliter tantùm: Unde refert ibidem ſanctus Thomas, quòd in quinta Synodò dicitur contra Neſtorium, quòd ſancta Dei Eccleſia unionem Verbi divini ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam.

CAPUT TERTIUM.

De affectionibus Suppoſiti, & Subſiſtentia.

Quia Suppoſitum eſt veluti quoddam totum ſeu completum; ideò de eo hæc vulgò circumferuntur axiomata. Denominationes ſunt ſuppoſitorum, Actiones ſunt ſuppoſitorum, Paſſiones ſunt ſuppoſitorum, Præmia & ſupplicia ſunt ſuppoſitorum.

Variæ hîc quæſtiones proponi ſolent à Philoſophis; ſed quæ in noſtrâ ſententiâ longè

faciliùs ſolvuntur , quàm in ſententia Modiſtarum, ut deinceps patebit.

Quæritur primò , utrùm eadem numero natura poſſit ſimul ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis ?

Reſpondeo primò , naturam divinam de facto ſubſiſtere tribus ſubſiſtentiis in tribus perſonis divinis , *Quod caro & ſanguis non revelavit nobis , ſed ſolus Pater qui in cœlis eſt,* teſte Chriſto Domino , Matthæi c.16.

Reſpondeo ſecundò , naturam divinam non poſſe ſubſiſtere propriâ ſimul & alienâ ſubſiſtentiâ ; quia ut ſubſiſteret alienâ ſubſiſtentiâ , deberet ab aliquâ creaturâ ulteriùs compleri : Atqui implicat naturam divinam compleri ab ullâ creaturâ ; creatura enim ſe habet ad Deum , ſicut punctum ad lineam , ut ſuprà diximus : Et ratio eſt quia ſubſtantia divina infinitè perfecta eſt in omni genere ; quod autem infinitè perfectum eſt in omni genere , ulteriùs perfici nequit. Hinc ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 3. art.1. ad 1. *Cùm perſona divina ſit infinita , non poteſt ei fieri additio* , (ſupple perfectionis.)

Reſpondeo tertiò , naturam creatam non poſſe ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis propriis ; quia ſubſiſtentia creata nihil eſt aliud quàm ipſa natura creata , prout eſt ſeorſim exiſtens

Reſpondeo quartò , naturam creatam poſſe divinitùs ſimul ſubſiſtere pluribus ſubſiſtentiis alienis ; quia poterat eadem humanitas ſimul aſſumi hypoſtaticè à tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis ; quo in caſu fuiſſet ſub-

ſiſtens tribus ſubſiſtentiis alienis. Porrò in tali hypotheſi non fuiſſent tres homines, ſed unicus homo; ſicut tres perſonæ divinæ non ſunt tres Dii: Et ratio eſt quia ad multiplicationem concreti ſubſtantivi requiritur multiplicatio formæ, & ſuppoſiti.

Reſpondeo quintò, eandem naturam creatam in pluribus locis exiſtentem poſſe in uno loco ſubſiſtere propriâ ſubſiſtentiâ, in alio verò alienâ: nihil enim implicat abſolutè humanitatem Chriſti quæ in cœlo eſt unita hypoſtaticè Verbo divino, alibi divinitus reproductam Verbo divino hypoſtaticè non uniri. Sicut enim fieri potuit abſolutè, ut humanitas diverſis temporibus foret unita, & non foret unita Verbo divino (quod nunquam tamen contigit;) ita abſolutè non implicat eandem humanitatem reproductam in diverſis locis, in uno uniri hypoſtaticè Verbo divino, in alio verò non uniri.

Reſpondeo denique, eandem naturam creatam non poſſe abſolutè ſimul ſubſiſtere ſubſiſtentiâ propriâ & alienâ: quia ut ſubſiſteret propriâ ſubſiſtentiâ, deberet eſſe ſeparata à qualibet aliâ ſubſtantiâ: ut ſubſiſteret verò alienâ ſubſiſtentiâ, deberet eſſe ſubſtantialiter unita alteri ſubſtantiæ: Atqui repugnat eandem naturam ſimul eſſe unitam, & non eſſe unitam alteri: Ergo repugnat eandem naturam ſimul ſubſiſtere ſubſiſtentiâ propriâ & alienâ.

Quæritur ſecundò, utrùm ſubſtantia eſſentialiter completa carere poſſit omni ſubſiſtentiâ; tum propriâ, tum alienâ?

Reſpondeo contradictorium eſſe, quia quælibet ſubſtantia eſſentialiter completa, vel eſt alteri unita, vel non: Si primum, ſubſiſtit alienâ ſubſiſtentiâ: ſi ſecundum, ſubſiſtit propriâ ſubſiſtentia: Ergo quælibet natura integra neceſſariò ſubſiſtit propriâ ſubſiſtentiâ vel alienâ.

Quæritur tertiò, utrùm ſicut ſuppoſita divina poſſunt terminare alienas naturas; ita poſſint ſuppoſita creata terminare quoque alienas naturas?

Reſpondeo minimè: quia ſcilicet cùm divinó ſuppoſitum infinitum ſit, ſuam perpetuò retinet perſonalitatem, nec ullius tanquam naturæ ſocietate illâ exui poteſt; eò quòd quicunque ad illud quarumcunque de quomodocumque naturam creatarum concurſus fieret, non evaderet ſubſtantialiter perfectius; ſed alias, quæ ipſi unirentur naturas, ſeu communicatione redderet ſubſtantialiter perfectiores; ideò earum omnium abſorberet ſubſiſtentias ſuâ penitus illæsâ: Quamobrem ob contrariam rationem, ſuppoſitum creatum alias naturas propriè aſſumere & terminare nequit; quia cùm ſit finitum, ex ejus cum alio conjunctione fit aliquid ſubſtantialiter melius, proindéque propriam amittit ſubſiſtentiam; & ex illa unione tertia exurgit hypoſtaſis, ut patet in conjunctione homogeneorum. Hæc reſponſio colligitur ex ſancto Thomâ, qui 3. part. quæſt. 3. art. 1. ad 2. ſic ſcribit: *Hoc autem eſt proprium divinæ perſonæ, propter ejus infinitatem, ut fiat in ea concurſus naturalium... ſecundùm ſubſiſtentiam.*

Quæritur ultimò, utrum divinitus ſubſtantia poſſet actu inhærere, aut accidens actu ſubſiſtere?

Reſpondeo negativè; quia de ratione ſubſtantiæ eſt ut ſit incommunicabilis alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; de ratione autem accidentis, ut ſit communicabile alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; rationes autem eſſentiales rerum ſunt immutabiles.

Dices. Accidentia Euchariſtica ſubſiſtunt.

Diſtinguo. Subſiſtunt negativè, hoc eſt actu non inhærent, concedo: ſubſiſtunt poſitivè, hoc eſt habent poſitivam firmitatem ſubſtantiæ, nego: Quippe ad ſubſiſtentiam propriè dictam quatuor requiruntur incommunicabilitates, ut diximus cap. 1. quarum prima & cæterarum baſis, eſt incommunicabilitas ſubjecto inhæſionis, quæ nequidem divinitus competere poteſt accidenti.

CAPUT ULTIMUM.

De Diviſione Subſiſtentiæ.

Subſiſtentia dividitur in ſubſiſtentiam perſonalem ſeu perſonalitatem: & ſubſiſtentiam ſpecificè ſumptam.

Perſonalitas eſt ſubſiſtentia naturæ intellectualis; quæ proinde locum tantùm habet in Deo, Angelis & Hominibus.

Subſiſtentia verò ſeu ſuppoſitalitas ſpecificè ſumpta, eſt ſubſiſtentia cujuſlibet ſubſtantiæ intellectûs expertis: v. g. lapidis aut plantæ.

Nimirùm nomen generis aliquando ſumitur ſpecificè pro ignobiliori ſpecie : Sic nomen Angeli, quod eſt nomen generis, ſpecificè ſumitur pro infimo Angelorum ordine, nomen animalis ſpecificè ſumitur pro bruto : nomen negationis ſpecificè ſumitur pro carentia formæ in ſubjecto inepto.

Modiſtæ dividunt etiam ſubſiſtentiam in totalem & partialem; admittuntque ſubſtantias completas ſubſiſtere per ſubſiſtentias totales; incompletas verò, v. g. Animas ſeparatas, per ſubſiſtentias partiales.

Sed profectò pugnantia loquuntur; nam cum ſubſiſtentia in ſuo conceptu dicat integritatem quandam, tam repugnat quandam ſubſiſtentiam eſſe partialem, quàm totum eſſe partem. Hinc ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 29. art. 1. ad 2. ſic habet : *Nomine hypoſtaſis, vel ſubſtantiæ primæ excluditur ratio univerſalis & partis; non enim dicimus quòd homo communis ſit hypoſtaſis, neque etiam quòd manus; cùm ſit pars.* Et 3. part. quæſt. 2. articulo 2. ad 3. ſic loquitur; *Sciendum eſt tamen quòd non quodlibet individuum in genere ſubſtantiæ, (etiam in rationali naturâ,) habet rationem perſonæ; ſed ſolum illud quod per ſe exiſtit; non autem illud quod exiſtit in alio perfectiori : Unde manus Socratis, quamvis ſit quoddam individuum, non tamen eſt perſona, quia non per ſe exiſtit, ſed in quodam perfectiori; ſcilicet in ſuo toto : Et hoc etiam poteſt ſignificari in hoc, quòd perſona dicitur ſubſtantia individua; non enim manus eſt ſubſtantia completa; ſed pars ſubſtantiæ.*

Opponunt. Anima ſeparata eſt ſubſtantia: Ergo eſt Ens per ſe ſubſiſtens : Ergo propriam habet ſubſiſtentiam.

Diſtinguo antecedens. Anima ſeparata eſt ſubſtantia incompleta, concedo: Completa, nego: Unde non tam eſt ſubſtantia, quàm pars ſubſtantiæ. Diſtinguo conſequens : Anima ſeparata eſt Ens per ſe ſubſiſtens, hoc eſt non inhærens, concedo: hoc eſt Ens ultimatè completum & incommunicabile alteri tanquam ſuppoſito, nego. Diſtinguo ſubſumptum. Anima ſeparata habet ſubſiſtentiam latiſſimè ſumptam, pro incommunicabilitate alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, concedo : propriè ſumptam, prout dat incommunicabilitatem alteri tanquam ſuppoſito, nego. Hinc ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 29. art. 1. ad 5. ſic ſcribit : *Anima eſt pars humanæ ſpeciei; & ideò licet ſit ſeparata, quia tamen retinet naturam unibilitatis, non poteſt dici ſubſtantia individua, quæ non eſt hypoſtaſis, vel ſubſtantia prima; ſicut nec manus, nec quæcunque alia partium hominis; & ſic non competit ei neque definitio perſonæ, neque nomen.*

DISPUTATIO SECUNDA.

De Deo.

DE Deo ut agens eſt, diximus Tractatu de Cauſis, agendo de Cauſa prima : hîc diſſerendum de Deo, ut Ens eſt. Verùm

Deus ut ens eſt, conſiderari poteſt dupliciter: ſcilicet ut trinus, & ut unus. Prior conſideratio eſt penitùs Theologica; nam (ut ait ipſe Chriſtus Matthæi c.11.) *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Poſterior conſideratio & Theologorum eſt in tractatu de Attributis, & Philoſophornm in Metaphyſicâ; cum hoc tamen diſcrimine, quòd Theologi Deum conſiderent prout ex revelatis cognoſci poteſt: Philoſophi verò eum ſpeculentut prout lumine naturali poreſt innoteſcere: Quo ſenſu nos hîc de Deo ex profeſſo dicemus; vana enim eſt Philoſophia, niſi per ea quæ facta ſunt ad inviſibilia Dei cognoſcenda aſſurgat! *Vani ſunt omnes homines* (inquit Sapiens Sap. cap.13.) *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt: neque operibus attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex.* Hinc ipſe author libri de mundo, quamvis Ethnicus cap. 6. dicit impium fore ſi Philoſophi qui de mundo agunt, ipſum ſupremum mundi principem prætenrent. *πλημμελὲς γὰρ περὶ κόσμον λέγοντας εἰ καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἀλλ' οὖν γε ὡς εἰς τοπώδη μάθησιν τὸ τοῦ κόσμου κυριώτατον παραλιπεῖν.* Et hac etiam de causâ Metaphyſica vocatur ab Ariſtotele *Theologia.*

CAPUT PRIMUM.

De nomine, notione, & exiſtentiâ Dei.

DEus ſic dicitur vel à Græco nomine τίος quod timorem ſignificat; ſive quia timore impulſi homines primò Deum agnoverunt, ſecundùm illud Statii Papinii.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Sive quia Deus utpotè juſtus & potens, eſt ab hominibus, utpotè peccatoribus, timendus. Hinc illud Pſalmi cxi. *Beatus vir qui timet Dominum.* Vel ἀπὸ τοῦ θεῖν, à currendo, quia primi Ethnici aſtra curſoria ſeu erratica colebant pro diis, ut habetur Sapientiæ loco cit. Cui Etymologiæ ſuffragatur Plato in Cratylo. Vel ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν, à ſpeculando, quia Deus perpetuò intelligit actu, ut docet ipſe Philoſophus l. 12. Metaph. c. 7. unde etiam forſan à Græcis vocatur. Θεός.

Vocatur etiam non tantùm in Scripturis Exodi c. 3. & Sap. c. 17. *Qui eſt*; ſed etiam à Platone in Phædone ὃς ἐστι τὸ ὄν, qui eſt ipſum ſeu exiſtens; quia ſolus eſt exiſtens per eſſentiam, ut poſtea patebit, Et hoc nomen eſt maximè proprium, quod habeamus de Deo; idemque eſt ac illud Hebraïcum *Jova* ſive *Jehova*, quod ſancti Patres tetragrammaton vocant, qui apud Hebræos quatuor tantùm conſtat litteris, teſte Clemente Alexandrino libro quinto Stromatum. Quod nomen olim tantæ venerationi fuit apud Ju-

dæos, ut ſoli Summo Sacerdoti faceret illud pronunciare.

Deus concipitur ut Ens à ſe, Ens independens, Ens non factum, Ens abſolutè neceſſarium, Ens entium.

Tres ſunt modi ſeu viæ, quibus naturaliter poſſumus cognoſcere Deum, aut aliquid de eo, ex Divo Thoma primâ parte quæſt. 12. articulo 12. in corpore: quæſt. 13. art. 1. in corpore, art. 8. ad ſecundùm, & art. 10. ad quintum: ſcilicet viâ remotionis ſeu negativè; removendo à Deo, ea quæ quamdam imperfectionem ſeu finitudinem important: Ut cùm dicimus Deum eſſe independentem, infinitum, immutabilem, &c. Viâ cauſalitatis ſeu poſitivè; cognoſcendo Deum per creaturas, quæ quia ducunt ad cognitionem creatoris, vocantur in Scripturis viæ Dei: Hinc Behemoth dicitur Job, cap. 40. *Principium viarum Dei.* Viâ eminentiæ, ſeu ſuperlativè; judicando Deum utpotè primam, univerſaliſſimam, & æquivocam creaturarum omnium cauſam, omnes perfectiones, quæ in creaturis diſperſæ ſunt, in ſe nobiliori & eminentiori modo complecti, ſecundùm illud ſancti Dionyſii: *Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt unita in ſuperioribus.*

Quòd exiſtat Deus, & fide certum eſt, & communi omnium gentium conſenſu comprobatum; nulla enim gens eſt tam barbara quæ numen aliquod non vereatur.

Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις ὡς ἐκ Θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν, Antiquis & omnibus hominibus à

majoribus traditus eſt ſermo, quòd omnia ex Deo, & per Deum ſubſiſtant. Ex lib. de Mundo capite ſexto.

Quæritur autem hîc, utrùm ratione naturali poſſet demonſtrari exiſtentia Dei: Non quidem à priori & *propter quid*; quia talis demonſtratio eſt per cauſas; Prima autem cauſa non habet cauſas, alioqui non eſſet prima cauſa: Sed quomodocunque ſeu demonſtratione *quia*, ſive per creaturas ſeu effectus, ſive alio quovis argumento convincente.

Conclusio.

Demonſtrari poteſt Exiſtentia Dei.

Probatur primò ex Scripturis, Pſalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sapientiæ 13. ubi Sapiens paulò poſt verba in præfatione hujus diſputationis laudata ſubdit: *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Iſaiæ c. 40. *Levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hæc.* Romanorum capite primo: *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas; ita ut ſint inexcuſabiles.*

Probatur ſecundò ratione. Exiſtentia cauſæ demonſtrari poteſt per effectum ab eâ eſſentialiter dependentem: Sic exiſtentia animæ demonſtrari poteſt per operationes vitales; cùm ejus ſit actus, cujus potentia, ex 1. cap. libri de ſomno & vigilia: Atqui omnis creatura eſſentialiter pendet à Deo, ut pro-

batum eſt agendo de cauſa prima : Ergo exiſtentia Dei demonſtrari poteſt per creaturas. Hæc probatio colligitur ex cap. 6. libri de mundo.

Objicies 1. Articulus fidei non poteſt demonſtrari : Atqui eſt articulus fidei Deum eſſe: Ergo non poteſt demonſtrari.

Tranſeat major, quæ jure negari poſſet; tum quia actus fidei & ſcientiæ poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu per diverſa media, ut probatum eſt ſecundâ parte Logicæ : Tum quia, etſi id verum non eſſet, *nihil tamen prohiberet illud, quod ſecundùm ſe demonſtrabile eſt & ſcibile, accipi ab aliquo ut credibile, qui demonſtrationem non capit*, ex ſancto Thoma 1. parte quæſt. 2. articulo 2. ad primum; quo in caſu quod eſt objectum fidei ſecundùm ſe, poſſet alicui demonſtrari, qui fidem non haberet.

Diſtinguo minorem : Atqui eſt articulus fidei, Deum eſſe authorem gratiæ & gloriæ, concedo : Deum eſſe authorem naturæ, nego : Nam (ut doctè ſcribit ſanctus Thomas, loco citato) Deum eſſe, & alia hujuſmodi, quæ per rationem naturalem nota poſſunt eſſe de Deo, ut dicitur Rom. c. 1. non ſunt articuli fidei, ſed præambula ad articulos; ſic enim fides præſupponit cognitionem naturalem, ſicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile.

Objicies ſecundò. Quod naturaliter demonſtratur, clarè cognoſcitur naturaliter; demonſtratio enim eſt ſyllogiſmus evidens : Atqui exiſtentia Dei non poteſt naturaliter

clarè

clarè cognoſci : alioqui naturaliter ejus eſſentia clarè cognoſceretur, cùm eſſentia & exiſtentia in Deo maximè identificentur : Ergo exiſtentia Dei non poteſt naturaliter demonſtrari.

Diſtinguo minorem. Exiſtentia Dei non poteſt naturaliter clarè cognoſci quoad quæſtionem quid ſit, concedo : quoad quæſtionem an ſit, nego. Tam enim clarè cognoſcitur Deus & eſſentia ejus quoad exiſtentiam, ut ſint inexcuſabiles, qui Deum negant, ex 1. capite Epiſtolæ ad Romanos.

Objicies tertiò. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium : Atqui creatura non eſt neceſſaria : Ergo non poteſt eſſe medium demonſtrandæ exiſtentiæ divinæ.

Diſtinguo majorem. Medium demonſtrationis debet eſſe neceſſarium, neceſſitate connexionis cum re demonſtratâ, concedo : Neceſſitate entitatis, nego : At creaturæ habent neceſſariam connexionem cum exiſtentia divina ; quia bene ſequitur quòd ſi ſint quædam entia facta, ſit etiam Ens non factum; Sicuti bene ſequitur quòd ſi ſit capacitas ſcientiæ in aliquo animali, in eo quoque ſit rationalitas

Itaque hîc quædam ſunt afferendæ demonſtrationes de exiſtentia Dei. Variæ afferuntur à variis authoribus. Nos tres ſelegimus, quas duximus magis convincentes. Primam ex cap. 13. Sapientiæ, & Iſaïæ 40. citatis. Secundam ex S. Thomâ, 1. d. quæſt. 2. art. 3. Tertiam & ultimam ex authore recentiore nomine DESCARTES.

Prima demonſtratio.

OMnis proportio opus eſt alicujus intelligentis; ſumma proportio, ſummi intelligentis. Nullus perſuadere ſibi poſſit Iliadem Homeri v. g. aut Æneïdem Virgilii non eſſe compoſitam ab aliquo ingenioſo Poëta; ſed caſu & fortuito quodam litterarum & vocabulorum concurſu coaluiſſe: Atqui in univerſo maxima eſt omnium partium proportio: Ergo univerſum, eſt opus alicujus maximè intelligentis. Illud tamen intelligens aliud non poteſt eſſe à Deo, cùm præter mundum nihil aliud ſit quàm Deus: Ergo datur Deus.

Secunda & maximè Philoſophica Demonſtratio,

DAtur ens non factum: Atqui ens non factum eſt Deus: Ergo datur Deus. Minor admittitur ab omnibus.

Probatur major. Ens abſolutè neceſſarium eſt ens non factum; (quod enim factum eſt, neceſſarium tantùm eſt ex hypotheſi ſuæ factionis:) Atqui datur ens abſolutè neceſſarium: Ergo datur non ens factum.

Probatur minor. Vel datur ens abſolutè neceſſarium; vel omnia entia ſunt abſolutè contingentia;) namque ens abſolutè neceſſarium & ens abſolutè contingens contradictoriam oppoſitionem involvunt: proindéque inter illa nihil eſt medium:) Atqui omnia

entia non ſunt abſolutè contingentia : Ergo datur ens abſolutè neceſſarium.

Probatur minor. Si omnia entia eſſent abſolutè contingentia, poſſent abſolutè non eſſe : Contingens enim eſt, quod poteſt eſſe vel non eſſe. Supponamus ergo non eſſe. Nam ex Philoſopho l.8. Phyſ. c. 5. *Poſſibili poſito in actu, nihil ſequitur abſurdi.* Hac factâ hypotheſi, omnia eſſent poſſibilia ſimul & impoſſibilia, quod eſt contradictorium. Omnia eſſent poſſibilia, quia ex hypotheſi ſunt contingentia; omne autem contingens, poſſibile eſt : eſſent verò impoſſibilia, quia non poſſent reduci ad eſſe; namque ſi poſſent reduci ad eſſe, vel poſſent à ſeipſis, vel ab alio ente; non à ſeipſis, quia contradictionem implicat aliquid non exiſtens, ſibi dare eſſe, ut probatum eſt diſputatione de cauſis in communi c.3. non etiam ab alio ente, quia ex hypotheſi nullum foret aliud ens : Ergo omnia forent ſimul poſſibilia & impoſſibilia, quod ratiocinium fundatur in Ariſtotele l.12. Metaph. c. 6. ubi ſic habet : *ἐνδέχεται γὰρ τὸ δυνάμει ὂν, μὴ εἶναι· δεῖ ἄρα εἶναι ἀρχὴν τοιαύτην, ἧς ἡ οὐσία ἐνέργεια.*

Objicies. Poteſt aliquis Atheus ſibi perſuadere mundum eſſe ab æterno, ſicut Ariſtoteles & plerique antiqui Philoſophi putarunt : Atqui in illâ hypotheſi non poſſet ei demonſtrari exiſtentia Dei; namque non poſſet ei demonſtrari prima cauſa; nam diceret unum effectum eſſe factum ab alio, & alium ab alio & ſic in infinitum : Ergo in illa hypotheſi non poſſet ei demonſtrari exiſtentia Dei;

namque non poſſet ei demonſtrari prima cauſa, quin illi demonſtraretur primus effectus. Atqui illi Atheo non poſſet demonſtrari primus effectus, cùm in ſerie infinitâ nullum ſit initium: Ergo illi non poſſet demonſtrari prima cauſa.

Nego minorem, & probationem ejus; ad cujus confirmationem, tranſeat antecedens, quod falſum eſt de corporibus cœleſtibus. Nam nullus Atheus dicere poteſt à quonam producta ſint corpora cœleſtia, cœli ſcilicet, & ſydera, v.g. Sol, Luna, &c. ſecundùm textum Iſaïæ citatum. Nego conſequentiam? Nam vel ille Atheus admittet aliquod ens non factum, ſicque convictus erit: vel dicet omnia facta eſſe. Si dixerit omnia eſſe facta, inferetur adversùs illum omnia eſſe abſolutè contingentia; quandoquidem omnia exiſtunt tantùm ex hypotheſi ſuæ factionis. Quòd ſi omnia ſunt abſolutè contingentia, omnia poſſunt abſolutè non eſſe; ſi autem omnia non eſſent, forent ſimul poſſibilia & impoſſibilia, ut demonſtratum eſt. Ad ultimam confirmationem, diſtinguo majorem. Non poſſet illi demonſtrari prima cauſa intrinſeca collectioni effectuum, quin ei demonſtraretur primus effectus, concedo: non poſſet ei demonſtrari prima cauſa extrinſeca collectioni effectuum, quin ei demonſtraretur primus effectus, nego. Nam prima cauſa extrinſeca collectioni effectuum ſeu entium factorum demonſtrari poteſt per ipſam collectionem, ut in ſuperiori demonſtratione oſtenſum eſt.

Tertia Demonſtratio.

QUod eſt de conceptu alicujus rei non poteſt ab eâ ſeparari, v. g. quia habere tres angulos eſt de conceptu trianguli, habere tres angulos non poteſt à triangulo ſeparari: Atqui exiſtentia actualis abſoluta eſt de conceptu Dei; non magis enim poteſt aliquis concipere Deum ſine exiſtentia actuali & abſolutâ, quàm triangulum ſine tribus angulis: etenim pete etiam ab Atheo quid neget, dum negat Deum eſſe, reſpondebit ſe negare ens eſſentialiter exiſtens: Ergo exiſtentia Dei non poteſt à Deo ſeparari.

Nec dicas, quòd etſi habere tres angulos ſit de conceptu trianguli, nihilominùs non ſequatur quòd exiſtat triangulus habens tres angulos: ſed tantùm, quòd ſi exiſtat triangulas, habet tres angulos: & proindè à pari, etſi habere exiſtentiam abſolutam ſit de conceptu Dei; nihilominùs non ſequatur quòd exiſtat Deus habens exiſtentiam abſolutam, ſed tantùm quòd ſi exiſtat Deus, habeat exiſtentiam abſolutam.

Nam magna eſt diſparitas; non enim eſt de conceptu trianguli actu habere tres angulos abſolutè; ſed tantùm ex hypotheſi quòd exiſtat: At verò eſt de conceptu Dei actu habere abſolutè exiſtentiam: Deus enim aliter concipi non poteſt etiam à ſuis impugnatoribus, quàm ens abſolutè exiſtens.

Quæritur jam utrùm illa propoſitio, *Deus eſt*, ſit per ſe nota. Cui quæſtioni ut fiat ſatis,

Repetendum eſt ex ſecundo capite diſputationis de demonſtratione, in fine ſecundæ conditionis, propoſitionem aliquam poſſe eſſe per ſe notam dupliciter. Primò quoad ſe, quando nimirùm prædicatum eſt de eſſentiâ ſubjecti; quomodo hæc propoſitio, *Homo eſt rationalis*, eſt per ſe nota. Secundò quoad nos, quandò ita innoteſcit perceptis terminis, ut à nemine negari poſſit animo; quomodo hæc propoſitio, *Ignis eſt calidus*, eſt per ſe nota. His poſitis,

Reſpondeo primò, prædictam propoſitionem eſſe per ſe notam quoad ſe; quia ejus prædicatum eſt de eſſentiâ ſubjecti, ut ſequenti capite patebit.

Reſpondeo ſecundò. Præfatam propoſitionem non eſſe per ſe notam, quoad nos. Quia negatur à ſceleratis quibuſdam Atheis, ſecundùm illud Pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo Non eſt Deus.*

CAPUT SECUNDUM.

De Eſſentia Dei.

CUm Deus ſit primum ens, primum movens, & prima cauſa, non habet cauſas: quare hîc dicendum eſt de ejus eſſentia, quæ eſt inſtar formæ cujuſdam metaphyſicæ.

Deus conſiderari poteſt dupliciter. Primò prout in ſe eſt à parte rei: Secundò prout à nobis concipitur per analogiam ad eſſentias creaturarum.

Conveniunt omnes Deum, prout eſt à parte rei, eſſentialiter & indiviſibiliter perfectiones omnes increatas includere, ſecundùm illud tritum, *Quidquid in Deo eſt, Deus eſt.* Verùm

Quæritur, quas perfectiones formaliter includat in ſuo conceptu eſſentiali præcisè ſumpto, prout concipitur ut fons & radix ſuarum proprietatum & attributorum.

Conſtat apud omnes Deum, prout à nobis concipitur, conſtare vel genere & differentiâ (ut apud nos, qui Deum verum eſſe ſpeciem ſubſtantiæ categoricæ propugnavimus in prædicamentis;) vel ſaltem veluti genere & veluti differentiâ (ut apud illos qui defendunt ens eſſe analogum reſpectu Dei & creaturæ?) quia in Deo duo ratione diſtingui poſſunt, ſcilicet aliquid commune, ſaltem analogicè, putà quòd ſit ens; & aliquid ſpeciale, quo à cæteris differt. Ut autem cognoſcantur illi in Deo gradus,

Obſervandum eſt, Deum ſumi poſſe dupliciter. Primò latè prout eſt ens increatum & condiſtinguitur à ſolis creaturis: Secundò ſtrictè & formaliter pro eſſentiâ divinâ præcisè ſumptâ, prout opponitur non creaturis modò, ſed etiam attributis & perſonis divinis.

Certum eſt primò, gradus veluti genericos Dei ſumpti pro ente increato eſſe Ens, ſubſtantiam, ſpiritum; quia ſcilicet hæc omnia illi communia ſunt cum quibuſdam creaturis.

Certum eſt ſecundò, gradum genericum Dei ſtrictè & formaliter ſumpti, eſſe ens ſub-

ſtantiale, ſpirituale; quia ſcilicet illum habet communem cum attributis & perſonis divinis & cum quibuſdam creaturis.

Difficultas ergo tantùm eſt de differentiâ aut veluti differentiâ Dei. De quâ quatuor ſunt ſententiæ. Prima eſt differentiam Dei conſiſtere in independentiâ, prout habet negationem eſſendi ab alio tanquam à causâ. Secunda eſt differentiam Dei conſiſtere in aſeïtate. Tertia eſt, differentiam Dei conſiſtere in ſumma actualitate. Ultima eſt, differentiam Dei conſiſtere in intellectione actuali per eſſentiam. Antequàm meam mentem aperiam,

Moneo primò, Aſeïtatem poſſe ſumi duobus modis. Primò latè pro exiſtentiâ connotante tantùm negationem eſſendi ab alio tanquam à causâ; quo ſenſu confunditur cum independentiâ. Secundò ſtrictè, pro exiſtentiâ, prout connotat non tantùm negationem eſſendi ab alio tanquam à causâ, ſed etiam tanquam à principio reali, & tanquam à radice virtuali: quo ſenſu neque Filius & Spiritus Sanctus ut ſic, ſunt à ſe, cùm ſint ab alio, putà Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, tanquam à principio reali; neque attributa proprietativa Dei ſunt à ſe, cùm ſint ab eſſentiâ divinâ tanquam à radice quadam virtuali.

Moneo ſecundò, ſummam actualitatem ſumi etiam dupliciter. Primò pro exiſtentiâ non acceptâ à causâ; quo ſenſu confunditur cum independentiâ. Secundò pro exiſtentiâ neque acceptâ à causâ, neque à principio

reali,

reali, neque à radice virtuali: quo ſenſu confunditur cum aſeïtate ſtrictè ſumpta, proindéque ſententia quæ reponit differentiam Dei in ſummâ actualitate, neceſſariò coincidit cum primâ vel ſecundâ ſententiâ. His præmiſſis, ſit

Prima Conclusio.

Differentia Dei ſumpti pro ente increato conſiſtit in independentiâ.

PRobatur. In eo conſiſtit differentia Entis creati ut ſic, quod per ſe primò conſtituit ens increatum in eſſe entis increati, illudque per ſe primò diſtinguit ab Ente creato: Atqui dependentia eſt ejuſmodi: Ergo, &c.

Confirmatur. Differentia entis creati ut ſic eſt dependentia, ſeu exiſtentia accepta ab alio tanquam à causâ: Ergo à contrario, differentiâ entis increati ut ſic, eſt independentia ſeu exiſtentia non accepta ab alio tanquam à causâ: oppoſitarum enim ſpecierum oppoſitæ ſunt differentiæ,

Secunda Conclusio.

Differentia eſſentiæ divinæ ſtrictè ſumpta non conſiſtit in independentiâ.

PRobatur. Differentia non debet competere alteri ab eo cujus eſt differentia; Atqui independentia convenit alteri quàm eſ-

ſentiæ divinæ, ſtrictè & formaliter ſumptæ; nimirùm attributis & perſonis divinis, qui ſcilicet non ſunt ab alio tanquam à cauſa; Ergo non eſt differentia eſſentiæ divinæ ſtrictè ſumptæ.

TERTIA CONCLUSIO.

Exiſtentia eſt de conceptu eſſentiæ divinæ.

PRobatur. Quidquid eſt in re aliquâ, vel eſt de ejus conceptu, vel venit ab ejus eſſentiâ, vel ab extrinſeco: Atqui exiſtentia Dei non poteſt venire ab ejus eſſentiâ, nihil enim poteſt eſſe ſibi cauſa eſſendi: alioquin eſſet priùs, quàm eſſet: Neque etiam poteſt venire ab extrinſeco, alioquin Deus non eſſet primum Ens: Ergo exiſtentia eſt de conceptu eſſentiæ divinæ. Hæc demonſtratio deſumitur ex ſancto Thoma 1. part. quæſt. 3. articulo 4.

Ex hac concluſione ſequitur exiſtentiam, vel ſe tenere ex parte generis, vel ex parte differentiæ Dei. Magna reſtat controverſia inter ſectatores Suaris, & cæteros, ex utrâ parte ſe teneat? Sectatores Suaris, qui reponunt differentiam Dei in intellectione actuali, putant exiſtentiam Dei ſe tenere ex parte generis: Cæteri putant ſe tenere ex parte differentiæ; cum quibus ſit, contra Suarem,

Quarta Concluſio.

Differentia eſſentiæ divinæ formaliter ſumptæ non conſiſtit in intellectione actuali.

PRobatur primò authoritate ſancti Thomæ, qui 1. partis quæſtionem 14. ſic incipit. *Poſt conſiderationem eorum quæ ad divinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum de iis quæ pertinent ad operationem ipſius*; poſteàque ſtatim agit de intellectione Dei: Ergo ex ſancto Thomâ, intelligere non pertinet formaliter ad eſſentiam Dei.

Probatur ſecundò: Prius eſt ratione eſſe quàm operari (operari enim ſequitur eſſe:) Atqui intellectio divina eſt quædam operatio: Ergo ſupponit eſſentiam divinam.

Probatur tertiò. Quod ſupponit eſſentiam divinam, eam non conſtituit; Atqui intellectio divina ſupponit eſſentiam divinam, quia omnis cognitio ſpeculativa ſupponit objectum ſuum primarium; Atqui intellectio Dei eſt cognitio ſpeculativa reſpectu eſſentiæ divinæ; cujus cognitionis objectum primarium eſt eſſentia divina: Ergo intellectio divina ſupponit eſſentiam divinam.

Probatur quartò. Prius eſt naturam divinam eſſe Ens à ſe (hoc eſt habere exiſtentiam nullo modo acceptam ab alio) quàm natura divina actu intelligat: Atqui dum natura divina intelligitur ut Ens à ſe, jam intelligitur formaliter conſtituta in eſſe eſſentiæ

divinæ, ut ſequenti concluſione patebit: Ergo intellectio actualis ſupponit eſſentiam divinam formaliter conſtitutam.

Objicies primò. Si intelligere actu ſit de conceptu Dei, eſt differentia Dei, cùm non ſit ejus genus: Atqui intelligere Dei eſt de eſſentiâ Dei; tum quia ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 14. a. 4. ſic habet: *Intelligere Dei eſt ſubſtantia Dei*; tum quia vita Dei eſt de eſſentiâ Dei; nullum enim eſt vivens de cujus eſſentiâ non ſit vita: Atqui intelligere Dei eſt vita Dei, ex eodem ſancto Doctore, 1. parte quæſt. 18. a. 3. Ergo intelligere Dei eſt de eſſentiâ Dei; Sanctus Thomas autem in utroque loco utitur authoritate Philoſophi lib. 12. Metaphyſicorum c. 7.

Nego minorem; cujus primam probationem diſtinguo. Ex ſancto Thomâ intelligere Dei eſt ſubſtantia Dei, realiter & identicè, concedo: formaliter, nego: Vult itaque tantùm ſanctus Doctor, intelligere Dei non diſtingui realiter à ſubſtantia Dei, ut patet ex eo quòd illum articulum concludat his verbis: *Unde patet quòd per hoc quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in ejus ſubſtantiâ.* Hinc quæſt. 26. art. 2. ſic ſcribit: *In Deo autem non eſt aliud eſſe & intelligere ſecundùm rem; ſed tantùm ſecundùm intelligentiæ rationem.* Eadem ſolutione tenetur uti Suares: quia non vult velle Dei eſſe de eſſentia Dei, cùm tamen ſanctus Thomas dicat idem eſſe in Deo velle & eſſe. Secundam probationem diſtinguo. Ad majorem: Vita Dei eſt de eſſentiâ Dei, hoc eſt

ſubſtantia vitalis eſt de eſſentia Dei, concedo: hoc eſt, operatio vitalis eſt de eſſentia Dei, nego. Vita enim aliquando ſumitur pro ipſa ſubſtantia vivente; hinc Philoſophus lib. 2. de animâ, ait, quòd vivere ipſis viventibus eſt eſſe. Aliquando ſumitur pro operatione vitali; hinc idem Philoſophus l. 9. Ethicorum c. 9 dicit, quòd vivere eſt ſentire vel intelligere. Audi ſanctum Thomam 1. parte quæſt. 18. art. 2. ſic loquentem. *Vitæ nomen ſumitur ex quodam exteriùs apparenti circa rem, quod eſt movere ſeipſum: Non tamen eſt impoſitum hoc nomen ad hoc ſignificandum, ſed ad ſignificandam ſubſtantiam, cui convenit ſecundùm ſuam naturam movere ſeipſum, vel agere ſe quocumque modo ad oparationem: & ſecundùm hoc, vivere nihil aliud eſt quàm eſſe in tali naturâ; & vita ſignificat hoc ipſum, ſed in abſtracto: ſi ut hoc nomen, curſus, ſignificat ipſum currere in abſtracto; unde vivum non eſt prædicatum accidentale, ſed ſubſtantiale. Quandoque tamen vita ſumitur minùs propriè pro operationibus vitæ, à quibus nomen vitæ aſſumitur.* Ex quibus patet intellectionem Dei eſſe quidem operationem vitæ divinæ, non tamen eſſe primariam vitam eſſentiæ divinæ.

Nec alia mens eſt Philoſophi loco citato; vult enim tantùm Deum ſemper intelligere actu; & nunqnam eſſe in potentiâ reali ad intellectionem.

Inſtabis. Primaria vita Dei debet eſſe perfectiſſima, cùm Deus ſit vivens perfectiſſimum: Atqui niſi intellectio actualis eſſet

primaria Dei vita , primaria vita Dei non eſſet perfectiſſima : nam primaria vita conſiſteret in intellectione radicali : radicalis autem intellectio non eſt vita perfectiſſima, cùm habeat rationem potentiæ reſpectu actualis ; potentia autem ignobilior ſit actu.

Nego minorem , & probationis minorem. Ad confirmationem diſtinguo : Intellectio radicalis reſpectu actualis , habet rationem potentiæ activæ & emanativæ , concedo : merè paſſivæ, nego : Unde diſtinguo ultimam rationem : Potentia eſt ignobilior actu , ſi ſermo ſit de potentiâ merè paſſivâ , concedo : ſi de potentiâ [illegible]tivâ , nego : Cùm enim potentia emanativa ſit p[illegible] [illegible]ffiva proprietatum , eas continere debet emin[illegible]. Et certè cum Suares nolit omnia attributa divina eſſe de conceptu formali eſſentiæ divinæ ; velit nolit , neceſſe eſt ut admittat eſſentiam divinam eſſe radicem virtualem illorum , habereque eorum reſpectu potentiam quamdam virtualiter emanativam : Quidni ergo idem dicere poſſimus de eſſentiâ divinâ reſpectu intellectionis actualis ?

Objicies ſecundò. Beatitudo Dei eſt de eſſentiâ Dei ; cùm Deus ſit eſſentialiter beatus : Atqui beatitudo Dei conſiſtit in intellectione : Ergo intellectio eſt de eſſentia Dei.

Diſtinguo majorem. Beatitudo Dei eſt de eſſentiâ Dei identicè & realiter ſumptâ , concedo : ſtrictè & formaliter , nego. Probationem diſtinguo : Deus eſt eſſentialiter beatus, id eſt , eſt beatus independenter , concedo : id

eſt, eſt beatus beatitudine, quæ habeat in eo rationem generis aut differentiæ, nego: Hinc ſanctus Thomas, 1. parte quæſt. 16. art. 2. ad primum, dicit beatitudinem non convenire Deo ſecundùm rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundùm rationem intellectus.

Ultima Conclusio.

Differentia eſſentiæ divinæ formaliter ſumpta eſt Aſeïtas ſtrictè ſumpta.

PRobatur primò ex Scripturis Exodi cap. 3. ubi ſic legitur, *Ait Moyſes ad Deum: Ecce vadam ad filios Iſraël, & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi; Quod eſt nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſem*, Ego ſum qui ſum: *Ait, Sic dices filiis Iſraël.* Qui eſt miſit me ad vos. Eodem modo vocatur Sapientiæ cap. 17. loco hujus diſputationis initio ſuprà citato.

Probatur ſecundò ratione. Illud eſt differentia alicujus rei, quod eſt primum in re, & maximè diſtinguit à qualibet alia re: Atqui aſeïtas prout connotat triplicem negationem, ſcilicet negationem eſſendi à causâ, à principio reali, & à radice virtuali, eſt quid primum in Deo; cùm habeat omnimodam negationem veniendi ab aliquo priori; & diſtinguit Deum à quolibet alio. Nam primò diſtinguit Deum à creaturis, quæ ſcilicet ſunt ab alio tanquam à causâ: Diſtinguit Deum à Filio & Spiritu Sancto, ut ſic; qui ſcilicet

ſunt ab alio tanquam à principio reali : Diſtinguit etiam Deum ab omnibus attributis divinis , quæ ſcilicet ſunt ab eſſentiâ divinâ tanquam à radice virtuali. Ergo aſeïtas ſtrictè ſumpta eſt differentia eſſentiæ divinæ formaliter ſumptæ.

Confirmatur. Aſeïtas cum illâ triplici negatione eſt de eſſentiâ naturæ divinæ ; cùm non poſſit ei ex ullo principio reali aut virtuali ſupervenire , ut probatum eſt aſſertione tertia : Ergo vel habet rationem generis, vel rationem differentiæ : Atqui non habet rationem generis , cùm nulli alteri competere poſſit : Ergo habet rationem differentiæ.

Probatur tertiò. Illud eſt conſtitutivum eſſentiæ divinæ , quod eſt prima radix omnium proprietatum & attributorum ejus : Atqui talis eſt aſeïtas ; quia ideò Deus eſt omnipotens , verbi gratia omniſcius ; &c. quia eſt illimitatus in omni genere perfectionis. Ideò autem eſt illimitatus , quia à nullo limitari poteſt ; quia quidquid limitatur , limitatur à principio à quo eſt ; quòd ſi ſit liberum , limitat & taxat (ut ita loquar) ſecundùm ſuum arbitrium perfectiones ſuis effectibus : Si verò ſit neceſſarium , limitat ſecundùm ſuam virtutem perfectiones ſuis terminis. Proindéque eſſentia divina , eo ipſo quo eſt à ſe ; & nullo modo ab alio , illimitata eſt in omni genere perfectionis. Ergo aſeïtas eſt radix omnium proprietatum divinarum . Ergo eſt conſtitutivum eſſentiæ divinæ formaliter ſumptæ.

Objicies primò. Abſurdum eſt differentiam Entis perfectiſſimi conſtituere in aliquo negativo : Atqui aſeïtas eſt aliquid negativum: Ergò differentia Dei, non eſt in ea conſtituenda.

Diſtinguo majorem. Abſurdum eſt differentiam Entis perfectiſſimi conſtituere in aliquo, quod ſit formaliter negativum, concedo : in aliquo quod ſit formaliter poſitivum, fundamentaliter autem & connotativè negativum, nego. Aſeïtas autem formaliter eſt quod maximè poſitivum, eſt enim exiſtentia abſolutè neceſſaria ; licet fundet & connotet triplicem negationem à nobis aſſignatam. Mirum autem non eſt, eſſentiam divinam connotare negationes ; imò debet neceſſariò connotare negationes omnium defectuum & imperfectionum.

Objicies ſecundò. Gradus generici Dei ſunt à ſe : Ergo aſeïtas non eſt differentia Dei.

Diſtinguo antecedens. Gradus generici Dei ſunt à ſe realiter, hoc eſt non ſunt ab alio, concedo : ſunt à ſe formaliter, hoc eſt includunt exiſtentiam à ſe, nego : Nam gradus entis, ſubſtantiæ, & ſpiritûs non includunt exiſtentiam in ſuo conceptu, ſed ab eâ abſtrahunt, ut ſatis patet.

COROLLARIUM.

DEfiniri ergo poteſt Deus ex dictis, ſecundùm humanum captum : *Spiritus qui eſt*, ſubſtantia maximè in actu : ſed maximè, Ens à ſe.

CAPUT ULTIMUM.

De Attributis divinis.

NUllùm in hac diſputatione Caput erit de diviſione ; quia cùm Deus ſit ſummè unus (ut mox dicemus,) dividi non poteſt. Unde ultimum Caput eſt de proprietatibus Dei, quæ à Theologis Attributa nuncupantur : Attamen

Attributa divina ſumuntur dupliciter. Primò, latè pro quibuſvis Dei prædicatis, ſive eſſentialibus, ſive non. Secundò, propriè pro prædicatis quæ afficiunt eſſentiam divinam in ſuo eſſe ſpecifico conſtitutam, quo ſenſu de his hîc agimus.

Dividuntur primò in poſitiva, quæ nominibus poſitivis exprimuntur, ut omnipotentia, ſcientia, juſtitia, &c. & negativa, quæ exprimuntur nominibus negativis, ut infinitas, immutabilitas, &c.

Dividuntur ſecundò in abſoluta, quæ non dicunt reſpectum, ut ſimplicitas, infinitas, &c. & relativa, quæ reſpectum quemdam important ; qualis eſt omnipotentia, quæ

reſpicit res producibiles ; ſcientia quæ reſpicit res ſcibiles , &c.

Commoda hîc eſt præ cæteris diviſio attributorum in ea , quæ ſe habent inſtar modorum intrinſecorum ; in ea , quæ ſe habent inſtar potentiarum ; in ea , quæ ſe habent inſtar habituum ſeu virtutum ; & in ea , quæ ſe habent inſtar actuum ſeu operationum ; de quibus membris hîc totidem articulis dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Modis intrinſecis Dei.

I. MOdi intrinſeci ſunt attributa quædam, quæ [illegible] de explicito conceptu alicujus rei , ab eâ tamen [illegible] ſcindi non poſſunt ; qualis eſt infinitudo in Deo , & finitudo in creaturis.

Modi intrinſeci Dei , alii ſunt tranſcendentales : alii verò ſpeciales.

Modi tranſcendentales Dei ſunt illi , qui Deo communes ſunt cum creaturis , ſcilicet Unitas , Veritas & Bonitas.

Modi ſpeciales Dei ſunt illi , qui ſoli Deo competunt ; v. g. Immutabilitas , Inviſibilitas , Incomprehenſibilitas , &c.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Modis tranſcendentalibus Dei.

MOdi Dei tranſcendentales ſunt illi qui competunt Deo præciſè, ut ens eſt, & tres ſunt: ſcilicet unitas, veritas, bonitas; quæ affectiones procul dubio in Deo ſummæ ſunt; nam affectiones debent correſpondere eſſentiis: Atqui unitas, veritas, bonitas ſunt affectiones entis: Ergo ſumma unitas, ſumma veritas, & ſumma bonitas ſunt affectiones ſummi entis: Atqui Deus eſt ſummum ens: Ergo eſt ſummè unus, ſummè verus & ſummè bonus. Unde etiam vocatur ipſa unitas, ipſa veritas & ipſa bonitas.

Sed quia quidam Unitat[illegible] eos ſit

CONCLUSIO.

Impoſſibiles ſunt plures Dii.

PRobatur primò. Cùm Deus ſit maximè ens, eſt maximè unus: Atqui ſi poſſibiles eſſent plures Diis, Deus non eſſet maximè unus, cùm multitudinem unitati oppoſitam poſſet admittere.

Probatur ſecundò. Si eſſent plures dii, vel Deus A abſolutè poſſet impedire Deum B ab agendo; vel non poſſet. Si poſſet, Deus B non eſſet Deus, cùm penderet à conſenſu alterius in agendo: ſi non poſſet, Deus A non eſſet Deus, cùm aliquid fieri poſſet eo invito, &c.

Probatur tertiò. Si eſſent duo Dii, alter eorum non eſſet Deus, Conſequens implicat in terminis : Ergo implicat eſſe duos Deos. Probatur ſequela majoris. Deus debet continere omnes perfectiones, ut ſatis patet, & poſteà probabitur : Atqui ſi eſſent duo Dii, alter non contineret omnes perfectiones, cùm non contineret differentiam alterius : Ergo ſi eſſent duo Dii, alter eorum non eſſet Deus. Simili ferè ratiocinio utitur S. Thomas 1. parte, quæſt. 11. art. 3. his verbis. *Si ergo eſſent plures Dii, oporteret eos differre : aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri : Et ſic ille in quo eſſet privatio, non eſſet ſimpliciter perfectus ; ſi autem hoc eſſet, perfectio alteri eorum deeſſet. Impoſſibile eſt ergo eſſe plures Deos.*

Probatur ultimò. Si eſſent multi Dii, non eſſet potior iratio cur eſſent in uno numero, quàm in alio. Si enim ſint duo, cur non decem ? & ſi decem, cur non mille ? unde Ethnici ubi ſemel pluralitatem Deorum admiſerunt, tam ſtupendum eorum chaos induxerunt, ut Romani triginta millia Deorum, & inter eos trecentos Joves admiſerint : teſte Giraldo Ferrarienſi, ſyntagamate primo.

Nec dicas, omnia illa argumenta militare quoque adversùs pluralitatem Perſonarum divinarum ; nam

Ad primum argumentum, reſpondeo Patrem Divinum ut ſic, non eſſe maximè ens in omni genere, ſed tantùm in ratione Patris : proindéque non eſſe maximè unum in ratione perſonæ ſimpliciter, ſed tantùm

in ratione talis perſonæ, putà Patris: quo fit etiam ut impoſſibiles ſint plures Patres Divini.

Ad ſecundum reſpondeo, unam perſonam divinam non poſſe velle impedire aliam ab agendo, cùm tres perſonæ unicam habeant numero naturam, unicam quoque habeant & voluntatem & potentiam. Hinc illud effatum: *Opera Trinitatis ad extrà ſunt indiviſa.*

Ad tertium reſpondeo; unam perſonam continere differentiam perſonalem alterius eminenter ratione Naturæ divinæ, quæ eſt radix virtualis omnium Perſonalitatum. Hoc autem dici non poſſet de uno Deo reſpectu alterius; nam cùm non eſſet productivus alterius, non poſſet illius differentiam eminenter continere.

Ad ultimum reſpondeo, determinatum eſſe numerum Perſonarum Divinarum: nam neceſſariò debet eſſe una improducta; illa autem cùm duas habeat tantùm potentias immanenter activas, intellectum ſcilicet & voluntatem, quarum unaquæque exhauritur per unicum terminum utpotè infinitum; duas tantùm perſonas producere poteſt, proindéque tres tantùm poſſibiles ſunt perſonæ Divinæ.

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De Modis ſpecialibus Dei.

MOdi intrinſeci Deo ſpeciales ſunt illi qui ita competunt Deo, ut non poſ-

ſint communicari creaturis : Et novem ſunt, nimirùm ſimplicitas, perfectio, infinitas, immutabilitas, immenſitas, æternitas, inviſibilitas, incomprehenſibilitas, & ineffabilitas; de quibus, ut dicamus ordinatiùs hunc Paragraphum titulis quibuſdam diſtinguemus.

PUNCTUM PRIMUM.

De Simplicitate Dei.

Simplicitas definitur, negatio compoſitionis.

Compoſitio definitur, plurium diſtinctorum unio.

Proindéque totuplex eſt ſimplicitas, quotuplex compoſitio & diſtinctio : unde ſimplicitas alia eſt realis, quæ eſt negatio compoſitionis realis; alia rationis, quæ eſt negatio compoſitionis mentalis.

Quæritur utrùm Deus ſit ſimplex vel compoſitus? Cui quæſtioni priuſquam fiat ſatis;

Notandum eſt, eodem modo philoſophandum eſſe in noſtris principiis de diſtinctione attributorum divinorum inter ſe & ab eſſentiâ divinâ, quomodo philoſophati ſumus in Logicis de diſtinctione graduum Metaphyſicorum in eodem individuo : & proinde attributa divina inter ſe & à divinitate actualiter non differre, ſed tantùm virtualiter & ratione ratiocinatâ.

PRIMA CONCLUSIO.

Deus eſt ſimplex realiter.

PRobatur primò ex Scripturis, in quibus paſſim attributa divina prædicantur de Deo in abſtracto; quod fieri non poſſet, ſi facerent compoſitionem realem cum eſſentiâ divinâ.

Probatur ſecundò. Quidquid compoſitum eſt realiter, poſterius eſt realiter ſuis componentibus, & ab iis realiter pendet: Atqui Deus eſt primum ens, & ens independens: Ergo Deus non eſt compoſitus realiter.

Probatur tertiò. Omne compoſitum realiter, conſtat realiter potentiâ paſſivâ, & actu: Atqui Deus non habet potentiam paſſivam realem; quia potentia paſſiva realis includit perfectibilitatem realem; perfectibilitas autem realis privationem perfectionis, & proinde imperfectionem realem; Deus autem perfectiſſimus eſt, ut ſequenti puncto demonſtrabitur: Ergo Deus non eſt realiter compoſitus.

Ex hac concluſione ſequitur, quod l. ultimi Phyſicorum cap. ultimo, & l. 12. Metaphyſicorum cap. 7. demonſtrat Philoſophus, Deum eſſe realiter partium expertem, & proinde indiviſibilem; Atque ideò omninò ſpiritalem.

SECUNDA

Secunda Conclusio.

In Deo eſt compoſitio rationis.

PRobatur primò. Ubi eſt aliquid commune, & aliquid ſpeciale, ibi eſt compoſitio rationis: Atqui in Deo eſt aliquid commune cum creaturis, putà quod ſit ens; & aliquid ſpeciale, puta quod ſit à ſe: Ergo in Deo eſt compoſitio rationis.

Probatur ſecundò. Ubi ſunt plura ratione diſtincta inter ſe unita, ibi eſt compoſitio rationis; (compoſitio enim rationis eſt plurium ratione diſtinctorum unio:) Atqui in Deo ſunt plura ratione diſtincta inter ſe unita; attributa enim divina inter ſe, & ab eſſentiâ divinâ diſtinguuntur virtualiter; & eſſentiæ divinæ uniuntur ratione: Ergo in Deo eſt compoſitio rationis.

Diſtinguunt adverſarii majorem. Ubi ſunt plura ratione diſtincta inter ſe unita, ibi eſt compoſitio rationis, ſi illorum unitorum unum habet rationem potentiæ & perfectibilis, alterum rationem actûs & perfectivi, concedunt: ſecùs, negant: At (inquiunt) nihil eſt in Deo, quòd habeat rationem potentiæ & perfectibilis.

Refelluntur. Eſſentia divina ſecundùm modum noſtrum concipiendi perficitur ab attributis: Ergo reſpectu illorum habet rationem perfectibilis ſecundùm modum noſtrum concipiendi. Nonne attributa divina vocantur perfectiones divinæ? Quare, niſi quia eſſentia divina ab illis per mentem per-

ficitur ? Nonne admittunt adverſarii Deum formaliter ſpectatum ſecundùm ſuos gradus eſſentiales non includere formaliter juſtitiam , miſericordiam & cæteras perfectiones attributales ? Numquid illa attributa formaliter ſpectata ſunt perfectiones quædam, cùm ſint formaliter ſummæ virtutes Dei ? quomodo ergo negabunt virtutes & perfectiones Dei ſecundùm modum noſtrum concipiendi Deum perficere ? Quare ſcrupuloſi ſunt in verbis , cùm rem admittant ?

Sed , inquiunt , perfectibilitas dicit imperfectionem.

Diſtinguo. Perfectibilitas privata aut privabilis actu , concedo : perfectibilitas mente tantùm præciſa ab actu , nego.

Objicies. Si daretur compoſitio rationis in Deo , Deus non eſſet ſimpliciſſimus.

Diſtinguo. Deus non eſſet ſimpliciſſimus , ratione , concedo : realiter , nego.

Inſtabis. Melius eſt eſſe ſimpliciſſimum etiam ratione , quàm realiter tantùm.

Nego. Simplicitas enim rationis arguit rem parùm eſſe perfectam, quandoquidem res ſimplex ratione , à noſtro intellectu finito , unico conceptu exhauriri poteſt.

Urgebis. Sed nequidem Deus eſſet ſimpliciſſimus realiter , eſſet enim compoſitus virtualiter : Ergo realiter , cùm compoſitio virtualis ſit à parte rei.

Nego ſubſumptum ; ad cujus probationem, nego conſequentiam. Valetne iſta conſequentia : Sol eſt calidus virtualiter : Ergo eſt calidus realiter ? Neutiquam , imò valet iſta ;

Sol eſt tantùm calidus virtualiter : Ergo non eſt calidus realiter. Ita à pari, valet iſta conſequentia , Deus eſt tantùm compoſitus virtualiter : Ergo non eſt compoſitus realiter; compoſitio enim virtualis non eſt compoſitio, ſed fundamentum compoſitionis mentalis ; ſicut calor virtualis non eſt calor, ſed vis productiva caloris.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Perfectione Dei.

P*Erfectum eſt cui nihil deeſt*, ex ſancto Thoma 1. parte quæſt. 4. art. 1. vel quod eſt debitis omnibus numeris abſolutum.

Perfectio eſt complementum quoddam, quidam actus, quædam forma aut veluti forma.

CONCLUSIO.

Deus perfectiſſimus eſt.

EST ipſius Philoſophi 6. cap. libri de mundo ; ubi dicit Deum eſſe potentiâ fortiſſimum, pulchritudine formoſiſſimum, vitâ immortalem, virtute optimum.

Probat hanc concluſionem ſanctus Thomas loco mox citato ; hoc modo : *Deus eſt primum principium , in genere cauſæ efficientis : & hoc oportet eſſe perfectiſſimum : ſicut enim materia , in quantum hujuſmodi, eſt in potentia ; ita agens , in quantum hujuſmodi, eſt in actu. Unde primum principium activum oportet maximè eſſe in actu ; & per con-*

ſequens maximè perfectum : ſecundùm hoc enim dicitur aliquid eſſe perfectum, ſecundùm quod eſt in actu.

Probatur ſecundò. Quod continet omnes perfectiones poſſibiles, eſt perfectiſſimum : Atqui Deus continet omnes perfectiones poſſibiles ; (quia omnes perfectiones poſſibiles vel ſunt increatæ, vel creatæ. Increatæ in alio non poſſunt eſſe quàm in Deo ; creatas etiam continet, cum ſit earum principalis cauſa effectrix ; cauſa autem principalis effectrix debeat continere perfectiones omnium ſuorum effectuum, cùm nemo det quod non habet :) Ergo Deus eſt perfectiſſimus. Hoc ratiocinium colligitur ex Pſal. 93. ubi ſic habetur : *Qui plantavit aurem, non audiet : & qui finxit oculum, non conſiderat ?* Et ex Sapientiæ cap.13. ubi Sapiens ex perfectionibus & virtutibus elementorum & ſyderum ſic argumentatur contra Ethnicos qui ea ut Deos colebant : *Quorum ſi ſpecie delectati, Deus putaverunt : ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior ; ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit : aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis ; quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis.* Et ex ſancto Dionyſio cap. 5. libri de divinis nominibus, ubi dicit de Deo : quòd *non quidem hoc eſt, hoc autem non eſt, ſed omnia eſt ut omnium cauſa.*

Quæres quomodo Deus contineat omnes perfectiones. Quod ut ſolvas,

Nota perfectiones triplicis generis diſtingui à quibuſdam Theologis : ſcilicet perfe-

ctiones ſimpliciter ſimplices , perfectiones ſimplices , & perfectiones ſecundùm quid.

Perfectiones ſimpliciter ſimplices, definiuntur à ſancto Damaſceno , quæ meliores ſunt ipſæ quàm non ipſæ in genere Entis , quatenus Ens eſt. Ab aliis , quæ non dicunt repugnantiam cum ullâ majori aut æquali perfectione , ut libertas , juſtitia, &c.

Perfectiones ſimplices ſunt illæ quæ habent incompatibilitatem cum æquali , non autem cum majori perfectione , ut relationes perſonales ſanctiſſimæ Trinitatis.

Perfectiones ſecundùm quid , ſunt illæ, quæ habent incompatibilitatem cum majori perfectione ; ut rationalitas , quæ habet incompatibilitatem cum infinita intellectivitate. Hæ perfectiones dicuntur impuræ ; ſuperiores , puræ ; primæ , puriſſimæ ; His poſitis.

Reſpondeo primò , Deum continere formaliter perfectiones ſimpliciter ſimplices ; quia Deus eas continet eo modo quo continere debet ut ſit perfectiſſimus : Atqui perfectiones ſimpliciter ſimplices continere debet formaliter ut ſit perfectiſſimus , cùm ex ſancto Damaſceno meliores ſint ipſæ quàm non ipſæ : v. g. melius eſt ens aliquod eſſe cognoſcens & volens formaliter, quàm non eſſe : Ergo Deus perfectiones ſimpliciter ſimplices continet formaliter?

Reſpondeo ſecundò , Deum perfectiones ſimplices continere formaliter , ſi ſpectetur ut trinus eſt ; quia per eas conſtituitur in eſſe trini : continere autem tantùm eminenter &

radicaliter, ſi ſpectetur ut unus eſt; quia ut unus præcisè non eſt trinus, ſed habet tantùm radicem quandam virtualiter effuſivam trium perſonalitatum.

Reſpondeo ultimò, Deum perfectiones ſecundùm quid continere eminenter; quia cùm ſit earum cauſa princeps, eas continet vel formaliter vel eminenter: Atqui non continet formaliter, alioqui careret aliquâ majori perfectione, cum perfectiones ſecundùm quid dicant repugnantiam cum majori perfectione: Ergo eas tantùm continet eminenter.

PUNCTUM TERTIUM.

De Infinitate Dei.

INfinitum eſt quod fine caret, proindéque infinitum in perfectione eſt illud quod nullos habet perfectionis limites.

Infinitum, veteres deſcribebant, Id cujus nihil eſt extrà. Sed eos meritò redarguit Ariſtoteles l.3. Phyſicorum c.9. eò quòd hæc definitio non ſit definitio infiniti; ſed definitio totius & perfecti: quapropter infinitum ſic deſcribit Philoſophus ibidem.

Infinitum eſt id cujus ſemper eſt aliquid extrà; vel id ex quo ſecundùm quantitatem ſumentibus ſemper aliud & aliud ſumere licet.

Infinitum dividitur primò, in infinitum abſolutè ſeu in omni genere, quod omnes omnium rerum perfectiones continet: & in infinitum ſecundùm quid, quod certi cujuſdam

generis perfectiones habet innumeras; ut ſi daretur linea infinita.

Dividitur ſecundò, in infinitum categorematicum, & infinitum ſyncategorematicum.

Infinitum categorematicum eſt illud quod de facto habet perfectiones infinitas; vel innumeras partes æquales & non communicantes.

Infinitum ſyncategorematicum eſt illud quod poteſtate quidem perfectiones vel partes habet innumeras, ita ut tamen nunquam ultimum habere poſſit complementum. Uno verbo, illud eſt quod creſcere vel decreſcere poteſt ſine ullo incrementi vel decrementi termino, unde meliùs indefinitum quàm infinitum vocaretur.

Infinitum illud triplex eſt: ſcilicet per additionem, quod ſemper creſcere poteſt abſque termino, ut numerus: per detractionem, quod ſemper decreſcere poteſt abſque termino, ut magnitudo: & per ſucceſſionem, quod poteſt ſucceſſivè habere plures & plures partes ſine termino, ut Motus & Tempus, ut inſinuat Philoſophus loco cit.& undecimâ Metaph. libri cap.9.

CONCLUSIO.

Deus eſt abſolutè infinitus.

PRobatur primò ex Scripturis. Pſal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis,* Baruch. c. 3. *Magnus eſt & non habet finem.*

Probatur ſecundò. Illud eſt abſolutè infi-

nitum quod continet omnes omnino perfectiones: Atqui Deus continet omnes omnino perfectiones, ex dictis puncto ſuperiori: Ergo eſt abſolutè infinitus.

Probatur tertiò. Ens à ſe, infinitum eſt in omni genere perfectionis, ut docuimus capite ſuperiori, in ultimâ probatione ultimæ concluſionis: Atqui Deus eſt ens à ſe: Ergo infinitus eſt in omni genere perfectionis.

APPENDIX.

Utrùm poſſibile ſit infinitum creatum?

SEquimur hîc methodum S. Thomæ qui primâ parte, poſtquàm probavit Deum eſſe infinitum propter connexionem objectorum, quærit utrùm poſſibiles ſint creaturæ infinitæ.

Certum eſt primò, impoſſibilem eſſe creaturam infinitam in omni genere; quia vel illa creatura ſuperaretur à Deo, vel non. Si ſuperaretur, non eſſet infinita in omni genere, quia non contineret perfectiones quibus ſuperaretur: Si non ſuperaretur à Deo, jam non eſſet creatura, ſed Deus, quia æquè eſſet independens ac Deus ipſe.

Ex quo ſequitur, impoſſibilem eſſe creaturam infinitam in eſſentiâ; quia eſſentia genus eſt generaliſſimum, & proinde ſi daretur creatura infinita in eſſentiâ, daretur creatura infinita in omni genere; impoſſibile eſt enim aliquid eſſe infinitum in aliquo genere, quod non ſit infinitum in ſpeciebus ejus, v. g. impoſſibile eſt aliquid eſſe infinitum

in

in genere magnitudinis, quod non ſit infinite longum, v. g. latum, & profundum.

Ex quo ulteriùs ſequitur, impoſſibilem eſſe creaturam infinitam in potentiâ activâ; quia potentia activa proprietas eſt eſſentiæ, proindéque ei commenſuratur: Atqui impoſſibilis eſt creatura infinita in eſſentia: Ergo & in potentiâ activâ.

Certum eſt ſecundò, de facto nullam eſſe creaturam infinitam; quia ex Sapientiæ c. 11. *Deus omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuit.*

Dices. Illud eſt infinitum quod res infinitas ſuperat: Atqui homo v. g. res infinitas ſuperat, (ſuperat enim creaturas omnes ipſo inferiores poſſibiles:) Ergo eſt infinitus.

Diſtinguo majorem. Illud eſt infinitum quod infinitas res ſuperat, ſi ſuperet infinitas perfectionibus aut aliquâ perfectione infinitâ, concedo: ſecus, nego: At homo cætera entia inferiora non ſuperat infinitis perfectionibus, aut unâ perfectione infinitâ. Sic baculum pedale ſuperat infinita bacula minora & minora; nec tamen eſt infinitum, quia ea non ſuperat infinitè.

Certum eſt 3. poſſibile eſſe infinitum ſyncategorematicum; numerus enim creſcere poteſt in infinitum ſyncategorematicè, magnitudo decreſcere in infinitum ſine fine, tempus durare in infinitum ſine termino, ut docet Philoſophus locis citatis.

Quæritur ergo tantùm utrùm poſſibile ſit aliquod Ens creatum categorematicè infinitum in aliquo genere, ſive in magnitudine,

ſive in multitudine, ſive in qualitate ſeu in intenſione? v. g. utrùm poſſibilis ſit linea infinita; numerus infinitus; calor infinitè intenſus? Cui quæſtioni quatuor aſſertionibus reſpondebimus.

PRIMA CONCLUSIO.

Impoſſibile eſt infinitum creatum.

PRobatur. Infinitudo repugnat creaturæ ut ſic; ergo impoſſibile eſt infinitum creatum. Probatur antecedens. Si infinitudo non repugnaret creaturæ ut ſic, perfectio communis Deo & creaturæ poſſet communicari creaturæ ſecundùm infinitudinem: Atqui perfectio communis Deo & creaturæ, non poteſt communicari creaturæ ſecundùm infinitudinem: ergo infinitudo repugnat creaturæ ut ſic. Probatur minor. Eſſentia, exiſtentia, potentia, ſcientia, ſunt communes Deo & creaturæ: Atqui non poſſunt communicari creaturæ ſecundùm infinitudinem, ut omnes fatentur: ergo perfectio communis Deo & creaturæ, non poteſt communicari creaturæ ſecundùm infinitudinem.

Confirmatur. Ita ſe habet infinitudo ad Deum, quomodo ſe habet finitudo ad creaturam: Atqui finitudo ita competit creaturæ, ut implicet contradictionem, eam competere Deo: ergo à pari, infinitudo ita competit Deo, ui implicet contradictionem, eam competere creaturæ: Si enim perfectiones Deo & creaturæ communes (ut eſſentia, potentia, ſcientia) æquè per infinitudinem red-

duntur incommunicabiles creaturæ, ac per finitudinem redduntur incommunicabiles Deo; concludendum eſt infinitudinem æquè repugnare creaturæ, ac finitudo repugnat Deo.

Objicies primò. Deus habet potentiam infinitam: Ergo producere poteſt effectum infinitum; quia talis poteſt eſſe effectus, qualis cauſa.

Nego conſequentiam. Alioqui poſſent ſic ratiocinari adverſarii: Deus habet potentiam independentem: ergo poteſt producere effectum independentem. Itaque, (ut ait ſanctus Thomas 1. parte quæſt.45. art.5. ad 3.) *virtus facientis non ſolùm conſideratur ex ſubſtantiâ facti, ſed etiam ex modo faciendi.* Infinitudo ergo potentiæ divinæ potiùs ſumitur ex modo, quàm ex ſubſtantiâ effectûs; nimirum ex eo quòd Deus agat independenter, agat ex nihilo; non poſſit aſſignari effectus tam perfectus, quin Deus poſſit ſemper producere perfectiorem & perfectiorem in infinitum ſyncategorematicè. Probationem diſtinguo. Talis poteſt eſſe effectus, qualis cauſa: ſi ſit cauſa univoca, concedo: ſi æquivoca, nego: Alioqui Deus poſſet producere alium Deum.

Objicies ſecundò. Deus non eſt minùs potens agendo liberè, quàm ſi ageret neceſſariò: Atqui ſi ageret neceſſariò, produceret effectum infinitum, ageret enim ſecundùm totum conatum ſuæ potentiæ, proindéque produceret aliquid quo nihil majus poſſet produci, & proinde infinitum: Ergo Deus poteſt producere aliquid infinitum.

Reſpondeo, non licere concludere affirmativè ex hypotheſi impoſſibili; Alioqui ſic poſſem concludere, Deus non eſt minùs potens quàm equus rationalis, ſi daretur: Atqui ſi daretur equus rationalis, poſſet producere alium equum rationalem; ergo poteſt & Deus. Ratio à priori eſt, quia hypotheſis impoſſibilis æquivalet negationi, ex præmiſsâ autem negativâ non licet inferre concluſionem affirmativam. At argumentum adverſariorum concludit affirmativè ex hypotheſi impoſſibili: Nam ſi Deus eſſet agens neceſſarium ad extrà; Deus non eſſet Deus, ſed chimæra, proindéque nihil producere poſſet. Ut autem illius argumenti inanitas pateat. vide utrùm benè concludat ſequens argumentum: Deus non eſt minùs potens agendo liberè, quàm ſi ageret neceſſariò: Atqui ſi ageret neceſſariò, produceret quadratum infinitum; ageret enim ſecundùm totum conatum ſuæ potentiæ, proindéque produceret quadratum, quo nullum majus poſſibile eſſet: Ergo nunc poteſt producere quadratum infinitum.

Objicies tertiò. Datur infinitum poteſtate: Ergo poteſt dari infinitum actu. Probatur conſequentia. Ex eo quòd detur ſecundus ſol poteſtate, ſequitur poſſe dari ſecundum ſolem actu: ergo à pari, ex eo quòd detur infinitum poteſtate, ſequitur quòd dari poſſit infinitum actu.

Reſpondeò æquivocationem latere in voce, *poteſtate*; quæ vox ſi cadat in, *infinitum*, verum efficit ſenſum; idem enim eſt tunc, ac ſi

diceretur ; datur infinitum ſyncategorematicum : ſi verò cadat in verbum, *datur*, falſum reddit ſenſum ; idem enim eſt ac ſi diceretur, dari poteſt infinitum.

Inſtabis. Infinitum ſyncategorematicum reduci poteſt ad actum ; ergo dari poteſt infinitum actu.

Diſtinguo antecedens. Poteſt reduci ad actum inadæquatum, concedo : Adæquatum, nego.

Urgebis. Omnis potentia poteſt reduci ad actum adæquatum : Ergo nulla ſolutio.

Diſtinguo antecedens. Potentia categorematica & conſummabilis, concedo : Potentia ſyncategorematica & inconſummabilis, nego. Sic nunquam diviſibilitas continui, & durabilitas animæ rationalis aut Angeli, reduci poterunt ad actum adæquatum. Unde, *quando loquimur de infinito poteſtate, non oportet potentiâ exiſtens ſic accipere, ſicut, ſi poſſibile ſit hoc ſtatuam eſſe, & erit ſtatua ; ſed ut dies, & ut certamen olympicum*, inquit Philoſophus l.3. Phyſicorum c.6.

Secunda Conclusio.

Impoſſibilis eſt magnitudo infinita.

Probatur primò ex profeſſo ab Ariſtotele l.3. Phyſicorum c.3. & l.11. Metaphyſicorum c.9. & à ſancto Thomâ primâ parte, quæſt. 7. art.3. tum de magnitudine mathematicâ, tum de quantitate in corpore phyſico exiſtente.

Probatur ſecundò ratione. Nulla magnitu-

do poteſt eſſe ſine figura: Atqui quod habet figuram, finitum eſt. (*Figura eſt enim, qua termino vel terminis comprehenditur*, inquit ſanctus Thomas loco citato:) ergo nulla poteſt eſſe magnitudo infinita. Probatur major. Ita ſe habet figura ad magnitudinem, ſicut ſe habet ſubſiſtentia ad ſubſtantiam completam: Atqui nulla ſubſtantia eſſentialiter completa poteſt eſſe ſine ſubſiſtentiâ: Ergo nulla magnitudo poteſt eſſe ſine figura.

Probatur tertiò multis hypotheſibus, ex quibus tres ſeligimus.

Prima. Sit iter infinitum tranſiens per hanc urbem, in cujus ſingulis leucis, Deus ſingulos homines producat: Illi homines erunt numero infiniti, cùm in itinere infinito infinitæ ſint leucæ. Deinde Deus illos homines deſtruat, & poſteà reproducat, ita ut poſteà omnes manibus ſeſe teneant. Hac factâ hypotheſi; vel illa chorea toum iter occupabit, vel non: Non poteſt dici quòd totum iter occupabit, quia anteà inter ſingulos homines ſingulæ intercipiebantur leucæ; nec plures ſunt homines, quam anteà. Non poteſt etiam dici quòd non occupabit totum iter, quia cùm ſit infinita chorea, infinitum ſpatium occupare debet. Ergo impoſſibilis eſt magnitudo infinita.

Secunda. Supponamus Deum producere filum infinitè longum, poſteà idem filum reproducere in glomos: vel illud glomus occupabit omnia planè ſpatia, correſpondebitque toti immenſitati divinæ, vel non: Neu-

trum dici poteſt. Primò, non poteſt dici quòd correſpondeat toti immenſitati divinæ; nam anteà occupabat tantùm longitudinem infinitam: Ergo poſteà non poteſt occupare ſpatium ſecundùm omnes dimenſiones infinitum. Non poteſt etiam dici quòd non correſpondeat toti immenſitati, quia cùm glomus illud conſtet filo infinito, & æqualis ſit ſecundùm omnes ſuas dimenſiones, ut potè rotundus, debet occupare ſpatium ſecundùm omnes dimenſiones infinitum.

Tertia. Supponamus Deum producere baculum infinitum conſtantem alternis pedibus albis & nigris, poſteà annihilare omnes pedes nigros, & unire albos: vel baculus conſtans pedibus albis erit infinitus, vel finitus. Non finitus, quia conſtabit pedibus infinitis: non etiam infinitus, quia erit tantùm dimidium prioris baculi: dimidium autem minus eſt toto; cùm omne totum ſit majus ſuâ parte.

Reſpondent adverſarii majus & minùs non reperiri in rebus infinitis.

Optimè. Atqui (ſubſumo) majus & minus reperiuntur in qualibet magnitudine poſſibili, cùm quælibet magnitudo diviſibilis ſit in partes ſe ipsâ minores; ergo nulla poſſibilis eſt magnitudo infinita.

Objicies 1. Geometræ ſupponunt dari lineas infinitas: (ſic enim ſæpiùs loquuntur,) ſit talis linea infinita, protrahatur in infinitum, &c. Ergo poſſibilis eſt magnitudo infinita.

Reſpondet ſanctus Thomas quæſt. citatâ

art. 3. ad primum: *Dicendum quòd geometer non indiget ſumere aliquam lineam eſſe infinitam actu, ſed indiget accipere aliquam lineam finitam actu, à quâ poſſit ſubtrahi quantum neceſſe eſt; & hanc nominat lineam infinitam.* Similia habet Philoſophus lib. 3. Phyſicorum cap. 7.

Objicies ſecundò. Deus poteſt producere corpus correſpondens toti ſuæ immenſitati: Atqui tale corpus foret infinitum: Ergo Deus poteſt producere corpus infinitum. Probatur major. Nulla eſt pars virtualis immenſitatis divinæ, in quâ Deus non poſſit producere aliquam partem alicujus corporis: Ergo Deus poteſt producere corpus aliquod correſpondens toti ſuæ immenſitati.

Nego majorem. Ad probationem diſtinguo antecedens. Nulla eſt pars virtualis immenſitatis divinæ, in quâ Deus non poſſit producere aliquam partem alicujus corporis; id eſt aliquam partem alicujus corporis in qualibet parte virtuali immenſitatis ſuæ producere poteſt, in qualibet parte diſtributivè ſumptâ, concedo: collectivè ſumptâ, nego.

Tertia Conclusio.

Impoſſibilis eſt Numerus infinitus,

Probatur primò, tum ab Ariſtotele locis citatis; Quia, Inquit, de ratione numeri eſt ut ſit numerabilis; hoc autem repugnat infinito ut potè impertranſibili. Tum à S. Thoma quæſtione citatâ, art. 4.

Probatur ſecundò ratione. Illud non eſt infinitum, quo majus aliquid dari poteſt (infinito enim nihil poteſt eſſe majus; Alioquin infinitum poſſet ſuperari; ſicque infinitum foret finitum; quidquid enim ſuperatur, finitur eo ipſo quo ſuperatur:) Atqui quolibet numero aſſignabili poteſt dari major; nam ſi darentur infinitæ numero ſexpedæ, v. g. plures eſſent pedes, quàm ſexpedæ; & plures palmi, quàm pedes: Si darentur homines infiniti numero, plures eſſent digiti quàm homines, & plures capilli quàm digiti: Ergo impoſſibilis eſt magnitudo infinita.

Probatur tertiò hac hypotheſi. Producat Deus infinito hominess, & unicuique det nummum, & homines projiciant ſinguli ſuos nummos in cumulum: Vel ex illo cumulo ſinguli poterunt deſumere centum nummos, vel non poterunt. Non poterunt, quia non erunt plures nummi quàm anteà: Poterunt tamen, quia cùm numerus nummorum foret infinitus, exhauriri non poſſet.

Objicies primò. Potentia Dei non eſt minor quàm ejus intellectus: Atqui intellectus divinus cognoſcit numerum actu infinitum; cùm cognoſcat omnes creaturas poſſibiles: Ergo potentia Dei producere poteſt numerum infinitum.

Diſtinguo majorem. Potentia Dei non eſt minor in genere producibilium quàm ejus intellectus in genere intelligibilium, concedo: non eſt minor extenſivè, hoc eſt non ſe extendit ad pauciora objecta, nego: alioqui potentia divina poſſet producere entia ra-

tionis, peccata, diviſiones omnes continui poſſibiles, &c.

Inſtabis. Ex conceſſis intellectus divinus non eſt major in genere intelligibilium, quàm potentia divina in genere producibilium: Atqui intellectus divinus poteſt hîc & nunc intelligere omnia intelligibilia; ita ut nihil reſtet intelligendum: Ergo à pari potentia divina poteſt producere hîc & nunc omnia poſſibilia, ita ut nihil reſtet producendum.

Nego paritatem; Deus enim hîc & nunc cognoſcit omnes diviſiones continui poſſibiles; nec tamen poteſt hîc & nunc omnes procurare; cognoſcit omnes dies poſſibiles per totam æternitatem, nec tamen omnes poteſt nunc producere. Ratio diſparitatis eſt, quòd modus cognitionis ſyntheticus ſit & compoſitorius, modus verò productionis analyticus & reſolutorius; & ratio à priori eſt quòd res cognoſcantur ſecundùm modum cognoſcentis, producantur autem ſecundùm ſuum modum proprium: Hinc Deus cognoſcit res corporeas, ſpiritali modo: res ſucceſſivas, inſtantaneo modo; nec tamen ſic eas producit.

Objicies ſecundò. Deus poteſt hîc & nunc producere in rebus permanentibus quidquid poteſt producere ſucceſſivè. Atqui ſucceſſivè poteſt producere infinitos Angelos v. g. Ergo poteſt ſimul.

Diſtinguo minorem. Deus poteſt ſucceſſivè producere infinitos Angelos ſyncategorematicè, concedo: categorematicè, nego. Di-

ſtinguo conſequens; Ergo nunc Deus poteſt producere Angelos infinitos, ſyncategorematicè, concedo: categorematicè, negò. Non enim poteſt tantus aſſignari numerus Angelorum, quin Deus majorem ſemper producere poſſit, quod arguit inexhauſtam illius poteſtatem.

Inſtabis. Inter omnes Angelos poſſibiles, nullus eſt quem Deus hîc & nunc non poſſit producere: Ergo poteſt hîc & nunc producere omnes.

Diſtinguo conſequens: Ergo Deus poteſt hîc & nunc producere omnes Angelos poſſibiles, diſtributivè, concedo: collectivè, nego. Nam à ſenſu diſtributivo ad collectivum non valet conſequentia, ut docent Dialectici. v. g. ex eo quòd nullus ſit nummus Pariſiis quem hodie aliquis bajulus non poſſit ferre, non ſequitur eum ferre poſſe omnes.

Urgebis. Licet à ſenſu diſtributivo ad collectivum non valeat conſequentiam reſpectu potentiæ finitæ, valet reſpectu infinitæ: Atqui potentia Dei infinita eſt: Ergo ex eo quod poſſit omnes Angelos diſtributivè producere, optimè ſequitur quòd eoſdem collectivè producere poſſit.

Diſtinguo majorem. A ſenſu diſtributivo ad collectivum valet conſequentia reſpectu potentiæ infinitæ, ubi collectio ſecundùm ſe poſſibilis eſt, concedo: ſecus; nego. Sic nulla eſt pars diſtributivè in continuo, quam hodie Deus dividere non poſſit, non tamen poteſt omnes collectivè dividere.

Objicies tertio. In unâ horâ infinita ſunt inſtantia. Atqui ſingulis Deus poteſt producere unam creaturam v. g. unum Angelum: Ergo unâ hora poteſt producere infinitum numero creaturas.

Diſtinguo majorem. In unâ horâ ſunt inſtantia infinita, poteſtate & ſyncategorematicè, concedo: actu & categorematicè, nego. Diſtinguo minorem. Singulis inſtantibus diſtributivè ſumptis poteſt Deus producere unam creaturam, concedo: ſingulis inſtantibus collectivè ſumptis nego. Unde tantùm ſequitur quòd Deus ſpatio unius horæ poſſit producere creaturas numero infinitas ſyncategorematicè.

Objicies quartò. Deus cognoſcit nunc cogitationes Angelorum per totam æternitatem volubiles. Atqui illæ ſunt infinitæ numero actu, ſaltem objectivè; quia nunc actu objectivè exiſtunt in mente divinâ, in quâ exiſtentiâ objectivâ eadem reperitur difficultas, quæ reperitur in exiſtentiâ reali, nimirùm quòd detur infinitum infinito majus; futuræ enim cogitationes omnium Angelorum plures ſunt, quàm cogitationes unici Angeli: Ergo poſſibilis eſt numerus infinitus.

Nego minorem. Cujus probationem diſtinguo. Cogitationes Angelorum volubiles per totam æternitatem ſunt in mente divina actu, actualitate cognitionis, hoc eſt Deus eas actu cognoſcit, concedo: actualitate objecti, hoc eſt Deus cognoſcit earum determinatum numerum, eumque poteſt aſſignare, nego. Nam Deus cognoſcit res ut ſunt, co-

gitationes autem Angelorum ſunt tantùm infinitæ potentiâ inconſummabili: proindéque Deus eas tantùm videt ut infinitas potentiâ inconſummabili.

Objicies quintò. Tot nunc produci poſſunt à Deo entia, quot nunc ſunt negationes entium: Atqui nunc ſunt infinitæ numero negationes entium: Ergo nunc produci poſſunt infinita numero entia.

Ridiculum eſt, numerum entium repetere ex numero negationum; cùm enim negationes ſpecificentur ab entibus, quorum ſunt negationes, ab illis quoque ſuam unitatem & multitudinem deſumunt; cùm eadem ſint principia unitatis & multitudinis, quæ ſpecificationis. Unde diſtinguo minorem. Nunc ſunt negationes numero infinitæ potentiâ, concedo: actu, nego. Ex quo ſequitur tantùm Deum poſſe producere nunc entia numero infinita poteſtate & ſyncategorematicè.

Objicies ſextò. Poteſt Deus facere hoc inſtanti, quidquid poteſt facere hoc inſtanti; (hæc enim propoſitio identica eſt; proindéque non poteſt eſſe falſa.) Faciat ergo Deus hoc inſtanti quidquid poteſt facere hoc inſtanti; vel illud erit finitum, vel infinitum: Non finitum, alioqui potentia Dei limitaretur ad aliquid finitum: Ergo infinitum.

Diſtinguo majorem, Poteſt Deus facere hoc inſtanti quidquid poteſt facere hoc inſtanti, eo modo quo poteſt, concedo: alio modo, nego: poteſt ergo Deus producere hoc inſtanti plura & plura, perfectiora & perfectiora in infinitum ſyncategorematicè. Faciat

ergo nunc quidquid poteſt eo modo quo poteſt. Reſpondeo illud fore finitum; & in eâ multitudine & perfectione, quam Deus ſibi voluerit præſcribere, Deus enim eſt agens liberum, quòd poteſt ſibi præſcribere effectus producendos ad libitum plures & perfectiores in infinitum ſyncategorematicè. Hujus ſolutionis veritas patet ex inſtantiis. v. g. Deus poteſt peragere hoc inſtanti omnes diviſiones continui, quas poteſt peragere hoc inſtanti: peragat; peto ab adverſariis utrùm futuræ ſint neceſſariò infinitæ. Item Deus poteſt hoc inſtanti tantum producere quadrangulum, quantum poteſt hoc inſtanti: producat ergo; quæro ab adverſariis utrùm tale quadrangulum futurum ſit infinitum.

Inſtabis. Quidquid eſt factibile à Deo hoc inſtanti poteſt à Deo fieri hoc inſtanti: Atqui omnia entia ſaltem permanentia, ſunt à Deo factibilia hoc inſtanti: Ergo poſſunt omnia fieri hoc inſtanti, proindéque poſſunt produci infinita numero entia.

Diſtinctâ majore eodem modo, quo diſtinximus ſuperiorem majorem, Diſtinguo minorem. Omnia entia permanentia ſunt à Deo factibilia hoc inſtanti diſtributivè, concedo: collectivè, nego. Sic omnes diviſiones continui à Deo factibiles ſunt diſtributivè, non tamen collectivè; alioqui continuum redigi poſſet ad indiviſibilia.

QUARTA CONCLUSIO.

Impoſſibilis eſt qualitas infinitè intenſa.

PRobatur primò ab Ariſtotele l. 1. de cælo cap.8.ubi abſurdum exiſtimat Philoſophus dari gravitatem & levitatem infinitam, quia motus ab illis proveniens fieret in inſtanti.

Probatur ſecundò de qualitatibus alterativis; v. g. de calore, frigore, &c. Infinitum in intentione alterativâ ferè coincidit cum infinito in multitudine; (intenſio enim in communi opinione fit ex pluribus partialibus gradibus: (Atqui impoſſibile eſt infinitum in multitudine infinitâ ex ſuperiori concluſione: Ergo & in qualitate alterativâ.

Probatur tertiò de cæteris qualitatibus. Si poſſibilis eſſet intenſio infinita, poſſibile eſſet lumen gloriæ infinitum, poſſibilis viſio beatifica infinita: Conſequens dici non poteſt ſalvâ incomprehenſibilitate Dei: Ergo nec antecedens

Objicies. Deus non eſt minùs potens, quàm foret calor infinitus, ſi daretur: Atqui ſi daretur calor infinitus, poſſet producere alium calorem infinitum: Ergo poteſt & Deus.

Nego conſequentiam; Nam argumentum concludit affirmativè ex hypotheſi impoſſibili; quod vitioſum eſt, ut ſuperiùs docuimus.

PUNCTUM QUARTUM.

De Immutabilitate Dei.

IMmutabilitas eſt attributum, cujus beneficio res nihil deperdere poteſt aut acquirere entitatis & perfectionis.

CONCLUSIO.

Deus eſt immutabilis.

PRobatur primò ex Scripturis paſſim. Malachiæ cap. 3. *Ego Dominus & non mutor.* Jacobi cap. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio,*

Probatur ſecundò authoritate Ariſtotelis; qui l.12. Metaphyſicorum cap.7. primum movens vocat immobile, impaſſibile, inalterabile. Eadem ferè docet Plato in medio Phædonis.

Probatur tertiò ratione. Si Deus poſſet mutari, vel mutaretur acquirendo, vel deperdendo. Non acquirendo, alioqui prius Deus non fuiſſet perfectiſſimus. Non etiam deperdendo, alioqui poſſet evadere imperfectus, ſicque jam foret imperfectus; Imperfectio enim eſt poſſe evadere imperfectum: Ergo Deus non poteſt mutari.

Objicies 1. Ille mutari poteſt quem poteſt pœnitere: Atqui Geneſeos cap.6. ante generalem cataclyſmum Deum pœnituit feciſſe hominem: Ergo Deus mutari poteſt.

Diſtinguo majorem. Ille mutari poteſt quem poteſt pœnitere affectivè, concedo: effectivè

effectivè tantùm, nego: At tunc Deum tantùm pœnituit effectivè, id eſt eoſdem effectus procuravit, totum ferè genus humanum aquis ſubmergendo, ac ſi de facto eum pœnituiſſet: Nihilominus non habuit in ſe amarum quemdam dolorem, in quo tamen eſſentialiter conſiſtit pœnitentia. Optimè ſanctus Auguſtinus l. 1. Confeſſionum c. 4. Deum ſic alloquitur. *Amas, nec æſtuas; zelas, & ſecurus es; pœnitet te & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas conſilium.*

Objicies ſecundò. Deus aliquando mutavit conſilium; Nam olim dixit Ezechiæ Regi per Iſaïam: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Poſteà per eundem Prophetam eidem dixit, *Ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Iſaiæ c. 38. Ergo Deus mutabilis eſt.

Nego antecedens. Quia prima propoſitio erat hypothetica, hoc eſt ex hypotheſi quòd Rex ille Deum non oraſſet; Propoſitio autem hypothetica non retractatur per abſolutam oppoſitam.

Objicies tertiò. Deus de non creatore factus eſt creator: Ergo mutatus eſt.

Diſtinguo conſequens; Deus mutatus eſt connotativè & denominativè tantùm, proindéque valdè impropriè, concedo: Entitativè & propriè, nego.

PUNCTUM QUINTUM.

De Immenſitate Dei.

IMmenſitas eſt attributum, cujus beneficio res habet ut ſit ſubſtantialiter ubique.

PRIMA CONCLUSIO.

Deus eſt in omnibus rebus.

PRobatur primò ex Scripturis, Jeremiæ c. 23. *Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus: Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Baruch. c. 3. *Magnus eſt & non habet finem; excelſus & immenſus.*

Probatur ſecundò ratione. Omnis cauſa eſt ſubſtantialiter in effectu à ſe eſſentialiter pendente, dependentia enim eſſentialis, immediata eſt, ut patet ex dependentiâ totius phyſici à partibus, & operationum vitalium ab animâ: Atqui res omnes eſſentialiter pendent à Deo, ut docuimus agendo de causâ primâ: Ergo Deus eſt ſubſtantialiter in omnibus rebus. Hac demonſtratione utuntur Pſaltes Regius Pſalmo 138. his verbis: *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*: Et Apoſtolus Actuum c. 17.

his verbis : *Quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrum : in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.*

Porrò tres ſunt modi generales, quibus Deus eſt in rebus omnibus, ſcilicet per eſſentiam ſeu ſubſtantiam, per potentiam ſeu operationem, & per præſentiam ſeu cognitionem.

Deus eſt in omnibus per eſſentiam, in quantùm ejus ſubſtantia intimè per omnia diffuſa eſt, ſecundùm illud Ieremiæ c. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Eſt in omnibus per potentiam, in quantùm in rebus omnibus operatur producendo; conſervando, concurrendo, ſecundùm illud primæ ad Corinthios cap. 12. *Omnia operatur in omnibus.* Eſt in omnibus per præſentiam, in quantùm ubique videt quæcunque ibi peraguntur, ſecundùm illud ad Hebræos c. 4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.*

Objicies: Sexto capite libri de mundo, dicitur. Deum eſſe tantùm in cœlo.

Diſtinguo. Specialiori quodam modo, eò quòd utatur cælis tanquam inſtrumentis quibuſdam generalibus ad omnes effectus ſublunares producendo, concedo : ſimpliciter, nego. Nam initio capitis Philoſophus laudat antiquos, qui docebant hæc omnia eſſe Deo plena.

SECUNDA CONCLUSIO.

Deus eſt ultrà cœlos.

PRobatur primò ex 11. capite Hiſtoriæ Job, ubi Deus dicitur excelſior cœlo, profundior inferno, longior terrâ, latior mari, & ex l.3. Regum c.8. ubi introducitur Salomon ſic Deum alloquens in dedicatione ſui Templi: *Si enim cælum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc quam ædificavi?*

Probatur ſecundò, authoritate Triſmegiſti, à quo Deus deſcribitur, ſphæra intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam.

Probatur tertiò ratione. Niſi Deus eſſet ultrà cœlos, eſſet mutabilis, quia poſſet acquirere majorem diffuſionem virtualem ſuæ ſubſtantiæ; cùm poſſet producere novos mundos ultrà cœlos, in quibus inciperet eſſe, Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Nec juvat reſpondere quòd in illa hypotheſi mutaretur tantùm extrinſecè; ut cùm producit aliquam creaturam de novo.

Nam quod acquirit majorem diffuſionem virtualem ſuæ ſubſtantiæ, mutatur etiam intrinſecè. Verum quidem eſt quod quando Deus nunc producit aliquam creturam, mutatur tantùm extrinſecè, quia priùs erat ubi producit illam creaturam: At non eſt ſimilis ratio noſtræ hypotheſos, quia in noſtra hypotheſi Deus inciperet eſſe ubi priùs

non erat ; proindéque verè mutaretur localiter.

Confirmatur. Si Deus non eſſet ultrà cœlos, poſſet eſſe diſtans à ſeipſo ; (nihil enim obſtat quominùs producat mundum aliquem diſtantem à noſtro ; in qua hypotheſi eſſet in ambobus mundis, nec tamen eſſet in medio.) Abſurdum conſequens : Ergo & antecedens.

Probatur ultimò. Efficaciſſimâ paritate. Non minùs Deus per ſuam immenſitatem eſt ultrà loca realia, quàm per ſuam æternitatem fuerit ante tempora realia : Atqui per ſuam æternitatem fuit ante tempora realia, (alioquin incœpiſſet eſſe :) Ergo à pari, per ſuam immenſitatem eſt ultrà loca realia.

Objicies. Deus eſt tantùm in locis : Atqui ultrà cœlos nulla ſunt loca : Ergo Deus non eſt ultrà cœlos,

Nego majorem. Nam primus locus non eſt in loco, alioquin non eſſet primus locus ; At Deus, eſt primus locus rerum omnium ; quod enim primum eſt in unoquoque genere, eſt menſura cæterorum : immenſitas autem divina primaria eſt extenſio localis ; ſicut æternitas divina, eſt primaria duratio ; proindéque Deus per ſuam immenſitatem, menſura eſt omnium extenſionum localium ; ſicut per ſuam æternitatem, menſura eſt omnium durationum : proindéque immenſitas divina primarius eſt omnium rerum locus : unde *Deus eſt in* omnibus *rebus ſicut continens res*, inquit ſanctus Thomas 1. parte quæſt.8. art.1. ad ſecundum ; continere autem eſt proprium loci,

qua de re fuſiùs ſecundâ parte Phyſicæ, diſputatione de Loco.

Quapropter ſi quis de Deo ita quæreret : *Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet.*

Reſpondendum eſſet, *Tunc ubi nùnc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe, Ante omnia enim Deus erat ſolus ipſe ſibi, & mundus, & locus ; & omnia*, inquit Tertullianus libro adversùs Praxeam capite quinto.

Jam verò poſito quòd Deus ſit ultrà cœlos; quæritur utrùm ſit in ſpatiis imaginariis : quod ut intelligas,

Nota pleroſque Philoſophos admittere, quoddam ſpatium immenſum versùs unamquamque partem inane, & (ut aiunt) negativum, ab æterno extitiſſe, in cujus aliqua parte conditus ſit hic mundus, & in cujus aliis partibus tranſmundanis Deus condere poſſit plures, & plures mundos in infinitum. Procul dubio ſi non dentur illa ſpatia negativa tranſmundana, Deus non eſt in illis ; quare videndum eſt utrùm dentur.

Tertia Conclusio.

Spatia imaginaria reverâ ſunt imaginaria.

PRobatur primò ex ipſa appellatione : Cùm enim ſapientis ſit imponere nomina rebus ; probabile eſt antiquos Philoſophos hoc nomen ejuſmodi ſpatiis tranſmundanis impoſuiſſe, quòd putarint ea reverâ eſſe imaginaria & fictitia.

Probatur ſecundò. Si darentur ejuſmodi ſpatia, eſſent negativa, & non eſſent. Contradictorium conſequens : Ergo & antecedens. Eſſent negativa ex hypotheſi : non eſſent verò, quia quod contradictoriè opponitur negativo, poſitivum eſt : Atqui ſpatia imaginaria contradictoriè opponerentur alicui negativo : Nam ex adverſariis ſpatia illa ſunt non-repugnantia ad capienda corpora: At non-repugnantia opponitur contradictoriè repugnantiæ ; repugnantia autem, licet nomine poſitivo exprimatur, eſt tamen formaliter mera negatio ; cùm ſit conſtitutivum impoſſibilitatis, quæ ſecundùm omnes, negatio eſt.

Probatur ultimò. Si admittenda eſſent ſpatia imaginaria ultrà cœlos, maximè quia ultrà cœlos eſt non-repugnantia quædam locationis & continentiæ : Atqui hæc ratio nulla eſt ; nam duplex tantùm cogitari poteſt non-repugnantia locationis ultrà cœlos, ſcilicet non-repugnantia locationis paſſivæ ; & non-repugnantia locationis activæ. Prima eſt in creaturis poſſibilibus, quæ ex ſe non habent repugnantiam ut producantur & collocentur ultrà cœlos. Secunda eſt in ipsâ immenſitate divinâ, quæ aptitudinem habet ut plures & plures in infinitum creaturas contineat : Ergo propter illam non-repugnantiam continentiæ ultrà cælos non debent admitti ſpatia imaginaria.

Petunt adverſarii. Niſi eſſent ſpatia imaginaria ultrà cœlos, ubinam eſſet Deus ultrà cœlos?

Retorqueo quæſtionem ; & peto ab ipſis ubinam ſint eorum ſpatia imaginaria ultrà cœlos ? Nimirùm primus locus non eſt in loco, aliàs non eſſet primus locus contrà hypotheſim ; Deus autem ſicut eſt primum ens, ita eſt primum agens , & primum continens , in quo ſunt omnia locata. Deus enim eſt in creaturis ut continens, non ut contentus, inquit ſanctus Auguſtinūs lib. primi Confeſſionum cap.3. quia continet omnia non tantùm localiter , ſed & cauſaliter ; in quantum eſt in omnibus præſente potentiâ, non abſente naturâ, inquit idem S. Doctor.

Objicies. Sanctus Auguſtinus l.11. de Civitate Dei c. 5. vaniloquium appellat ſi quis neget Deum ab infinitis extrà mundum ſpatiis abſentem eſſe.

Reſpondeo ſanctum Doctorem ibi argumentari ad hominem, diſputat enim adverſùs veteres quoſdam Philoſophos qui mundum ab æterno fuiſſe contendebant, eò quòd abſurdum eſſet Deum per infinita temporum ſpatia otioſum fuiſſe ; quod ex eo refellit quòd ſi infinita ante mundum conditum tempora concipiunt, pari jure illis concipienda ſint infinita ſpatia extrà mundum ; in quibus infinitos mundos creare potuerit ; In quibus ſi abſurdum non eſt Deum nihil produxiſſe , patet nec abſurdum videri debere , quòd illis infinitis temporum ſpatiis nihil produxerit. Quòd verò non ex propriâ mente ſpatia & tempora imaginaria admiſerit, patet ex verbis quibus illud caput concludit. *Quòd ſi* (inquit) *dicunt inanes eſſe hominum*

hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cùm locus nullus ſit præter mundum: reſpondetur eis, inaniter etiam cogitare homines præterita tempora vocationis Dei, cùm nullum tempus ſit ante mundum; quòd etiam ipſe ſequenti capite ex profeſſo probat.

PUNCTUM SEXTUM.

De Æternitate Dei.

ÆTernitas optimè definitur à Boëtio l. 5. Conſolationis Philoſophicæ, Proſâ ſextâ, *Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Dicitur *poſſeſſio perfecta*, in quo duratio Dei differt à duratione creaturæ; Creatura enim perfectè ſuam durationem non poſſidet, ſed tantùm precariò; cùm ſingulis momentis poſſit eâ ſpoliari. Dicitur *poſſeſſio vitæ interminabilis*; hoc eſt principio & fine carentis. Dicitur denique *poſſeſſio tota ſimul*, quia æternitas Dei, nullas habet actu partes, ſed eſt inſtar puncti cujuſdam immutabilis, cui omnia tempora ſucceſſivè reſpondent.

CONCLUSIO.

Deus æternus eſt.

HÆc aſſertio eſt de fide, habetur paſſim in Scripturis, nec negari poteſt ab ullo qui Deum admittat: Hinc Boëtius loco citato ſic habet, *Deum igitur æternum eſſe cunctorum ratione degentium commune judicium eſt.*

Probatur 1. Ens immutabile æternum eſt; (quod enim non eſt æternum ſubjacet creationi, vel generationi, vel annihilationi, vel corruptioni, quæ ſunt omnium mutationum maximæ :) Atqui Deus immutabilis eſt:Ergo æternus.

Probatur 2. Quod nec incipere, nec deſinere poteſt, æternum eſt : Atqui Deus nec incipere, nec deſinere poteſt. (Non poteſt incipere, quia quidquid incipit, ab alio producitur, cùm nihil ſibi dare poſſit exiſtentiam, ut dictum eſt tractatu de Cauſis : At Deus eſt Ens à ſe, ut probavimus. Non etiam poteſt deſinere, nam quidquid deſinit, vel deſinit vi & ab extrinſeco; vel ſponte & à ſeipſo, ut præſentibus miſeriis finem imponat : At Deus non poteſt deſinere vi & ab extrinſeco, cùm ſit Ens independens; nec ſponte & à ſeipſo, cùm ſit beatiſſimus :) Ergo æternus eſt.

Iiſdem argumentis refelles tempora imaginaria, quibus explauſimus loca imaginaria.

Unde ſicut immenſitas divina primarius eſt omnium rerum locus, ſecundùm partes virtuales, quas juxtà modum noſtrum concipiendi in eâ diſtinguere poſſumus, ſicut in animâ rationali : Ita æternitas divina eſt omnium durationum menſura ſecundùm partes quaſdam virtuales, quas in eâ per conceptum noſtrum deſignamus. Unde ſicut divina immenſitas, tota quidem eſt hîc, ſed non totaliter, cùm ſit etiam alibi : ita æternitas divina tota quidem eſt nunc, ſed non totaliter, cùm indiviſibiliter omnibus temporibus cor-

reſpondeat. Nam ut ait ſanctus Thomas 1. parte quæſt.10. art. 2. ad 4. *Verba diverſorum temporum attribuuntur Deo, in quantum ejus æternitas omnia tempora includit, non quòd ipſe varietur per præſens, præteritum, & futurum:* Et ut ſcribit ſanctus Auguſtinus Tractatu 99. in Joannem, *in eo quod ſempiternum eſt, ſine initio & ſine fine, cujuſlibet temporis verbum ponatur, ſive præteriti, ſive præſentis, ſive futuri, non mendaciter ponitur.* Hinc Deus Apocalypſeos cap. primo dicitur, *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt:* Unde ſicut Deus ultra cœlum eſt, *non ſpatiis locorum* (inquit ſanctus Auguſtinus libro de natura boni contrà Manichæos, cap.3.) *ſed infinitudine ſuæ immenſitatis*; ita erat Deus ante creaturam, quamvis nullo tempore ſine illa: non eam ſpatio percurrente, ſed manente perpetuitate præcedens; *neque Deus condidit rebus antiquior videri debet temporis quantitate, ſed ſimplicis potiùs proprietate naturæ*, inquit Boëtius loco citato.

APPENDIX.

Utrùm produci potuerit aliqua creatura ab æterno.

Certum eſt quaſdam creaturas æternas eſſe à parte poſt; tales enim ſunt Angeli, & animæ rationales; ut docebimus ſuo loco. Quæritur utrùm Deus ab æterno potuerit producere creaturam aliquam ſibi coævam. Hanc quæſtionem examinabimus, primò de

creatura in genere; deinde de creatura ſucceſſiva ſpeciatim.

PRIMA CONCLUSIO.

Nulla creatura potuit eſſe ab æterno.

PRobatur primò ex ſancto Athanaſio libro 3. contra Arianos, ſancto Damaſceno lib. primi orthodoxæ fidei cap.8. & pluribus aliis Patribus, qui diſputando contrà Arianos probant, Verbum divinum eſſe Deum, & non creaturam, etiam omnium poſſibilium excellentiſſimam, ut contendebant Ariani, eò quòd Verbum divinum eſſet ab æterno: Ergo ſignum eſt quòd ſancti illi Patres non putarint ullam creaturam eſſe potuiſſe ab æterno.

Reſpondent primò adverſarii, argumentum Patrum fuiſſe tantùm de facto, eò quòd conſtet ex Scripturis nullam creaturam de facto fuiſſe ab æterno.

Refelluntur primò, quia Patres petiiſſent principium: nàm conſtat ex Scripturis Verbum eſſe ab æterno; & Ariani contendebant Verbum eſſe creaturam. Secundò, quia nullibi in Scripturis fit mentio explicita de tempore productionis Angelorum; nec proinde clarè conſtat ex Scripturis, illos non fuiſſe ab æterno.

Reſpondent 2. Patres intelligendos eſſe de æternitate independente. Sed manifeſtiſſima fuiſſet petitio principii: Nam Ariani contendebant Verbum divinum eſſe dependens; proindéque ejus durationem eſſe dependentem.

Probatur 2. Nullum attributum involvens in ſuo conceptu formali infinitudinem categorematicam poteſt communicari creaturæ, ut probavimus in Appendice ſuperiori: Atqui æternitas à parte antè eſt attributum involvens in ſuo conceptu formali infinitudinem categorematicam: Ergo repugnat creaturæ.

Probatur 3. Si Deus creaſſet aliquam creaturam ab æterno, illa creatura non eſſet creatura; quia creatura eſt Ens eſſentialiter dependens, & proinde egens perpetuâ Dei conſervatione: Atqui illa creatura non egeret perpetuâ Dei conſervatione: nam neceſſariò deberet durare per totam æternitatem, nec poſſet annihilari ante æternitatem elapſam, alioqui fuiſſet ab æterno, & non fuiſſet; fuiſſet ex hypotheſi; non fuiſſet verò, quia finitè tantùm duraſſet.

Probatur ultimò, ex variis abſurdis quæ ex ſententia adverſariorum ſequuntur. Primò, ſi creata fuiſſet mulier ab æterno in procinctu ad pariendum, æternum ſic manſiſſet abſque eo quòd fœtum emittere potuiſſet. Secundò, ignis ab æterno applicatus pulveri pyrio, non potuiſſet eum ante elapſam æternitatem comburere. Tertio, homo ab æterno creatus, nec manducare potuiſſet, nec reſpirare; nec tamen potuiſſet mori, ex quibus & ſimilibus ridiculis conſequentiis patet quàm abſurdum ſit antecedens, ex quo deducuntur.

Objicies 1. Productio Filii divini fuit ab æterno: Ergo à pari, potuit eſſe & creaturæ productio.

Negò paritatem; diſparitas eſt quòd infinitudo neceſſariò competat Deo, repugnet verò creaturæ.

Objicies ſecundò. Potuit produci creatura æterna à parte poſt: Ergo & à parte ante.

Nego paritatem; quia æternitas creaturæ à parte poſt, eſt tantùm ſyncategorematicè infinita; æternitas autem à parte antè fuiſſet infinita categorematicè.

Objicies tertiò, Angelus erat poſſibilis ab æterno, quia poſſibilitas nunquam incepit: Ergo potuit produci ab æterno à Deo, qui erat omnipotens ab æterno.

Diſtinguo antecedens. Angelus erat poſſibilis ab æterno, pro tempore, concedo: erat poſſibilis ab æterno, pro æterno, nego. Sic una ſolis circulatio erat poſſibilis ab æterno, cùm numquam inceperit poſſibilitas, ut optimè notant adverſarii; nec admitterent tamen unicam circulationem ſolis potuiſſe eſſe ab æterno.

Objicies quartò. Effectus poteſt eſſe coævus ſuæ cauſæ, ut lux ſoli: Atqui creatura eſt effectus Dei: Ergo potuit eſſe coæva Deo, proindéque ab æterno.

Diſtinguo majorem. Effectus poteſt eſſe coævus ſuæ cauſæ temporaneæ, concedo: æternæ, nego: Sicut enim ex eo quòd effectus poſſit eſſe æqualis ſuæ cauſæ finitæ & dependenti, malè inferretur effectum poſſe eſſe æqualem cauſæ ſimpliciter infinitæ & independenti: ita à pari, ex eo quòd effectus poſſit eſſe coævus ſuæ cauſæ temporaneæ; malè inferunt adverſarii effectum poſſe eſſe coæ-

vum ſuæ cauſæ æternæ.

Objiciunt ultimò varias hypotheſes impoſſibiles, v. g. Deus (inquiunt) non eſt minùs potens, quàm ſol æternus, ſi fuiſſet: Atqui ſi fuiſſet ſol æternus, produxiſſet lumen ab æterno: Ergo potuit & Deus. Item Deus non eſt minùs potens quàm ſi eſſet agens neceſſarium: Atqui ſi eſſet agens neceſſarium, produxiſſet mundum ſibi coævum: Ergo id potuit.

Sed jam docuimus Appendice ſuperiori, ex hypotheſibus impoſſibilibus non licere concludere affirmativè; poſito enim uno abſurdo multa ſequuntur.

Secunda Conclusio.

Etſi Æternitas non repugnaret creaturæ, repugnaret tamen rebus ſucceſſivis.

Probatur primò à priori. Res ſucceſſivæ conſtant partibus in perpetuo fluxu poſitis, quarum una eſt prior, altera poſterior: Atqui quod eſt ejuſmodi, non poteſt eſſe ab æterno: Ergo res ſucceſſivæ non poſſunt eſſe ab æterno. Probatur minor. Quod æternum eſt, æternùm durare debet in eodem penitùs ſtatu; alioqui eſſet ab æterno ſecundùm aliquem ſtatum, & non eſſet. Eſſet ex hypotheſi; non eſſet verò quia ſecundùm illum ſtatum, æternùm non duraſſet: Atqui quod conſtat partibus in perpetuo fluxu poſitis, quarum non eſt prior, altera poſterior, æternùm durare non poteſt ſecundùm eundem ſtatum; cùm perpetuò mutet ſtatum,

ut patet : Ergo non poteſt eſſe ab æterno.

Probatur ſecundò. Repugnat dari numerum infinitum, & ſi per impoſſibile daretur, repugnaret illum augeri ; aliàs ſuperaretur, & ſic non eſſet infinitus : Atqui ſi res ſucceſſivæ eſſent ab æterno, v. g. ſi generationes hominum & circulationes ſolis eſſent ab æterno, ut voluit Ariſtoteles, jam infinita earum multitudo fuiſſet, jam pridem exiſteret infinitus numerus animarum rationalium, qui tamen quotidie augeretur : Ergo res ſucceſſivæ non potuerunt eſſe ab æterno.

Probatur tertiò. Si poſſibile fuiſſet Ens ſucceſſivum ab æterno, maximè motus (tempus enim non eſt poſſibile ſine motu, cum ſit duratio motus.) Atqui motus non fuit poſſibilis ab æterno : Ergo nullum Ens ſucceſſivum fuit poſſibile ab æterno. Probatur minor. Triplex eſt tantùm motus, ſcilicet augmentatio, alteratio, & latio, ut docebimus cum Philoſopho ſecundâ parte Phyſicæ : Atqui nullus horum poſſibilis eſt ab æterno. Non augmentatio, alioqui corpus quod auctum fuiſſet ab æterno, jam eſſet infinitæ molis. Non etiam alteratio, alioqui qualitas jam eſſet infinitè intenſa. Non denique latio ; nam ponamus duos homines àb æterno eſſe motos localiter, ita ut unus tamen duplo velociùs ierit altero ; hoc poſito inter utrumque hominem jam eſſet infinita diſtantia. Abſurdum conſequens, aliàs daretur ſpatium infinitum clauſum finibus, quod ſcilicet intercipperetur inter illos viatores : Ergo & antecedens. Probatur ſequela majoris.

Tanta eſſet diſtantia inter illos viatores, quantum præcurriſſet ſpatium lentior, cùm alter ſupponatur duplo velocior; Atqui lentior jam percurriſſet ſpatium infinitum, etſi unico paſſu ſingulis diebus eſſet progreſſus: Ergo jam inter utrumque eſſet diſtantia infinita.

Objicies primò authoritatem Ariſtotelis admittentis mundum eſſe ab æterno, cum eadem circulationum cœleſtium & generationem ſublunarium ſerie, ac nunc eſt.

Reſpondeo mirum non eſſe, ſi Ariſtoteles ex abſurdo & impoſſibili principio abſurdum & impoſſibilem deduxerit concluſionem: Putabat enim Deum cauſam eſſe ſummè neceſſariam, quo nihil abſurdius, etiam ſeclusâ fide, cogitari poteſt; ex hoc enim ſequeretur Deum facere quidquid poteſt, nec plus poſſe quàm actu faciat; hîc eſt enim genius cauſæ neceſſariæ: & proinde ſequeretur potentiam divinam hîc & nunc limitari ad effectus, qui jam ſunt; limitata autem potentia oſtendit eſſentiam limitatam. Hinc etiam Ariſtoteles non ſuſtinuit illam propoſitionem ut demonſtrabilem, cùm lib. 1. Topic. cap. 9. eam afferat in exemplum quæſtionis problematicæ.

Objicies ſecundò. Deus potuit priùs & priùs in infinitum producere tempus reale: Ergo potuit ab æterno.

Nego conſequentiam; ſicut enim ex eo quòd tempus poſſit plus & plus durare in infinitum, non ſequitur quòd poſſit unquam eſſe æternum à parte poſt, niſi ſyncategore-

maticè: Ita à pari, ex eo quòd tempus potuerit eſſe priùs & priùs in infinitum, non ſequitur quòd potuerit unquam æternum eſſe à parte antè, niſi etiam ſyncategorematicè.

PUNCTUM ULTIMUM.

De Inviſibilitate, Incomprehenſibilitate, & Ineffabilitate Dei.

QUid ſit cognitio Dei intuitiva & comprehenſiva, repetes ex c. ultimo diſputationis de Beatitudine. Ex eadem diſputatione colliges Deum poſſe videri divinitus, cùm beatitudo noſtra ſupernaturalis conſiſtat partialiter in viſione Dei.

Deus tamen vocatur in Scripturis inviſibilis, quia videri non poteſt naturaliter; Hinc ait ipſe Exodi cap. 33. *Non videbit me homo & vivet:* Et ratio eſt, quia cùm modus eſſendi objecti ſuperat modum eſſendi potentiæ cognoſcitivæ, objectum naturaliter non poteſt cognoſci à tali potentiâ ut in ſe eſt; & hac de cauſa res immateriales non poſſunt cognoſci à materialibus: Atqui modus eſſendi Dei ſuperat modum eſſendi intellectûs noſtri; cùm Deus ſit Ens ſummè in actu, intellectus noſter Ens in potentia: Deus ſit immaterialis non tantùm phyſicè, eò quòd careat materiâ & formâ; ſed etiam metaphyſicè, cùm non ſit in potentia ad eſſe: Intellectus autem noſter ſit materialis metaphyſicè, cùm omnis creatura ſit in potentia ad eſſe, quo ſcilicet aliquandò caruit, & nunc

ſpoliari poteſt : Ergo Deus videri non poteſt naturaliter ab ullo intellectu creato , ſed tantùm obedientialiter, beneficio qualitatis cujuſdam elevativæ & corroborativæ, quæ vocatur à Theologis lumen gloriæ , propter illud Pſalmi 35. *In lumine tuo videbimus lumen.*

Deum incomprehenſibilem eſſe clarum eſt, quia cùm omnis intellectus creatus finitus ſit, adæquare non poteſt intelligibilitatem Dei ut potè infinitam ; unde dicitur Jeremiæ c.32. *Incomprehenſibilis cogitatu.*

Deum eſſe ineffabilem, eſt Deum nullo nomine perfectè exprimi poſſe. At Deus perfectè à nobis exprimi non poteſt. Hinc Proverbiorum c.30. dicitur : *Quod nomen eſt ejus: aut quod nomen filii ejus , ſi noſtri.* Et ratio eſt, quia ex Ariſtotele l. 1. de Interpretatione, voces & nomina ſunt ſigna conceptuum: At Deum non poſſumus concipere perfectè prout in ſe eſt, ſaltem naturaliter ; ſed tantùm balbutiendo,ut poſſumus,excelſa Dei reſonamus, inquit S Thomas , primâ parte quæſt. 4. art.4. ad primum,ex ſancto Gregorio. Utrùm autem Beati poſſint perfectè nominare Deum, vel etiam Deus ſeipſum , videant Theologi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Potentiis Dei.

DEus tres habet potentias , ſcilicet intellectum , voluntatem & omnipotentiam. Primò , quia agens intellectuale tres habet

potentias: unam dirigentem, putà intellectum; aliam applicantem & imperantem, putà voluntatem; tertiam exequentem, quæ quia in Deo finita eſt, vocatur omnipotentia: Atqui, &c. Ergo, &c. Secundò, quia ſubſtantia ſpiritalis tres habet potentias, duas ſcilicet immanenter agentes, putà intellectum & voluntatem; & unam tranſeunter operantem, nimirùm facultatem executricem, quæ quia in Deo infinita eſt, vocatur omnipotentia: Ergo, &c.

Deum eſſe intellectualem conſtat primò ex Scripturis. Eccleſiaſtici cap.15. *Multa Sapientia Dei, & foris in potentia, videns omnes ſine intermiſſione.* Hebræorum cap.4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Secundò ratione: tum quia intellectualitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex & puriſſima, proindèque Deo tribuenda; tum quia omnis ſubſtantia ſpiritalis, eſt intellectualis. Intellectualitas enim fundatur in immaterialitate ſubſtantiæ: Atqui Deus eſt ſubſtantia ſpiritalis & ſummè immaterialis, phyſicè ſcilicet & metaphyſicè: Ergo eſt ſubſtantia ſummè intellectualis.

In Deo etiam voluntatem eſſe, eamque liberam, probatur primò ex Scripturis. Pſalmo 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit,* Epheſ. cap.1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Secundò ratione; tum quia voluntas libera eſt perfectio ſimpliciter ſimplex & puriſſima, proindéque Deo tribuenda: Tum quia ut rectè docet S. Thomas 1. p.

quæſt. 83.art.4. potentias appetitivas oportet eſſe proportionatas potentiis apprehenſivis, Atqui potentia appetitiva proportionata intellectui, eſt voluntas, eaque libera: Ergo cùm Deus intellectivus ſit, eſt quoque volitivus & liber.

Deum omnipotentem eſſe probatur tum ex Lucæ c. primo, ubi ſic ſcribitur: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum:* tum ratione, quia potentia ſequitur conditionem eſſentiæ; eſſentia autem Dei eſt ſimpliciter infinita: Ergo & potentia.

Sed lis eſt utrùm omnipotentia Dei diſtinguatur ab ejus voluntate, non quidem realiter, ſed virtualiter; eo modo quo voluntas Dei diſtinguitur ab ejus intellectu. Negant plerique Thomiſtæ, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Omnipotentia virtualiter diſtinguitur à voluntate.

PRobatur primò. Potentia agens ad extrà, virtualiter ſaltem diſtinguitur à potentia agente ad intrà: Atqui voluntas divina ut ſic, eſt potentia agens ad intrà; omnipotentia verò ut ſic, eſt potentia agens ad extrà: Ergo diſtinguuntur virtualiter.

Probatur ſecundò. Voluntas in creaturâ diſtinguitur à potentiâ executrice, etiam realiter ſecundùm Thomiſtas: Ergo in Deo diſtinguuntur virtualiter; quæ enim æquivalent realiter diſtinctis, diſtinguuntur virtualiter.

Probatur tertiò. Si omnipotentia non di-

ſtingueretur virtualiter à voluntate Dei: creatio, conſervatio, & cæteræ actiones omnipotentiæ eſſent ab æterno, (cùm omnes actiones voluntatis divinæ ſint ab æterno, propter immutabilitatem Dei; ſecundùm illud Avicennæ: *A voluntate antiqua non procedit actio nova.*) Falſum conſequens; (alioquin omnes creaturæ eſſent ab æterno; impoſſibilis eſt enim cauſatio ſine effectu:) Ergo & antecedens.

Objicies primò. Scribitur in Pſalmo 32. *Ipſe dixit & facta ſunt; ipſe mandavit & creata ſunt:* Atqui dicere eſt actus intellectûs, mandare actus voluntatis, ſicque non opus eſt omnipotentiâ virtualiter diſtinctâ.

Diſtinguo majorem. Dixit & mandavit, & tunc omnia facta & creata ſunt per potentiam executricem, quæ voluntati divinæ ad nutum obedit, concedo: per ipſum dicere & mandare præcisè, nego.

Objicies ſecundò. Voluntas divina dicitur efficaciſſima, ergo omnia efficit.

Diſtinguo antecedens. Voluntas divina, dicitur efficaciſſima, mediatè, & beneficio omnipotentiæ, quam ad nutum applicat, concedo: immediatè & per ſe, nego. Ideò ergo voluntas Dei dicitur efficaciſſima præ qualibet voluntate creatâ, quia ſcilicet voluntas creata poteſt ab externo effectu impediri vel ab aliqua creatura, vel ſaltem à Deo: At voluntati divinæ nemo poteſt reſiſtere, ut innuitur Geneſeos c. ultimo,

Potentia divina, licet ſit unica realiter, triplex tamen ſecundùm modum noſtrum conci-

piendi vulgò diſtinguitur in Scholis, ſcilicet ordinaria, extraordinaria, & abſoluta.

Potentia Dei ordinaria ea eſt, quâ Deus in creaturis & cum creaturis operatur juxta communem naturæ curſum, propter finem generalem.

Potentia Dei extraordinaria ea eſt, quâ Deus aliquid operatur ſuprà communem naturæ concurſum, propter finem aliquem ſpecialem; ut cùm patrat miracula.

Miraculum dicitur quaſi admiratione plenum, quòd ſcilicet habet cauſam ſimpliciter & omnibus occultam; hac autem eſt Deus, ex Sancto Thomâ 1.p.quæſt.105.art.7. Hæc inquam eſt Deus, *qui fecit mirabilia magna ſolus.* Pſal. 35. v. 4. Deſcribitur à S. Thomâ 1. p. quæſt. 114. art. 4. Id *quod fit præter ordinem totius naturæ* creatæ; ſive poſitivè ut reſſuſcitatio mortui, ſive negativè ut ſtatio ſolis.

Myſterium eſt res abſcondita, per fidem Theologicam credenda, qualia ſunt myſteria Trinitatis, Incarnationis, & Euchariſtiæ.

Potentia Dei abſoluta eſt ea, quâ Deus nunquam utitur; uti tamen poſſet ſecluſis ſuis decretis: quo ſenſu quæritur in Scholis, v. g. utrùm per abſolutam Dei potentiam poſſibilis fuerit creatura ab æterno, nec-ne.

ARTICULUS TERTIUS.

De virtutibus Dei.

HAbitus omnes qui ſunt in nobis, vel ſunt laudabiles, qui dicuntur virtutes: vel non.

Certum eſt eos habitus, qui non ſunt in nobis virtutes, non eſſe in Deo formaliter, cùm non ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices.

Virtutes vel ſunt intellectuales, quæ reſident in mente; vel Morales, quæ in voluntate.

Virtutes noſtræ conſiderari poſſunt dupliciter. Primò ſecundum gradum genericum: v. g. ſcientia quatenus eſt evidentiſſima & certiſſima cognitio. Secundò ſecundùm gradum veluti differentialem ſpecificum, v. g. ſcientia quatenus eſt accidens, qualitas, finita, diſcurſiva, &c.

Conſtat Deum non habere formaliter virtutes cum imperfectionibus quas habent in nobis à gradu differentiali ſpecifico, aliàs Deus non eſſet ens perfectiſſimum.

Dico primo Deum habere formaliter virtutes omnes intellectuales ſecundùm gradum genericum ſpectatas. Hinc Pſal. 146. ſcribitur, quòd *Sapientiæ ejus non eſt numerus*; Et Deus Jacobi c. primo vocatur, *Pater luminum*. Ratio eſt quia virtutes intellectuales ſecundùm gradum genericum ſpectatæ, meliores ſunt ipſæ quàm non ipſæ; Itaque

Primò, Deus habet intelligentiam, quia cognoſcit principia omnia.

Secundò, habet Sapientiam, quia cognoſcit creaturas omnes in principiis altiſſimis, putà in iis attributis, quæ ſunt creaturarum principia, verbi gratia. Creaturas poſſibiles in ſuis idæis vel in omnipotentia, creaturas verò in certâ temporis differentiâ futuras in ſuis decretis.

Tertiò,

Tertiò, habet ſcientiam, quia non tantùm res altiſſimas cognoſcit, ſed etiam quaſlibet viliſſimas, ut potè earum cauſa dianoëtica.

Quartò, habet prudentiam, quia rectiſſimam habet cognitionem agibilium, quæ dicitur *lex æterna*; Undè Ieremiæ c. 32. dicitur *magnus conſilio*.

Quintò denique, habet artem, quia eſt agens intellectuale rerum omnium productivum; Undè Sapientia increata Sapientiæ c. 7. vocatur *omnium artifex*.

Notanda præſertim diviſio ſcientiæ divinæ reſpectu creaturarum, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſeu neceſſariam; ſcientiam viſionis ſeu liberam; & (ut quibuſdam placet) ſcientiam conditionalium, ſeu mediam.

Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt ea, quâ Deus res omnes cognoſcit in ſtatu meræ poſſibilitatis; Ità ut vi illius non cognoſcat utrùm aliqua creatura ſit futura, nec-ne. Dicitur *neceſſaria*, quia eam tam neceſſariò habet Deus, quàm neceſſariò habet comprehenſionem ſuæ omnipotentiæ.

Scientia viſionis eſt ea, quâ Deus cognoſcit creaturas in certâ temporis differentiâ exiſtentes. Dicitur *libera*, quia niſi Deus liberè decreviſſet creaturas producere, nullam haberet earum ſcientiam viſionis.

Scientia conditionata eſt ea, quâ Deus cognoſcit res ſub conditione futuras, v. g. Quid nunc agerem ſi forem Romæ. Utrùm hæc diſtinguatur ab aliis, acriter diſputant Theologi.

Dico ſecundò, Deum habere formaliter virtutes omnes morales , quæ ſecundùm ſuum gradum genericum nullam connotant imperfectionem ; quales ſunt miſericordia, juſtitia, liberalitas, veracitas, &c. quia meliores ſunt ipſæ quàm non ipſæ ; Cæteras autem non habere formaliter , ſed eminenter ; hinc non habet fortitudinem & temperantiam formaliter, cùm dicant ordinem ad appetitum ſenſitivum intrinſecum.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Actibus divinis.

Actus divini alii ſunt ad extrâ,quales ſunt creatio, conſervatio , concurſus, de quibus dictum eſt Tractatu de Cauſis : alii ad intrà,quales ſunt actus intellectûs & voluntatis.

Ex actionibus intellectûs ſola apprehenſio eſt in Deo formaliter, quia reliquæ arguunt imperfectionem quamdam ; apprehenſio autem Dei propter ſummam certitudinem & evidentiam vocatur judicium , cùm revera ſit judicium virtuale.

Ex actionibus voluntatis hæ ſolæ ſunt formaliter in Deo , quæ non involvunt imperfectionem , ut amor , odium , gaudium ex propaſſionibus , (& forſan ira ,) & omnes quæ verſantur circa finem & media. Si quando autem pœnitentia , triſtitia & ſimiles Deo tribuantur , ei tribuuntur tantùm effectivè, non affectivè. Hinc Sanctus Auguſtinus libri primi Confeſſionum, cap. 4. *Pœnitet te , non*

doles : iraſceris , & tranquillus es.

Sed inter omnes actus internos Dei reſpectu creaturarum, notari præſertim debent Decretum & Providentia, de quibus proinde diſtinctis Paragraphis breviter agemus.

PARAGRAPHUS PRIOR.

De Decretis Divinis.

DEcretum divinum nihil eſt aliud , quàm ipſa actio divinæ voluntatis entitativè ſummè neceſſaria , prout connotat liberè creaturas quas Deus ſtatuit futuras vel non futuras ; undè decretum divinum ſeu actus liber Dei nihil addit amori neceſſario , quo Deus ſeipſum amat , præter connotationem quamdam ad creaturas.

Decretum divinum dividitur primò vulgò in abſolutum & conditionatum.

Decretum abſolutum eſt illud quo Deus decrevit abſolutè & efficaciter concurrere ad alicujus effectus productionem, putà ad ortum craſtinum ſolis.

Decretum conditionatum eſt illud quo Deus decreviſſet concurrere ad aliquem effectum ex hypotheſi alicujus conditionis nunquam forſan ponendæ , quare fuiſſet decretum concurrendi ad converſionem Tyriorum & Sydoniorum , ſi Chriſtus apud ipſos ea miracula patraſſet, quæ patravit apud Judæos.

Decretum divinum dividitur ſecundò in generale & particulare.

Decretum generale eſt ſtatutum aliquid fa-

ciendi in communi, putà beandi omnes qui in gratia decedunt.

Decretum particulare eſt propoſitum faciendi aliquid in individuo, v. g. eligendi Mariam in matrem Chriſti.

Multi Theologi quinque diſtinguunt in Deo inſtantia ſeu ſigna rationis. Primum eſt, quo Deus cognovit creaturas omnes in ſtatu meræ poſſibilitatis, *per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.* Secundum eſt, quo Deus eſt omnibus creaturis poſſibilibus aliquas ſelegit producendas in mundo, diverſorum ordinum, & generum: & cum ſingulis ſtatuit concurrere conformiter earum naturæ; *per decretum abſolutum generale.* Tertium eſt, quo Deus vidit quid ſingulæ creaturæ ſpeciatim eſſent acturæ, ſi in his aut illis circunſtantiis producerentur vel reperirentur: *per ſcientiam mediam.* Quartum eſt, quo Deus ſtatuit abſolutè hanc & illam creaturam ſigillatim in his determinatè circunſtantiis potiùs producere quàm in aliis quibuslibet, & cum ſingulis concurrere ad has determinatè actiones: *per decretum abſolutum particulare.* Quintum denique eſt, quo Deus ab æterno vidit in ſuo decreto abſoluto omnes creaturas, earumque actiones omnes in certâ temporis differentiâ determinatè futuras: *per ſcientiam viſionis.*

PARAGRAPHUS POSTERIOR.

De Providentia Dei.

PRovidentia Divina deſcribitur à Boëtio lib. 4. Conſolationls Philoſophicæ, proſâ ſextâ, *Illa ipſa divina ratio in ſummum omnium principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.* Vulgò definitur actus, quo Deus cognoſcit media creaturis neceſſaria ad ſuos fines obtinendos, cum propoſito ea conferendi. Unde duas involvit actiones; ſcilicet cognitionem ex parte intellectûs, & propoſitum ſeu decretum ex parte voluntatis.

Providentia alia eſt naturalis ſeu generalis, quâ Deus diſponit media naturalia creaturis neceſſaria ad ſuos fines naturales obtinendos; alia ſupernaturalis, ſeu particularis, quâ Deus decernit media ſupernaturalia ad finem ſupernaturalem obtinendum. Agere de poſteriori pertinet ad Theologos in Tractatu de Prædeſtinatione: de priori verò etiam ad Philoſophos hîc.

Dari Providentiam divinam negarunt quidem, qui omnia attribuebant Caſui. contra quos ſit

CONCLUSIO.

Deus omnibus planè rebus providet.

PRobatur primò ex Scripturis. Sapientiæ cap. 8. ubi de Sapientiâ divinâ ſic ſcribitur: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſcernit omnia ſuaviter.* Job. cap. 38. Pſal. 146. &

præſertim Lucæ cap. 12. ubi Chriſtus non excitat fusè ad confidendum divinæ providentiæ, his verbis : *Conſiderate lilia quomodo creſcunt ; non laborant neque nent. Dico vobis, Nec Salomon in omni gloriâ ſuâ veſtiebatur ſicut unum ex iſtis. Si autem fœnum quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit ; quantò magis vos puſillæ fidei ? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli, hæc enim omnia gentes mundi quærunt, Pater autem veſter ſcis quoniam his indigetis.* Similia habentur alibi paſſim.

Probatur ſecundò à Boëtio l. 4. Conſolationis Philoſophicæ proſâ ſextâ, de Deo ſic ſcribente; *qui cùm ex aliâ providentiæ ſpeculâ reſpexerit, quid unicuique conveniat agnoſcit ; & quod convenire novit, accommodat.*

Probatur tertiò, authoritate S. Auguſtini lib. quinti de Civitate cap. 11. ubi de Deo ſic ſcribit : *Qui non ſolùm cælum & terram, nec ſolùm Angelum & hominem producit ; ſed nec exigui & contemptibilis animalis viſcera, nec avis pennulam, nec herbæ nec arboris folium, ſine ſuarum partium convenientiâ, & quadam veluti pace derelinquit.*

Probatur quartò ab authore libri de Mundo qui cap. 6. eleganter ſic deſcribit Deum à ſimili. *Quod in nave eſt gubernator, quod in curru auriga, quod in choro coryphæus, in Republicâ Rex, exercitui dux : hoc Deus eſt in mundo, ſecluſis imperfectionibus.*

Probatur quintò ratione. Quo agens intellectuale eſt univerſalius eò magis ſe exten-

dit ejus providentia. v. g. Providentia ducis magis ſe extendit quàm providentia centurionis, & providentia Regis magis quàm providentia ducis. Atqui Deus eſt agens univerſaliſſimum: Ergo ejus providentia univerſaliſſimè ſe extendere debet, & proinde ad omnia.

Confirmatur. Providentia artificis debet ſe extendere ad omnia ſua artefacta: Atqui Sapientia divina eſt omnium artifex, ex Sapientiæ c. ſeptimo: Ergo ejus providentia debet ſe extendere ad omnia.

Objicies primò. Primæ Corint. c. 9. habetur quòd non eſt Deo cura de bobus: Ergo Deus omnibus non providet.

Reſpondet S. Thomas 1. p. quæſt. 22. art. 2. ad 5. his verbis. *Quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium ſui actûs, ſpeciali quodam modo ſubditur divinæ providentiæ; ut ſcilicet ei imputetur aliquid ad culpam vel ad meritum, reddatur ei aliquid ut pœna vel præmium: & quantùm ad hoc, curam Dei Apoſtolus à bobus removet, non tamen ita quòd individua irrationalium creaturarum ad Dei providentiam non pertineant, ut Rabbi Moyſes exiſtimavit.* Undè ſic diſtinguo antecedens, Deo non eſt de bobus cura ſpecialis, quoad præmium ſcilicet aut ſupplicium, concedo: cura generalis, quoad media naturalia quibus egent boves ad ſuas functiones ſuosve fines, nego. Hinc optime Xenophon l. primo mirabilium: *Tum intellectus ſimul multa diſtantia cognoſcit; & Deus non omnibus providebit?*

Objicies ſecundò. Si omnia eſſent ſubjecta divinæ providentiæ, nihil eſſet fortuitum: Falſum conſequens: Ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem. Nihil eſſet fortuitum reſpectu Dei, concedo: Reſpectu cauſarum ſecundarum, nego. Lege quæ docuimus de Cauſis per accidens.

Objicies tertiò. Omnis proviſor excludit defectum & malum quantum poteſt ab his quorum curam gerit: Atqui multa mala in rebus creatis concurrunt: Ergo Deus omnibus non providet.

Reſpondet ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 22. articulo 2. ad 2. his verbis. *Dicendum quòd aliter de eo eſt qui habet curam alicujus particularis, & de proviſore univerſali; quia proviſor particularis excludit defectum ab eo quod ejus curæ ſubditur quantùm poteſt; ſed proviſor univerſalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius: Unde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur eſſe contra naturam particularem: ſed tamen ſunt de intentione naturæ univerſalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius univerſi; Nam corruptio unius eſt generatio alterius, per quam ſpecies conſervatur. Cùm igitur Deus ſit univerſalis proviſor totius Entis, ad ipſius providentiam pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum univerſi perfectum: Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo;* non

non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium; nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio Tyrannorum. Unde dicit Auguſtinus in Enchiridio, *Deus omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut bene faceret etiam de malo.*

Ad providentiam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis rerum proviſarum in finem, & executio hujus ordinis, quæ gubernatio dicitur. Quantùm ad primum horum, Deus immediate omnibus providet, quia in ſuo intellectu habet rationem omnium, etiam minimorum. Quantùm autem ad ſecundum, ſunt aliqua media divinæ providentiæ; quia inferiora gubernat per ſuperiora, non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, ut dignitatem cauſalitatis etiam creaturis communicet, inquit ſanctus Thomas primâ parte, quæſt. 22. art. 3. *Major autem perfectio eſt quòd aliquid in ſe ſit bonum, & etiam ſit aliis cauſa bonitatis, quàm ſi eſſet ſolummodo in ſe bonum: & ideò ſic Deus gubernat res, ut quaſdam aliarum in gubernando cauſas inſtituat; ſicut ſi aliquis Magiſter diſcipulos ſuos non ſolùm ſcientes faceret; ſed etiam aliorum Doctores*, inquit ſanctus Thomas primâ parte, quæſt. 103. art. 6.

Præter ordinem alicujus particularis cauſæ aliquis effectus evenire poteſt; non autem præter ordinem cauſæ univerſalis. Cujus ratio eſt, quia præter ordinem particularis cauſæ nihil provenit, niſi ex aliquâ aliâ cauſâ im-

pediente; quam quidem cauſam neceſſe eſt reducere in primam cauſam univerſalem: ſicut indigeſtio contingit præter ordinem virtutis nutritivæ ex aliquo impedimento, putà ex groſſitie cibi, quàm neceſſe eſt reducere in aliam cauſam, & ſic uſque ad cauſam primam univerſalem. Cùm igitur Deus ſit prima cauſa univerſalis, non unius generis tantùm, ſed univerſaliter totius Entis; impoſſibile eſt quòd aliquid contingat præter ordinem divinæ gubernationis; ſed ex hoc ipſo quòd aliquid ex unâ parte videtur exire ab ordine divinæ providentiæ, qui conſideratur ſecundùm aliquam particularem cauſam; neceſſe eſt quòd in eundem ordinem relabatur ſecundùm aliam cauſam, inquit idem ſanctus Doctor eadem quæſt. art.7.

Quamvis tamen providentia Dei ſuum ſemper ſortiatur effectum, hoc non nocet noſtræ libertati; *cùm (enim) voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eodem modo fiant quo Deus ea fieri vult*, inquit ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 19. art.8. Deus autem vult operationes creaturæ intellectualis fieri liberè; nam ut ait ſanctus Dionyſius cap. 4 de divinis nominibus, *corrumpere naturam non eſt divinæ providentiæ*; Ergo providentia non nocet libertati naturarum intellectualium: ad divinam enim providentiam pertinet omnes gradus Entium producere; *& ideò quibuſdam effectibus præparavit cauſas neceſſarias, ut neceſſariò evenirent; quibuſdam verò cauſas contingentes*

ut evenirent contingenter ſecundùm conditionem proximarum cauſarum, inquit ſanctus Thomas primâ parte, quæſt.22. art.4.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Angelis.

POſt conſiderationem primi principii, deſcendendum eſt ad illius effectus, qui duplicis ſunt generis: Alii enim non dicunt ordinem ad materiam, quales ſunt ſoli Angeli: Alii dicunt, qualia ſunt corpora naturalia, & ipſæ etiam animæ rationales. Priores effectus ſunt conſiderationis metaphyſicæ, poſteriores verò phyſicæ.

Verùm Angeli ſpectari poſſunt dupliciter. Primò, ſecundùm ordinem naturæ. Secundò, ſecundùm ordinem gratiæ & gloriæ: Poſterior conſideratio pertinet ad Theologos, prior etiam ad Metaphyſicos.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine, Notione, & Exiſtentiâ Angelorum.

ANgelus nomen eſt officii, non naturæ: idem ſonans ac nuncius, quia Angelis Deus ſæpè uſus eſt ut nunciis. Hinc Hebræorum cap primo, vocantur adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi. Vocantur à Philoſophis Intelligentiæ, denominatione ſcilicet ſumptâ à primâ Angeli operatione: Dicuntur etiam à Græcis Dæmones quaſi

δαίμονες, id eſt ſapientes, quia ſcilicet res omnes naturales claiè in cauſis cognoſcunt.

Porrò hoc nomen, Angelus, ſumitur duobus modis. Primò, genericè, pro quolibet Angelo, cujuſcunque ſit ordinis. Secùndò, ſpecificè pro Intelligentiis infimi ordinis. Vulgare ſiquidem eſt, nomen generis tribuere ignobiliori ſpeciei: Hîc ſumitur primò ſenſu.

Concipitur Angelus ut ſubſtantia ſpiritalis creata completa.

PRIMA CONCLUSIO.

Dantur Angeli.

Concluſio eſt de fide, propter frequentiſſimam de Angelis in Scripturâ mentionem.

Probatur primò duabus congruentiis. Prior eſt: Dantur ſubſtantiæ purè corporeæ, & ſubſtantiæ partim corporeæ partim ſpiritales: Ergo dantur ſubſtantiæ purè ſpiritales, ut integrum ſit univerſum. Poſterior eſt: Dantur ſubſtantiæ corporeæ duplicis generis, ſcilicet incompletæ, putà formæ ſubſtantiales materiales; & completæ, putà corpora naturalia: Ergo à pari, dantur ſubſtantiæ ſpiritales duplicis generis, ſcilicet incompletæ, nimirùm animæ rationales; & completæ, putà Angeli.

Probatur ſecundò, ex motu cœleſtium corporum. Aſtra quædam moventur, ut patet experientiâ: Atqui non poſſunt moveri à

ſeipſis, ut probabitur tertiâ parte Phyſicæ: Ergo moventur ab Intelligentiis: non enim poteſt dici quòd moveantur à Deo; cùm Deus peractâ primâ mundi geneſi non ſoleat per ſe ſolum præſtare, quod poteſt facere per cauſas ſecundas. Hoc argumentum ita efficax eſt, ut Philoſophus per illud devenerit in cognitionem Intelligentiarum. lib. 11. Metaphyſicorum, cap. 8.

Probatur tertiò ex Energumenis, qui licet aliquando priùs prorsùs ignari fuiſſent, variis tamen linguis loquuntur: Hoc autem refundi non poteſt in Deum, cùm aliquandò mentiantur & blaſphement illi Areptitii. Neque etiam in humorem melancholicum, (ut quidam imperiti medici ſomniarunt;) quia licet ille humor aliquid poſſit ad ingenium: nihilominùs non poteſt varias ſpecies idiomatum priùs ignotorum menti objicere; cùm ſpecies impreſſæ à ſolis objectis, vel à Deo poſſint produci. Simile argumentum deſumi poteſt ex ſtupendis motibus & effectibus Magorum ac Sagarum: Itemque ex reſponſionibus oraculorum.

Secunda Concluſio.

Angelorum exiſtentia non poteſt demonſtrari.

PRobatur primò. Omnis demonſtratio vel eſt à priori, vel à poſteriori: Atqui Angelorum exiſtentiam neutro modo demonſtrari poteſt: Ergo nullo modo poteſt.

Probatur minor, quoad primam partem.

Quidquid demonſtratur à priori, vel demonſtratur per cauſam internam, vel per externam : Atqui Angelorum exiſtentia nec demonſtrari poteſt per cauſam internam, cùm Angeli ſint ſubſtantiæ ſimplices, ut probabitur capite ſequenti : nec per externam, cùm cauſa Angelorum externa ſolus ſit Deus, cujus opera ad extra ſunt liberrima (inquiunt Theologi.)

Probatur eadem minor, quoad ſecundam partem. Nulli ſunt effectus Angelorum, qui non poſſint refundi in alias cauſas, ut mox patebit : Ergo Angelorum exiſtentia demonſtrari non poteſt à poſteriori, ſeu per effectus.

Probatur ſecundò. Nulla poſſunt afferri validiora argumenta ad probandam exiſtentiam Angelorum quàm ea, quæ in ſuperiori concluſione attulimus : Atqui illa ſuadent tantùm non convincunt ; Nam

Primò ; Ad congruentias reſponderi poteſt Deum non feciſſe quæ nobis, ſed quæ ipſi videntur congruentiora, *Quis enim cognovit ſenſum Domini ? aut quis conſiliarius ejus fuit ?* inquit Apoſtolus ad Romanos cap. 11.

Secundò, Ad motum corporum cœleſtium reſponderi poteſt, eum eſſe à Deo immediatè, qui generalibus illis omnium generationum inſtrumentis per ſe immediatè utatur : cùm non minùs congruum videri poſſit inſtrumenta univerſalia generationum moveri & applicari ab univerſali causâ principe earundem generationum, quàm inſtrumenta particularia moveri & applicari à cauſis prin-

cipibus particularibus: Hoc ſaltem cenſuit Philoſophus de motu primi Mobilis, loco citato.

Tertiò, Ad motus Energumenorum, Magorum & Sagarum reſponderi poteſt eos oriri ab animabus rationalibus ſeparatis, duæ has operationes in iis exercent, ſicut & in oraculis.

Nec dicas animas rationales non eſſe potentiores in alienis corporibus, quàm in propriis; proindéque cum in propriis non potuerint exercere ſtupendos illos motus qui obſervantur in Energumenis & Magis; eos quoque in ipſis non poſſe præſtare,

Nam ſicut duplex eſt modus intelligendi in animâ humanâ; unus dependens à phantaſmatibus; alter verò ab illis independens multò acutior & ſubtilior: & in corpore uti tantùm poteſt primo, propter unionem ſubſtantialem cum corpore; extrà corpus verò utitur ſecundo: Ita à pari, duplex eſt vis motrix in anima rationali; una animalis & dependens ab organis corporeis tanquam ab inſtrumentis; altera ſpiritalis independens ab organis, proindéque longè potentior quàm prima: & in corpore corruptibili uti poteſt ſolâ primâ; ſeparata verò utitur ſecundâ, quâ ſimiles ferè poteſt præſtare effectus, ac præſtat Angelus.

CAPUT SECUNDUM.

De Cauſis Angelorum.

QUæremus hîc tantùm utrùm Angeli conſtent materiâ & formâ,ut multi veteres exiſtimarunt. Ex ſolutione enim hujus quæſtionis pendet tota doctrina de cauſis Angelorum.

CONCLUSIO.

Angeli non conſtant materiâ & formâ.

PRobatur primò authoritate Chriſti ipſius, qui Lucæ cap. 24. probat veritatem ſuæ reſurrectionis, & confirmat quoſdam diſcipulos ſuſpicantes forſan eſſe Angelum, qui appareret, his verbis: *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Probatur ſecundò, ex Marci cap. 5. ubi legimus integram dæmonum legionem (hoc eſt in probabili opinione ſex mille ſexcentos ſexaginta ſex dæmones) in unico homine fuiſſe. At ſi Angeli conſtarent materiâ & formâ, non tot eſſe poſſent in unico homine: Ergo non conſtant materiâ & formâ.

Probatur tertiò ratione. Modus operandi ſequitur modum eſſendi: Atqui nullæ operationes Angelorum pendent à materiâ propriè dictâ, cùm tres tantùm habeant operationes (ſcilicet intelligere, velle, & movere) ad quas nullâ opus eſt materiâ: Ergo Angeli

non pendent à materiâ in eſſe.

Adde quòd ſi conſtarent materiâ, haberent quantitatem, quæ eſt proprietas materiæ, ſicque eſſent impenetrabiles & diviſibiles. Falſum conſequens, cùm corpora ſine ulla diviſione penetrent: Ergo & antecedens.

Ex quibus patet primò Angelos eſſe productos per creationem; quia ſubſtantiæ ſpiritales aliter produci non poſſunt, cùm à nullo pendeant ſubjecto.

Patet ſecundò, Angelos à ſolo Deo fuiſſe productos; cùm ſolus Deus creare poſſit, ut vidimus Tractatu de Cauſis.

Patet tertiò, finem Angelorum eſſe Deum videndum & amandum, cùm beatitudo naturæ ſpiritalis in viſione & amore Dei conſiſtat, ut colligi poteſt ex Diſputatione de Beatitudine.

Patet ultimò, Angelos eſſe incorruptibiles; quia ſubſtantia ſpiritalis eſt incorruptibilis ab intrinſeco. Eorum incorruptibilitas probari poteſt eo modo, quo Homerus probat Deos eſſe immortales, hoc argumento: Omne vivens quod non eget alimento, immortale eſt: Atqui Angeli ſunt viventes, nec egent alimento: Ergo Angeli ſunt immortales.

Angelus itaque optimè definitur *Spiritus creatus completus* Dicitur *Spiritus*, quæ particula habet locum generis communis Deo, Angelo & animæ rationali. Dicitur *creatus*; per quam particulam differt à Deo. Dicitur *completus*, per quam particulam differt ab anima rationali.

CAPUT TERTIUM.

De Angelorum affectionibus.

Angelorum affectiones quinque tantùm ſunt, ſcilicet Ubi, Duratio, & tres potentiæ, putà Intellectus, Voluntas, & Vis motrix. Quocirca hujus capitis quinque erunt articuli, in quibus ſingulis, de ſingulis Angelorum affectionibus dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Loco, & Ubi Angelorum.

Dico primò, Angelos non eſſe creatos in cœlo empyreo: ſed tantùm propè illud. Ratio eſt, quia dum creati ſunt Angeli, habebant duo, ſcilicet quòd eſſent ſupremæ creaturæ, & quòd eſſent in via, non autem in termino (ad quod ſecundum non ſatis advertit 1. part. quæſt. 61. art. 40. S. Thomas dum contrarium tenuit:) Ergo debuerunt quidem creari in ſupremo loco, ſed in ſupremo loco viæ: Atqui cœlum empyreum eſt locus termini, ut omnes fatentur: Ergo Angeli in illo non ſunt creati, ſed propè illud.

Dico ſecundò, Angelos eſſe alicubi. Ratio eſt, quia cùm ſint creaturæ, eſſentialiter dependent à Deo in conſervari. Ergo ſunt in aliqua parte virtuali immenſitatis divinæ; Ergo alicubi.

Dico tertiò, Angelos non eſſe in loco formaliter per operationem. Tum quia prius eſt

eos eſſe in loco, quàm operari; Namque prius eſt eos produci, quàm operari; in inſtanti autem productionis ſunt in aliquâ parte virtuali immenſitatis divinæ: Tum quia abſolutè poteſt fieri, ut ſint ſine omni operatione, cùm ſunt naturâ priores omni ſua operatione, in quo tamen caſu non eſſent nullibi. Tùm quia valdè laborant Thomiſtæ in aſſignanda operatione Angelorum locativa.

Dico quartò, Angelos poſſe correſpondere loco diviſibili: quia Deus, qui eſt ſummus in ordine naturæ intellectualis, habet extenſionem virtualem infinitam; anima rationalis quæ eſt infima in ordine naturæ intellectualis, habet extenſionem virtualem aliquam, cujus beneficio correſpondet corpori & loco diviſibili: Ergo Angeli, qui ſunt in medio ordine, habent quoque aliquam extenſionem virtualem, & quidem eò majorem quò nobiliores ſunt; cùm eò magis recedant ab anima rationali, & eò magis accedant ad Deum.

Dico quintò, Angelos eſſe in loco per ſuam extenſionem virtualem. Nam ſicut corpora ſunt in loco per applicationem extenſionis ſuæ quantitativæ ad locum: Ita à pari. Spiritus ſunt in loco per applicationem extenſionis ſuæ virtualis ad locum.

Itaque philoſophandum eſt de Ubi Angelico, ſicut de Ubi corporeo proportione ſervatâ. Quemadmodum ergo in noſtra ſententia Ubi corporeum nihil aliud eſt quàm corpus ipſum prout correſpondet tali loco; Ita Ubi Angelicum nihil eſt aliud quàm ipſe An-

gelus prout tali ſpatio coëxtendi tur.

Dico ſextò, Angelos, etſi ſint in loco diviſibili, non tamen eſſe in eo diviſibiliter & circumſcriptivè, ſed indiviſibiliter & definitivè; quia, cùm non habeant partes, ſunt neceſſariò toti in toto loco & toti in qualibet parte loci.

Dico ſeptimò, Angelòs non habere determinatos extenſionis terminos quoad parvitatem loci; quia, cùm ſint indiviſibiles & ſpiritales, proindéque penetrabiles poſſunt ſe redigere ad minus & minus ſpatium ad libitum, imò ad punctum loci.

Dico octavò, Angelos habere determinatos extenſionis terminos quoad magnitudinem loci, cùm enim finiti ſint in eſſentia, finiti quoque ſunt in extenſione locali ſicut & in aliis attributis.

Dico norò, Angelos non habere extenſionem determinatam quoad figuram loci. Quia ſi corpora non tantùm molliora, ut Cera; ſed etiam ſolidiſſima, ut aurum, poſſunt componi ſecundùm quamlibet figuram loci; quantò magis Angeli, qui penetrabiles ſunt? Hinc Angelus capax correſpondendi ſexpedæ cubicæ ſpatii, poſſet ſeſe in longum diffundendo inſtar fili extendi hinc uſque ad ſolem & ultrà.

Dico ultimò, Angelos non poſſe naturaliter eſſe in pluribus locis diſtantibus, ita ut non ſint in medio; quia nihil poni poteſt in pluribus locis diſtantibus, niſi vel per diviſionem ſui, quomodo idem vinum ponitur in pluribus ſcyphis; vel per reproductionem,

quomodo idem corpus Chriſti eſt in pluribus hoſtiis : Atqui, cùm Angelus careat partibus, nequidem divinitus dividi poteſt. Naturaliter etiam reproduci non poteſt ; tum quia reproductio impoſſibilis eſt naturaliter: tum quia, etſi reproductio quædam agenti alicui naturali poſſibilis foret, tamen reproductio Angeli illi foret impoſſibilis ; cùm enim Angelus ſit ſubſtantia ſpiritalis, non poteſt reproduci niſi per creationem, creatio autem totius naturæ vires ſuperat ; ut ſuprà probatum eſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De duratione Angelorum,

DIco primò, Angelos non eſſe conditos ante mundum corporeum. Tum quia initio Geneſeos ſcribitur, quòd *in principio Deus creavit cœlum & terram* : hoc autem verum non eſſet, ſi Angeli creati eſſent ante mundum corporeum. Tum quia Angeli ſunt quædam partes univerſi : Deus autem, qui creavit omnia ſuaviter ſecundùm ſingulorum exigentiam, non creavit partes ante totum ; propter quam etiam rationem Deus non creavit animas rationales ante corpora.

Dico ſecundò. Angelos non eſſe conditos poſt mundum corporeum, quia jam ab ipſis ferè incunabilis mundi, Satan tentavit Evam in Paradiſo. Adde quòd ante abſolutionem mundi corporei moverentur ſydera : Sydera autem moventur ab Intelligentiis, ut do-

cebimus tertiâ parte Phyſicæ.

Dico tertiò. Probabile eſt Angelos eſſe conditos primo die; quia credibile non eſt Moyſem noluiſſe facere aliquam mentionem, ſaltem implicitam, de productione Angelorum: Nulla autem eſt particula quâ Moyſes in Hiſtoria ſua comprehenderit productionem Angelorum, quàm iſta. *In principio creavit Deus Cœlum*: Unde etiam cœleſtes Mentes à ſancto Dionyſio appellantur.

Duratio Angelorum vocatur ævum, quod deſcribi ſolet, duratio rei permanentis principium habentis non finem: ſed de ævo recurret mentio, ſecundâ parte Phyſicæ.

ARTICULUS. TERTIUS.

De intellectu Angelorum.

Angeli, quia ſunt ſubſtantiæ ſpiritales, ſunt intellectivi, intellectivitas enim fundatur ſuprà immaterialitatem ſubſtantiæ: Hinc etiam vulgò Angeli vocantur Intelligentiæ.

Quidquid pertinet ad intellectum Angelorum, quatuor Paragraphis explicabimus.

In quorum primo agemus de objecto cognitionis Angelicæ. In ſecundo, de medio cognitionis Angelicæ. In tertio, de modo cognoſcendi Angelico. In quarto denique, de locutione Angelorum, quæ habet maximam cum illorum cognitione affinitatem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De objecto Cognitionis Angelicæ.

REs omnes intelligibiles revocantur ad tres claſſes, ſcilicet ad res *naturales*, res *liberas* (quæ hîc vulgò vocantur cogitationes cordium,) & res *ſupernaturales*, quæ ſæpè myſteria appellantur.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli clare cognoſcunt res omnes naturales, quæ non ſunt merè poſſibiles.

PRobatur primò. Angeli longè ſunt ſubtiliores hominibus, cùm ſint immaterialiores; & intellectivitas in immaterialitate fundetur: Atqui homines cognoſcere poſſunt res omnes naturales ſaltem confusè & ſummatim: Ergo Angeli eas diſtinctè & claré cognoſcere poſſunt: *Hoc enim rerum ordo habet* (inquit ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 57. articulo 2.) *quod quanto aliquid eſt ſuperius, tanto habeat virtutem magis unitam & ad plura ſe extendentem: ſicut in ipſo homine patet: quod ſenſus communis, qui eſt ſuperior quàm ſenſus proprius, licet ſit unica potentia, omnia cognoſcit quæ quinque ſenſibus exterioribus cognoſcuntur, & quædam alia quæ nullus ſenſus exterior cognoſcit, ſcilicet differentiam albi & dulcis: & ſimile etiam eſt in aliis conſiderare; Undè cùm An-*

cebimus tertiâ parte Phyſicæ.

Dico tertiò. Probabile eſt Angelos eſſe conditos primo die; quia credibile non eſt Moyſem noluiſſe facere aliquam mentionem, ſaltem implicitam, de productione Angelorum: Nulla autem eſt particula quâ Moyſes in Hiſtoria ſua comprehenderit productionem Angelorum, quàm iſta. ***In principio creavit Deus Cœlum***: Unde etiam cœleſtes Mentes à ſancto Dionyſio appellantur.

Duratio Angelorum vocatur ævum, quod deſcribi ſolet, duratio rei permanentis principium habentis non finem: ſed de ævo recurret mentio, ſecundâ parte Phyſicæ.

ARTICULUS. TERTIUS.

De intellectu Angelorum.

ANgeli, quia ſunt ſubſtantiæ ſpiritales, ſunt intellectivi, intellectivitas enim fundatur ſuprà immaterialitatem ſubſtantiæ: Hinc etiam vulgò Angeli vocantur Intelligentiæ.

Quidquid pertinet ad intellectum Angelorum, quatuor Paragraphis explicabimus.

In quorum primo agemus de objecto cognitionis Angelicæ. In ſecundo, de medio cognitionis Angelicæ. In tertio, de modo cognoſcendi Angelico. In quarto denique, de locutione Angelorum, quæ habet maximam cum illorum cognitione affinitatem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De objecto Cognitionis Angelicæ.

RES omnes intelligibiles revocantur ad tres claſſes, ſcilicet ad res *naturales*, res *liberas* (quæ hîc vulgò vocantur cogitationes cordium,) & res *ſupernaturales*, quæ ſæpè myſteria appellantur.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli clare cognoſcunt res omnes naturales, quæ non ſunt merè poſſibiles.

PRobatur primò. Angeli longè ſunt ſubtiliores hominibus, cùm ſint immaterialiores; & intellectivitas in immaterialitate fundetur: Atqui homines cognoſcere poſſunt res omnes naturales ſaltem confusè & ſummatim: Ergo Angeli eas diſtinctè & clarè cognoſcere poſſunt: *Hoc enim rerum ordo habet* (inquit ſanctus Thomas 1. parte quæſt. 57. articulo 2.) *quod quanto aliquid eſt ſuperius, tanto habeat virtutem magis unitam & ad plura ſe extendentem: ſicut in ipſo homine patet: quod ſenſus communis, qui eſt ſuperior quàm ſenſus proprius, licet ſit unica potentia, omnia cognoſcit quæ quinque ſenſibus exterioribus cognoſcuntur, & quædam alia quæ nullus ſenſus exterior cognoſcit, ſcilicet differentiam albi & dulcis: & ſimile etiam eſt in aliis conſiderare; Unde cùm An-*

gelus naturæ ordine ſit ſuprà hominem, inconveniens eſt dicere quod homo quacunque ſuâ potentiâ cognoſcat aliquid, quod Angelus per unam vim ſuam cognoſcitivam, (ſcilicet intellectum) non cognoſcat.

Probatur ſecundò. Tùm quia res omnes naturales Deus produxit, ut creaturæ intellectuales ex earum perfectionibus ipſius perfectiones cognoſcerent: Tum quia res omnes naturales pertinent ad totum, cujus Angeli ſunt partes, ſcilicet ad mundum: Ex quibus poſterioribus rationibus diſces cur addiderim in Concluſione hanc reſtrictionem, *quæ non ſunt merè poſſibiles.*

Secunda Conclusio.

Angeli non cognoſcunt certò cogitationes cordium.

PEr cogitationes cordium hîc intelliguntur cogitationes & affectiones merè liberæ.

Certum eſt primò, Angelos poſſe cognoſcere cogitationes cordium per revelationem ſpecialem, vel per directionem creaturarum liberarum ad ipſos.

Certum eſt ſecundò, Angelos poſſe aliquandò conjecturaliter ex actionibus & ſignis exterioribus devenire in cognitionem liberarum affectionum: Nam experientiâ patet id poſſe homines, quantò ergo magis Angeli?

Senſus ergo Concluſionis eſt, Angelos non poſſe certò citrà revelationem, aut directionem,

ctionem, cogitationes cordium exteriùs non manifeſtatas detegere.

Probatur primò ex Scripturis, Jeremiæ c. 17. ubi Deus ſic loquitur; *Pravum eſt cor hominum & inſcrutabile, quis cognoſcit illud; Ego Dominus cor & probans renes.* Primæ Corinthiorum c. 2. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ ſunt Dei nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.*

Probatur ſecundò authoritate ſancti Hilarii, qui in Pſalmum 139. dicit, *cogitationes noſſe, ejus tantùm eſſe*, de quo dictum eſt, *Scrutans corda & renes Deus.*

Probatur tertiò. Tota creatura intellectualis poſtulat propter dominium quod habet in actiones ſuas liberas, ut tales actiones ſine ipſius conſenſu alteri non manifeſtentur: Atqui Deus produxit res omnes ſecundùm ſuas exigentias naturales, cùm ex Sapientiæ c. 8. *diſponat omnia ſuaviter*; Ergo ita produxit Angelos ut non poſſint cognoſcere cogitationes liberas, ſine conſenſu cogitantis.

Confirmatur. Si unus Angelus cognoſcere poſſet cogitationes alterius; alter viciſſim cognoſcere poſſet cogitationes illius: At nullus eſt Angelus, qui cognoſcere vellet cogitationes alterius, eâ conditione, ut ipſius cogitationes à cæteris cognoſcerentur; majorem quippè creatura intellectualis habet exigentiam ſuas cogitationes occultandi, quàm alienas detegendi. Deus autem ſolet parere majori exigentiæ: Ergo Angeli non cognoſcunt cogitationes cordium.

Objicies primò. Furta, homicidia, ſtupra etſi libera, cognoſcuntur ab hominibus & Angelis, invitis authoribus: Ergo, & cogitationes cordium.

Nego paritatem. Ratio diſparitatis eſt, quia priores actiones ſunt tantùm liberæ imperativè & extrinſecè, poſteriores contrà. Adde quòd cùm actiones illæ externæ ſenſibiles ſint, mittunt neceſſariò ſui ſpecies; proindéque invitis dominis cognoſcuntur: Actiones autem liberæ, ut potè ſpiritales, ſui ſpecies non immittunt, niſi exterioribus ſignis prodantur. Hinc ſanctus Hieronymus in Pſalmum 16. ſic ſcribit: *Diabolus neſcit quid intrinſecùs in anima cogitet homo, niſi per exteriores motus intelligat.*

Inſtabis. Eſto affectiones voluntatis ſint liberæ intrinſecè; cognitiones tamen intellectus non magis ſunt liberæ intrinſecè quàm actiones virtutis motricis: Ergo tam debent poſſe cognoſci ab Angelis illæ, quàm iſtæ.

Nego paritatem; quia intellectus liber eſt intrinſecè non quidem formaliter, ſicut voluntas, ſed radicaliter (ut aiunt;) adeò ut ſublato intellectu nulla eſſe poſſet libertas in naturâ intellectuali, cùm libertas voluntatis fundetur in amplitudine intellectus, ut dictum eſt Diſputatione de libertate. At verò facultates exteriores ſunt tantùm liberæ extrinſecè, ita ut illis omnibus præcìſis adhuc voluntas foret libera.

Objicies ſecundò. Cogitationes cordium non ſuperant vires intellectûs Angelici: Ergo Angelus eas poſſet cognoſcere.

Diſtinguo conſequens. Si Angelus earum haberet ſpecies, concedo: ſecùs, nego. Sic multa ſunt objecta naturalia, quæ facilè poſſemus cognoſcere, ſi eorum ſpecies haberemus, quæ tamen defectu talium ſpecierum nos latent. Quod ergo Angelis non cognoſcunt cogitationes cordium, non oritur ex infirmitate illorum intellectûs, ſed ex eo quòd accipiant ſuas ſpecies à Deo, ut ſequenti Paragrapho dicemus; Deus autem non dedit illis initio ſuæ productionis ſpecies actionum liberalium: quia tunc tantùm Angeli accipiunt ſpecies objectorum à Deo, quando cognitio talium objectorum eſt ipſis debita: Atqui in primo inſtanti productionis cognitio alienarum actionum liberarum non eſt Angelis debita; alioqui cognitio cognitionum unius Angelis eſſet debita alteri, quod tamen ipſe nollet: Ergo Angeli non accipiunt ſpecies alienarum actionum liberarum initio ſuæ productionis, ſed eas accipiunt de novo, prout congruit ſocietati creaturarum intellectualium.

Tertia Conclusio

Angeli naturaliter non cognoſcunt res ſupernaturales.

Probatur primò ex eo quòd demones incarnationem etiam factam non agnoverint; aliàs Satanas nunquam tentaſſet Chriſtum, cùm ſatis agnoviſſet ex illis tentationibus nihil eſſe ſibi ſuperandum: neque etiam demones incitaſſent Judeos contra ipſum, cùm

ſatis cognoviſſent paſſionem ejus ſibi fore magis noxiam quàm ejus vitam. Hoc ratiocinium colligitur ex ſecundo capite primæ ad Corinthios, ubi ſic ſcribit Apoſtolus : *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit; ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.*

Probatur ſecundò. Inter res ſupernaturales infimum locum tenent myſteria Gratiæ, nam myſterium Trinitatis longè ſuperius eſt : Atqui Angeli non cognoſcunt naturaliter myſteria Gratiæ : Ergo naturaliter non cognoſcunt res ſupernaturales. Minorem ſic probat ſanctus Thomas 3. p. quæſt. 57. art. 5. *Hæc myſteria ex purâ Dei voluntate dependent; Si autem unus Angelus non poteſt cognoſcere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes; multo minùs poteſt cognoſcere ea quæ ex ſola Dei voluntate dependent : & ſic argumentatur Apoſtolus* 1. *Corinthiorum* c. 2. *Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt; ita quæ ſunt Dei, nemo novit niſi Spiritus Dei.*

Probatur ultimò à priori : Res ſupernaturales ſunt ſupernaturales : Ergo naturalem cujuſlibet intellectûs creati captum ſuperant.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De medio Cognitionis Angelicæ.

SUpponendum eſt potentiam cognoſcitivam cognoſcere non poſſe niſi determine-

tur vel ab objecto, vel ab imagine ſeu ſpecie objecti, vel ab aliquo alio fungente vicibus objecti; nam ut rectè docet ſanctus Auguſtinus, *à cognoſcente & cognito fit cognitio.*

PRIMA CONCLUSIO.

Angelus ſe ſuaque omnia intrinſeca ſine ſpecie cognoſcit.

PRobatur. Ubi objectum præſens eſt & proportionatum, non opus eſt ſpecie, quæ ſcilicet vicaria eſt objecti, illiuſque vicibus fungitur, proindéque illo præſente inutilis eſt: Atqui quæcunque ſunt Angelo intrinſeca, illi ſatis ſunt præſentia & proportionata: Ergo ad ea intelligenda non eget ſpecie.

Objicies. Anima rationalis non poteſt cognoſcere ſe ſine ſpecie: Ergo nec Angelus.

Diſtinguo antecedens. In hac vita, concedo: in futura, nego. Ratio diſparitatis eſt, quòd in hac vitâ nihil ſit in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu; proindéque cùm anima, ut potè ſpiritalis, per ſe in ſenſu eſſe non poſſit, nec poteſt per ſe eſſe in intellectu: At Anima rationalis in alterâ vitâ poterit ſe cognoſcere ſine ſpecie.

Ex hac concluſione ſequitur, Angelum non indigere ſpeciebus ad cognoſcendos alios Angelos ſibi intimè præſentes localiter, quia tunc alii Angeli ſunt illi ſufficienter præſentes, & proportionati.

Dices. Sequeretur unum Angelum illabi in alterum: Atqui ex effato Theologico, illapſus eſt ſolius Dei proprius.

Diſtinguo majorem. Sequeretur unum Angelum illabi in alterum, ſine dominio in ipſum, concedo: cum dominio in ipſum, nego. Effatum autem illud vulgare intelligendum eſt de illapſu cum abſoluto dominio. Diſcrimen ergo inter illapſum objectivum Dei & Angeli, conſiſtit in eo quòd illapſus Dei ſit in libertate Dei: illapſus autem non ſit in libertate Angeli, dum Angelus eſt præſens alteri.

Secunda Conclusio.

Angelus poteſt naturaliter cognoſcere Deum abſtractivè ſine ſpecie.

Probatur. Angelus cognoſcit ſe ſine ſpecie, ut dictum eſt: Atqui non poteſt ſe perfectè cognoſcere, quin Deum abſtractivè ſaltem cognoſcat; namque non poteſt ſe perfectè cognoſcere, quin cognoſcat ſe à Deo pendere; (dependentia enim à Deo, gradus eſt eſſentialis cuilibet creaturæ:) Atqui non poteſt cognoſcere ſe à Deo pendere, quin Deum abſtractivè ſaltem cognoſcat, cùm relata ſint ſimul cognitiones: Ergo Deum cognoſcit ſine ſpecie.

Tertia Conclusio.

Angelus non poteſt in ſe omnia intelligere.

Probatur. Nihil poteſt eſſe medium aliud intelligendi, niſi vel ſit ſpecies ejus intelligibilis, ejus cauſa, vel ejus effectus, vel

aliquid ei ſimile univocè: Atqui Angelus non eſt ſpecies intelligibilis, nec cauſa, nec effectus omnium rerum; nec ipſis ſimilis univocè, ut ſatis patet: Ergo non poteſt eſſe ſibi medium omnia intelligendi.

Ex quo patet, Angelos egere ſpeciebus, ut res ſpiritales à ſe diſtantes, & res omnes materiales intelligant.

Controverſia eſt, undè ſuas habeant ſpecies Angeli, an ab objectis, inſtar ſensûs externi; an à ſe ipſis, inſtar animæ rationalis; an ab ipſo Deo.

Quarta Conclusio.

Species Angelicæ non veniunt ab objectis.

Probatur. Objecta intellectûs Angelici vel materialia ſunt, vel ſpiritalia: Atqui neutra emittunt ſpecies ad intellectum Angelicum. Non quidem materialia, quia res materiales nihil poſſunt producere ſpiritale, ſpecies autem Angelicæ ſpiritales ſunt, cùm recipiantur in ſubjecto ſpiritali. Neque etiam ſpiritalia, quia objecta ſpiritalia vel diſtant ab Angelis, vel non. Si non diſtant, non opus eſt ut immittant ſpecies, cùm per ſe immediatè concurrere poſſint ad ſui cognitionem; ut dictum eſt. Si diſtant, non poſſunt ſpecies immittere, quia intercipietur medium quoddam corporeum: nullum autem accidens ſpiritale per medium corporeum tranſmitti poteſt.

Objicies. Res viſibiles mittunt ſpecies viſibiles ad potentiam viſivam: Ergo à pari,

res intelligibiles mittunt ſpecies intelligibiles ad potentiam intellectivam.

Nego paritatem, quia proportio eſt inter res viſibiles, potentiam viſivam, & medium, cùm hæc omnia ſint corporea: At verò non eſt proportio inter res intelligibiles; potentiam intellectivam, & medium. Nam vel objecta intelligibilia ſunt materialia, quo in caſu non poſſunt agere in intellectum ſpiritalem: vel ſpiritalia, quo in caſu ſi diſtent, nihil poſſunt producere ſpiritale, (cùm accidens ſpiritale per medium corporeum propagari nequeat, eo quòd quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur:) ſi verò non diſtent, ſatis poſſunt intelligi ſine ſpeciebus.

Quinta Concluſio.

Angeli ſuas ſibi ſpecies non cudunt.

PRobatur. Ut Angeli ſibi ſuas ſpecies cuderent, oporteret ut ad id ab aliquâ præviâ cognitione determinarentur: ſicut intellectus agens in homine à præviâ cognitione ſenſitiva excitatur ad fabricam ſpecierum intelligibilium: Atqui Angeli ad cudendas ſpecies determinari non poſſunt ab ullâ cognitione præviâ; cùm nullam habeant cognitionem intellectioni præviam: Ergo Angeli ſibi ſuas ſpecies non cudunt.

Objicies. Anima rationalis ſuas ſibi ſpecies cudit: Ergo & Angelus; cùm non ſit deterioris conditionis.

Nego paritatem, quia anima rationalis ad cudendas ſpecies intelligibiles excitatur à cognitione

cognitione ſenſitivâ præviâ; facilè autem concipi poteſt animam per potentiam aliquam ſpiritalem cudere poſſe ſpecies ſpiritales eorum objectorum, quæ jam cognoſcit per potentiam corpoream: At verò non poteſt concipi à quo determinetur Angelus ad ſpecies ſuas ſibi formandas. Probatio nulla eſt, alioquin hæc valeret conſequentia; Homo non eſt deterioris conditionis quàm canis; Atqui canis generans producit animam catuli geniti: Ergo homo generans producit animam infantis geniti.

SEXTA CONCLUSIO.

Angelus accipit ſuas ſpecies à Deo.

PRobatur. Dei, ut potè authoris naturæ, eſt per ſe præſtare, quæ exiguuntur à naturâ, nec poſſunt ab ullâ cauſâ ſecundâ fieri: (Et propter hanc rationem omnes Philoſophi recurrunt ad Deum in productione animæ rationalis:) Atqui Angeli, ut potè intellectivi, exigunt ſpecies intelligibiles, quæ tamen à nullâ cauſâ ſecundâ produci poſſunt (ut dictum eſt:) Ergo recurrendum eſt ad Deum.

Objicies. Sequeretur illas ſpecies eſſe infuſas, proindéque vel ſupernaturales, vel miraculoſas.

Concedo primam ſequelam, & nego ſecundam: Nam non omne quod infunditur, aut fit à Deo ſolo, & ſupernaturale eſt, aut miraculoſum: ſed tantùm quod infunditur, aut fit à Deo ſolo ſupra exigentiam naturæ; Undè quotidiana creatio animarum rationalium, nec ſupernaturalis eſt, nec miraculoſa.

Ultima Conclusio.

Species rerum naturalium infuſæ ſunt Angelis primo inſtanti creationis; non autem ſpecies omnes rerum ſupernaturalium, & liberarum.

PRobatur primò. Species infunduntur Angelis, quandò exiguntur ab Angelis: Atqui ſpecies rerum naturalium primo inſtanti creationis exiguntur ab Angelis, vel nunquam exigerentur; ſpecies autem rerum ſupernaturalium & liberarum non exiguntur ab Angelis, ut probatum eſt ſecundâ & tertiâ Concluſione ſuperioris Paragraphi; Ergo, &c. Hæc ratio totam probat Concluſionem.

Probatur ſecundò prima pars Concluſionis. Opera quæ à Deo particulariter operante procedunt, ſunt perfecta, ut diximus in prolegomenis Philoſophiæ, probando Deum infudiſſe Philoſophiam Adamo: Atqui Angeli ſunt opera à Deo particulariter operante procedentia, ut dictum eſt Capite 2. Ergo Angeli ſunt creati perfecti ſecundùm ſua naturalia. Atqui cognitio rerum omnium naturalium per ſe pertinet ad perfectionem naturalem Angelorum, cùm etiam pertineat ad perfectionem naturalem hominum: Ergo Angeli conditi ſunt cum ſpeciebus ad cognitionem rerum omnium naturalium neceſſariis.

Dixi in ſecundâ parte Concluſionis, Species omnes rerum ſupernaturalium infuſas non fuiſſe Angelis primo inſtanti creationis; nam cùm Deus in productione Angelorum *ſi-*

mul fuerit *condens naturam & largiens gratiam* (ut loquitur ſanctus Auguſtinus;) non eſt dubium quin aliquæ ſpecies ſupernaturales infuſæ fuerint Angelis primo inſtanti productionis, ſcilicet ſpecies rerum ſupernaturalium quas credere debeat in ſuo ſtatu viæ.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De modo cognoſcendi Angelorum.

PRIMA CONCLUSIO.

Angelus ſemper eſt in actu reſpectu cognitionis ſui ipſius.

PRobatur. Omnis natura vivens ſemper eſt in actu reſpectu alicujus actionis vitalis, Ergo & Angelus: Atqui in naturâ purè ſpirituali, qualis eſt Angelica, nulla eſt actio vitalis prior cognitione: Ergo Angelus ſemper eſt in actu reſpectu alicujus cognitionis. Atqui nulla eſt cognitio connaturalior Angelo, quàm cognitio ſui ipſius: Ergo ſemper actu ſe cognoſcit.

Confirmatur. Quò intellectus acutior eſt, eò magis eſt in actu. Undè homines docti & ſubtiles vix per momentum poſſunt abſtinere ab aliqua cogitatione: Atqui Angeli longè ſunt ſubtiliores etiam ſubtiliſſimis hominibus, cùm ſint immaterialiores: Ergo ſemper ſunt in actu reſpectu alicujus cognitionis: Atqui nullum objectum eſt illis magis præſens, proportionatum & naturale quàm propria ſubſtantia: Ergo ſemper eam cognoſcunt.

Secunda Conclusio.

Angeli ſuperiores habent cognitiones univerſaliores.

PRobatur. Quò Angeli ſunt ſuperiores, habent modum cognoſcendi ſuperiorem; (modus enim operandi ſequitur modum eſſendi:) Atqui modus cognoſcendi per cognitiones univerſaliores ſuperior eſt modo intelligendi per cognitiones minùs univerſales, cùm ſit brevior: Ergo, &c.

Confirmatur. Deus, qui eſt perfectiſſimum intelligens, unicâ cognitione omnia intelligit: Homo verò qui eſt intelligens infimum, multas habet cogitationes etiam circa eamdem rem? Ergo cùm Angeli quò ſunt ſuperiores magis recedant ab homine, & magis accedant ad Deum, eò intelligunt per cognitiones univerſaliores: *Quæ enim ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt unita in ſuperioribus*, inquit ſanctus Dionyſius.

Tertia Conclusio.

Angeli non ratiocinantur circa naturalia.

PRobatur. Ratiocinari eſt habere duas cognitiones, quarum prior cauſa ſit poſterioris: Atqui Angeli non ita cognoſcunt naturalia; cùm enim habeant ſpecies humanis univerſaliores, concluſiones in principiis, & effectus in cauſis unico penetrant intuitu.

Confirmatur. Quò homines ſunt doctiores & ſubtiliores, eò minùs circà naturalia ratiocinantur; quia per ſapientiam, quæ coronis quædam eſt & conſummatio ſcientiæ, concluſiones in principiis intuentur: Atqui Angeli, ſubtiliores ſunt etiam ſubtiliſſimis hominibus: Ergo circa naturalia non ratiocinantur. Hoc ratiocinium deſumitur ex ſancto Thomâ 1. part. quæſt. 58. art. 3. ubi ſic habet: *Inferiores intellectus, ſcilicet hominum, per quemdam motum & diſcurſum, intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiſcuntur, dùm ſcilicet ex uno cognito in aliud cognitum procedunt: Si autem ſtatim in ipſa cognitione principii non inſpiceret quaſi notas omnes concluſiones conſequentes; in eis diſcurſus locum non haberet. & hoc eſt in Angelis, quia ſtatim in illis quæ primò naturaliter cognoſcunt, inſpiciunt omnia quæcumque in eis cognoſci poſſunt; & ideo dicuntur intellectuales; quia etiam apud nos ea quæ ſtatim naturaliter apprehenduntur, intelligi dicuntur: Undè intellectus dicitur habitus primorum principiorum: Animæ verò humanæ quæ veritatis notitiam per quemdam diſcurſum acquirunt, rationales vocantur; quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis: Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, ſicut Angeli: ſtatim in primo aſpectu principiorum, totam virtutem eorum comprehenderent, intuendo quid ex his ſyllogiſari poſſet.*

ULTIMA CONCLUSIO.

Angeli circà libera & ſupernaturalia ratiocinari poſſunt.

PRobatur primò ex multis Patribus, qui dum agunt de tentatione Chriſti à Dæmone, dicunt, non aliâ de causâ Dæmonem Chriſtum tentaſſe, quàm ut ex ejus dictis & factis inferre poſſet, utrùm Chriſtus eſſet Deus, nec ne.

Probatur ſecundò ratione. Ratiocinari eſt ex unâ cognitione notiore, aliam minùs notam deducere: Atqui Angeli id poſſunt circà libera & ſupernaturalia, quorum videlicet non habent ſpecies infuſas: Nam v. g. Dæmon ex actibus & ſignis exterioribus poteſt conjecturaliter inferre cogitationes cordium, & ex factis Chriſti poterat ſaltem probabiliter colligere ejus divinitatem: Ergo Angeli circà libera & naturalia ratiocinari poſſunt.

Objicies Actus proprius & ſpecificus unius naturæ non poteſt alteri competere: Atqui ratiocinari eſt actus proprius & ſpecificus naturæ humanæ: Ergo non poteſt competere Angelicæ.

Diſtinguo majorem. Ratiocinari dependenter à ſenſibus & phantaſmatibus, eſt actus ſpecificus naturæ humanæ concedo: ratiocinari independenter à ſenſibus & phantaſmatibus, nego.

PARAGRAPHUS ULTIMUS.

De Locutione Angelorum.

LOqui eſt ſuum conceptum manifeſtare, proindéque locutio eſt manifeſtatio conceptus. Omnis natura intellectualis ſocialis eſt, proindéque utitur locutione quâ ſolâ ſcilicet ſocietas fovetur: Atqui Angeli intellectuales ſunt: Ergo loqui poſſunt.

Loquuntur autem Angeli & Deo, & nobis, & ſibi invicem. Non loquuntur Deo ipſi imprimendo ſpecies, quia Deus eſt immutabilis; ſed ad illum ſuas cogitationes dirigendo, quomodo etiam nos hinc Deum alloquimur.

Loqui poſſunt nobis dupliciter, ſcilicet exteriùs ſonos articulatos in corporibus aſſumptis efformando; quomodo Gabriël allocutus eſt beatam Virginem, Lucæ c. 1. & interiùs, ſcilicet ſpecies quæ ſunt in phantaſiâ commovendo, dividendo, componendo; quomodo forſan Angelus apparuit ſancto Joſeph in ſomnis dicens; *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Matthæi c. 1.

Loquuntur autem ſibi invicem, non imprimendo ſpecies: diximus enim Paragrapho ſuperiore, Angelos nullas ſpecies immittere, ſed ſuum conceptum dirigendo; quâ directione fit, ut Deus iis imprimat ſpecies eorum quæ volunt ſibi invicem manifeſtare. Nam ut diximus Paragrapho ſecundo, Deus infundit ſpecies Angelis, quandò eis debentur; quandò autem unus Angelus dirigit ſuum

conceptum ad alterum; tunc alteri illius conceptus ſpecies debetur; cùm Angeli ut potè intellectuales, proindéque ſociales, ex naturâ ſuâ exigant ſibi invicem ſuos manifeſtare conceptus, nec aliter poſſint: Ergo Deus ſpecies cogitationum liberarum Angelis infundit ad directionem & exigentiam aliorum.

Nec dicas, hoc modo potiùs Deum loqui quàm Angelum; proindéque Deum aliquando mentiri: dum ſcilicet unus Dæmon alteri mentiri vult.

Sicut enim cùm Legatus vernaculi noſtri idiomatis inſcius Regem per interpretem alloquitur, ipſe Legatus propriè loquitur, non autem interpres; & ſi quid interveniat mendacii, Legato tribui debet, non interpreti, Ita à pari, in illâ locutione Angelorum, locutio potiùs tribui debet Angelo quàm Deo; proindéque ſi quid interveniat fraudis, ſoli Angelo aſcribi debet, non Deo; quia ſcilicet in tali hypotheſi Deus concurrit ut cauſa quædam generalis determinata à particulari.

In hac ſententiâ facilè poteſt explicari quomodo unus Angelus alteri loqui poſſit ſecretò, dum ſcilicet ad illum ſolum ſuam dirigit conceptionem aut affectionem: quomodo loqui poſſit demiſsè; dum ad paucos ſuas cogitationes dirigit: quomodo item elatè; dum ad omnes, vel ad multos.

Porrò ſi uns Angelus alteri loquitur, alter audit.

Audire Angelicum nihil aliud eſt in noſtrâ ſententiâ, quàm percipere quid alter velit, per ſpecies à Deo infuſas ad directionem alterius.

Cæterum ita ſe habent in Angelis locutio & illuminatio, quomodo in hominibus locutio & doctio: Sicut ergo in hominibus locutio cujuſlibet eſt, doctio verò tantùm eruditioris; ita in Angelis locutio cujuſlibet eſt, illuminatio verò tantùm ſuperioris.

Obſerva hic, nos viatores eodem modo alloqui Angelos & Sanctos, quomodo Angeli ſeſe invicem alloquuntur, ſcilicet per directionem: proindéque mirum non eſſe ſi eos ex maximâ diſtantiâ alloqui poſſimus; quidquid in contrarium effutiant ineptè quidam Hæretici. Decimum ſextum Caput legant Evangelii ſancti Lucæ, in quo anima Divitis Epulonis alloquitur animam Abrahæ ex maximâ diſtantiâ, ut ibidem ſignificat anima Abrahæ ſic reſpondens: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt.*

ARTICULUS QUARTUS.

De Voluntate Angelorum.

Potentias appetitivas oportet eſſe proportionatas potentiis apprehenſivis, inquit ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 83. art. 4. Appetitus autem proportionatus intellectui, eſt voluntas: Ergo cùm in Angelis ſit intellectus; in eis quoque eſt voluntas, & quidem voluntas libera; nam ut ratiocinatur idem Doctor 1. part. quæſt. 59. art. 3. *Id quod habet intellectum, poteſt agere ex judicio libero, inquantum cognoſcit univerſalem rationem boni, ex quâ poteſt judicare hoc vel illud eſſe bonum; Unde ubicumque eſt intel-*

lectus, ibi eſt liberum arbitrium. Et ſic patet liberum arbitrium eſſe in Angelis, & excellentius quàm in hominibus, ſicut & intellectum.

Ex quibus patet in Angelis eſſe amorem & naturalem, & electivum ſeu liberum. Naturalem quidem, quo ſe ſuamque Beatitudinem diligunt; electivum verò, quò eligunt media in ordine ad Beatitudinem: Unde naturalis dilectio in illis, ſicut & in nobis, eſt principium electivæ; quia (ut argumentatur ſanctus Thomas 1 parte quæſt. 60. art. 2.) *Semper id quod pertinet ad prius, habet rationem principii: Unde cùm natura ſit primum quod eſt in unoquoque, oportet quod id quod ad naturam pertinet, ſit primum in quolibet; & hoc apparet in homine quantùm ad intellectum, & quantùm ad voluntatem. Intellectus enim cognoſcit principia naturaliter; & ex hac cognitione cauſatur in homine ſcientia Concluſionum; quæ non cognoſcuntur naturaliter ab homine, ſed per inventionem vel doctrinam. Similiter autem in voluntate, finis hoc modo ſe habet ſicut principium in intellectu, ut dicitur in ſecundo Phyſicorum; Sicut enim intellectus cognoſcit principia naturaliter, ſic voluntas vult finem naturaliter: Unde voluntas naturaliter tendit in ſuum finem ultimum: omnis enim homo naturaliter vult Beatitudinem; Et ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates; cùm quidquid homo vult, velit propter finem.*

Porrò hæc tantùm intelliguntur de actionibus naturalibus; non autem de ſupernaturalibus: *Horum enim natura non eſt principium*

ſufficiens, inquit ſanctus Thomas in fine Articuli citati

ARTICULUS ULTIMUS.

De Potentiâ motrice Angelorum.

NUllam habent Angeli facultatem activam ad extrâ, præter vim motricem: Unde quidquid extrà ſe præſtant, præſtant tantùm movendo localiter, & applicando activa paſſivis, ut communiter docent omnes Theologi & Philoſophi; & nos docuimus agendo de Cauſâ ſecundâ, Paragrapho ſecundo, Concluſione primâ

Per ſuam autem vim motricem tria præſtant Angeli. Primò, movent ſe ipſos. Secundò, movent alia à ſe. Tertiò denique, aliquandò aſſumunt quædam corpora. Quapropter de illis totidem Paragraphis dicendum eſt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De motu interno Angelorum.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli poſſunt movere ſeipſos.

PRobatur primò ex Scripturis, ex quibus conſtat Raphaëlem comitatum fuiſſe juniorem Tobiam per totam ſuam peregrinationem; & Gabriëlem deſcendiſſe de cœlo, ut ſalutaret beatam Virginem, eique myſterium Incarnationis annuntiaret.

Probatur ſecundò ratione. Omnis creatura cognoſcitiva poteſt ſeipſam localiter mo-

vere. Atqui Angeli ſunt creaturæ cognoſcitivæ : Ergo Angeli poſſunt ſe ipſos localiter movere. Probatur major : Tum inductione factâ per omnium creaturarum cognoſcitivarum genera : Tum hac ratione, Omnis creatura cognoſcitiva poteſt naturaliter appetere eſſe alibi, quàm ſit : Ergo habet virtutem aliò quàm ſit ſe transferendi. Nam viventia cognoſcitiva poſſunt ſe movere ad id omne quod naturaliter appetunt : Alioquin appetitus naturalis eſſet fruſtraneus.

Secunda Conclusio.

Angeli non poſſunt naturaliter ſe movere in inſtanti.

Est ſancti Thomæ 1. parte quæſt. 53. art. 3. & ſancti Bonaventuræ in primum lib. Sententiarum diſtinct 33. quæſt. 3.

Probatur. Velocitas inſtantanea motûs localis, eſt maxima velocitas quæ poſſit eſſe: Ergo non poteſt eſſe niſi à maximâ virtute quæ poſſit eſſe, qualis eſt ſola virtus divina. Probatur conſequentia. Creſcit velocitas motûs localis ſecundùm incrementum virtutis motricis : Ergo ut ſit maxima velocitas motûs localis, debet eſſe à maximâ virtute motrice.

Confirmatur. Inæquales ſunt potentiæ motrices Angelorum in diverſis ſpecie Angelis, ſicut & eſſentiæ : Atqui ſi Angeli poſſent movere ſe in inſtanti, non eſſent inæquales eorum virtutes motrices : Ergo non poſſunt.

Objicies. Angelis, ut pote ſpiritalibus, medium non reſiſtit : Ergo poſſunt moveri in

inſtanti ; quò enim minùs reſiſtit medium, eò celerior eſt motus : Ergo ubi nullo modo reſiſtit medium, motus eſt in inſtanti.

Nego conſequentiam. Succeſſio enim & tarditas motûs localis non repetitur à ſolâ reſiſtentiâ medii ; ſed etiam à diſtantiâ extremorum, & à finitudine virtutis motricis ; quare probatio Sophiſtica eſt ; eſt enim à causâ inadæquatâ, tanquam à causâ adæquatâ ; quod captioſum eſt, ex fine compendii Logici.

Tertia Conclusio.

Angelus in indiviſibili conſtitutus naturaliter non poſſet deſerere locum,

PRobatur. Implicat rem inextenſam ſucceſſivè moveri localiter, ut ſupponimus hîc, probandum in Phyſicis diſputatione de motu : Atqui Angelus non poteſt naturaliter moveri niſi ſucceſſivè, ex concluſione ſuperiori : Ergo in indiviſibile conſtitutus naturaliter non poſſet deſerere locum.

Ultima Conclusio.

Implicat Angelos moveri ab extremo ad extremum, non tranſeundo per medium.

EST Alenſis 2. parte, quæſt. 23. membro 2. & S. Bonaventuræ in primum lib. Sententiarum diſtinct. 21. quæſt. 12.

Probatur primò. Connexio quædam naturalis eſt inter loca percurrenda, tam neceſſaria, ut ſubſtantia ſtatim atque deſerit aliquem locum, velit nolit, excipiatur à viciniori, ut

vere. Atqui Angeli ſunt creaturæ cognoſcitivæ: Ergo Angeli poſſunt ſe ipſos localiter movere. Probatur major: Tum inductione factâ per omnium creaturarum cognoſcitivarum genera: Tum hac ratione, Omnis creatura cognoſcitiva poteſt naturaliter appetere eſſe alibi, quàm ſit: Ergo habet virtutem aliò quàm ſit ſe transferendi. Nam viventia cognoſcitiva poſſunt ſe movere ad id omne quod naturaliter appetunt: Alioquin appetitus naturalis eſſet fruſtraneus.

Secunda Concluſio.

Angeli non poſſunt naturaliter ſe movere in inſtanti.

EST ſancti Thomæ 1. parte quæſt. 53. art. 3. & ſancti Bonaventuræ in primum lib. Sententiarum diſtinct 33. quæſt. 3.

Probatur. Velocitas inſtantanea motûs localis, eſt maxima velocitas quæ poſſit eſſe: Ergo non poteſt eſſe niſi à maximâ virtute quæ poſſit eſſe, qualis eſt ſola virtus divina. Probatur conſequentia. Creſcit velocitas motûs localis ſecundùm incrementum virtutis motricis: Ergo ut ſit maxima velocitas motûs localis, debet eſſe à maximâ virtute motrice.

Confirmatur. Inæquales ſunt potentiæ motrices Angelorum in diverſis ſpecie Angelis, ſicut & eſſentiæ: Atqui ſi Angeli poſſent movere ſe in inſtanti, non eſſent inæquales eorum virtutes motrices: Ergo non poſſunt.

Objicies. Angelis, ut pote ſpiritalibus, medium non reſiſtit: Ergo poſſunt moveri in

inſtanti; quò enim minùs reſiſtit medium, eò celerior eſt motus: Ergo ubi nullo modo reſiſtit medium, motus eſt in inſtanti.

Nego conſequentiam. Succeſſio enim & tarditas motûs localis non repetitur à ſolâ reſiſtentiâ medii; ſed etiam à diſtantiâ extremorum, & à finitudine virtutis motricis; quare probatio Sophiſtica eſt; eſt enim à causâ inadæquatâ, tanquam à causâ; adæquatâ; quod captioſum eſt, ex fine compendii Logici.

Tertia Concluſio.

Angelus in indiviſibili conſtitutus naturaliter non poſſet deſerere locum,

PRobatur. Implicat rem inextenſam ſucceſſivè moveri localiter, ut ſupponimus hîc, probandum in Phyſicis diſputatione de motu: Atqui Angelus non poteſt naturaliter moveri niſi ſucceſſivè, ex concluſione ſuperiori: Ergo in indiviſibile conſtitutus naturaliter non poſſet deſerere locum.

Ultima Concluſio.

Implicat Angelos moveri ab extremo ad extremum, non tranſeundo per medium.

EſT Alenſis 2. parte, quæſt. 23. membro 2. & S. Bonaventuræ in primum lib. Sententiarum diſtinct. 22. quæſt. 12.

Probatur primò. Connexio quædam naturalis eſt inter loca percurrenda, tam neceſſaria, ut ſubſtantia ſtatim atque deſerit aliquem locum, velit nolit, excipiatur à viciniori, ut

patet experientiâ: Ergo, &c.

Probatur ſecundò. Ita ſe habet tranſitus à loco diſtanti ad locum diſtantem, quomodo ſe habet tranſitus à tempore diſtanti ad tempus diſtans: Atqui Angelus non poteſt tranſire à tempore diſtanti ad tempus diſtans, niſi tranſeat & duret per omne tempus intermedium: Ergo à pari, non poteſt tranſire à loco diſtanti ad locum diſtantem, niſi tranſeat & moveatur per latum ſpatium intermedium.

Objicies primò. Ad prolationem verborum conſecratoriorum Chriſtus deſcendit de cœlis ad altare, non tranſeundo per medium: Ergo Angelus ſaltem divinitus poteſt tranſire ab extremo ad extremum, non tranſeundo per medium.

Nego antecedens. Corpus enim Chriſti ad prolationem verborum non deſcendit de cœlis; ſed reproducitur ſub ſpeciebus. Fateor etiam Deum facere poſſe, ut Angelus Pariſiis exiſtens, conſtituatur Romæ non tranſeundo per medium, ſed nego id Deum facere poſſe per motum localem.

Objicies ſecundò. Intellectus noſter ſæpè cogitat de rebus diſtantibus, non cogitando de mediis: Ergo à pari, Angelus moveri poteſt à loco ad locum, non tranſeundo per medium.

Nego paritatem. Tum quia objecta intelligibilia non habent tam neceſſariam connexionem, ac loca: tum maximè quia cùm intellectus habeat apud ſe ſpecies rerum intelligendarum, poteſt his vel illis ſe applicare ad libitum intelligentis: At loca ſunt extra Angelum tali ſerie inter ſe poſita.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De motu tranſeunte Angelorum.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli poſſunt movere corpora.

PRobatur primò. Tum quia Scriptura referta eſt his motibus. Danielis c. 14. Angelus tranſtulit Abacuc à Judæa Babylonem, ut daret prandium Danieli in lacu leonum: Matthæi c.4. Dæmon tranſtulit Chriſtum ſupra pinnaculum templi: Tum quia de facto Angeli movent ſydera, ut cum Ariſtotele docebimus in Phyſicis: Tum quia Cacodæmones movent Energumenos & Magos, ut patet ex Hiſtoriis.

Probatur ſecundò. Quodcunque poteſt movere ſe, poteſt movere aliud ſe inferius, ut patet inductione: Atqui Angeli poſſunt movere ſe, ex ſuperiori Paragrapho: Ergo poſſunt movere corpora, quæ ſcilicet ipſis longè ſunt inferiora.

Objicies. Si Angeli poſſent movere corpora, Dæmones omnia ſubverterent: Conſequens eſt contrà experientiam: Ergo & antecedens.

Diſtinguo ſequelam. Si Deus ſineret Dæmones uti ſuâ virtute, concedo: ſecùs, nego: Dæmones ergo habent quidem vim motricem potentiſſimam, ſed ligatam: Unde etiam Satan primo Capite Hiſtoriæ Job, poſtulat à Deo permiſſionem Job tentandi.

Secunda Concluſio.

Angeli poſſunt movere inferiores Spiritus.

PRobatur primo ex 16. capite Evangelii ſancti Lucæ, ubi legimus Angelos portaſſe animam Lazari in ſinum Abrahæ.

Probatur ſecundò ratione ſuperiori, quia ſcilicet quidquid poteſt movere ſe, poteſt & aliud ſibi inferius.

Porro Angeli movendo aliqua extrà ſe, quemdam (aliquando ſaltem) producunt impetum: Nam omne agens, quod non attingit paſſum immediatè immediatione ſuppoſiti, debet in illo paſſo aliquam virtutem producere: Atqui Angeli poſſunt movere corpora vel Spiritus inferiores ad loca à ſe diſſita; quia non eſt denegandum virtuti motivæ Angelorum, quod patet experientiâ convenire virtuti motivæ corporum longè inferiori: Ergo tunc in illis mobilibus Angeli producunt impetum; hoc eſt qualitatem quādam impulſivam, quæ qualitas ſpiritalis eſt, vel corporea, prout in mobilibus ſpiritalibus vel corporeis recipitur: quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Tertia Concluſio.

Angeli non poſſunt movere ſuperiores Angelos renitentes.

PRobatur. Quia omnis actio eſt à proportione majoris inæqualitatis, ex Ariſtotele, & ex S. Thomâ, 1. p. quæſt. 82. art. 2. ad 2.

Movens

Movens tunc ex neceſſitate cauſat motum in mobili, quandò poteſtas moventis excedit mobile.

Objicies. Angeli cuſtodes aliquando dæmones quoad naturam ſuperiores, invitos expellunt.

Diſtinguo. Adjuti uberiori & extraordinario Dei concurſu, concedo : ſeû virtute purè naturali, nego.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De aſſumptione corporum ab Angelis.

Aſſumere aliquid, ſecundùm vim vocis, idem eſt ac, ad ſe ſumere, ex ſancto Thomâ, 3. p. quæſt.3 art.1. quare Angelum aſſumere corpus, eſt Angelum corpus aliquod ad ſe ſumere ; proindéque opus eſt aliquali unione Angeli cum corpore, ut Angelus dicatur aſſumere corpus.

Verùm, unio Angeli cum corpore duplex cogitari poteſt ; Subſtantialis una, ex qua reſultet aliquid ſubſtantiale : altera accidentalis, quæ ſit quædam unio localis Angeli cum corpore.

Unio ſubſtantialis Angeli cum corpore duplex fingi poteſt : ſcilicet unio in natura, qualis eſt unio animæ cum corpore : & unio in ſuppoſito, qualis eſt unio Verbi divini cum humanitate aſſumptâ.

Unio localis Angeli cum corpore, vel eſt per meram extenſionem, ſine actione externa ; quomodo ſæpe dæmones ſunt in inferis, & Angeli in cœlis : vel per *aſſiſtentiam* motoris cum mobili ; qualis eſt unio Angeli

cum ſydere à ſe moto, & aſſumptio quâ Matthæi c. 4. Chriſtum aſſumpſit diabolus in ſanctam civitatem & ſtatuit ſuper pinnaculum Templi; vel eſt per *obſeſſionem*, quâ diabolus ſenſibus externis illudit; qualis erat ea unio, quâ l. 1. Regum c. 18. invaſit ſpiritus malus Saülem: vel per *poſſeſſionem*, quâ diabolus eſt in corpore vivo, ut illud divexet; qualis erat ea unio, quâ integra dæmonum legio erat in unico homine, Marci c. 5. vel per *ſuaſionem*; quâ Angeli cuſtodes, & dæmones tentantes ſunt in nobis: Vel denique per *apparitionem*, quâ Angelus aſſumit aliquod corpus reale eo fine, ut per ejuſmodi corpus tanquam per aliquod inſtrumentum, ſe vel aliquem ſuum conceptum, aliamve ſuam proprietatem intelligibilem, hominibus repræſentet

Certum eſt primò, non poſſe Angelos ſubſtantialiter uniri corporibus; quia vel illa unio foret in natura, vel in ſuppoſito. Non in natura, quia cùm Angelus ſit natura completa, non poteſt eſſe pars alterius naturæ: Non etiam in ſuppoſito, quia ſubſtantiæ heterogeneæ completæ non poſſunt uniri in ſuppoſito creato, ut docuimus Diſputatione de Subſiſtentia, capite quarto.

Certum eſt ſecundò, Angelos poſſe uniri localiter corporibus per extenſionem, aſſiſtentiam, obſeſſionem, poſſeſſionem, & ſuaſionem, ut patet in exemplis ſuprà allatis.

Quæritur utrùm Angeli poſſint uniri corporibus per aſſumptionem localem propriè dictam, quæ à Theologis ſic vulgò definitur.

Aſſumptio activa Angeli, eſt ſpecialis unio localis Angeli cum corpore à ſe moto, eo fine, ut ſe, ſuamque aliquam proprietatem intelligibilem hominibus repræſentet.

Hæc omnia ferè colliguntur ex S. Thomâ, 1.p. quæſt. 51. art.2. ad 2. ubi ſic habet: *Dicendum quòd corpus aſſumptum unitur Angelo non quidem ut formæ, neque ſolùm ut motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumptum: Sicut enim, in ſacrâ Scripturâ, proprietates rerum intelligibilium ſub ſimilitudinibus rerum ſenſibilium deſcribuntur, ita corpora ſenſibilia divinâ virtute ſic formantur ad Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc eſt Angelum aſſumere corpus.*

Prima Concluſio.

Angeli poſſunt aſſumere corpora.

PRobat hanc concluſionem ſanctus Thomas in corpore articuli citati, hoc modo: *Quidam dixerunt Angelos nunquam corpora aſſumere, ſed omnia quæ in Scripturis divinis leguntur de apparitionibus Angelorum, contigiſſe in viſione Prophetæ; hoc eſt ſecundùm imaginationem: ſed hoc repugnat intentioni Scripturæ. Illud enim quod imaginariâ viſione videtur, eſt in ſolâ imaginatione videntis; unde non videtur indifferenter ab omnibus: Scriptura enim divina ſic introducit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur; ſicut Angeli apparentes Abrahæ viſi ſunt ab eo, & à totâ familiâ*

ejus; & à Loth, & à civibus Sodomorum: Similiter Angelus, qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur. Ex quo manifeſtum fit, hujuſmodi contigiſſe ſecundùm corpoream viſionem, quâ videtur id quod poſitum eſt extrà videntem; unde ab omnibus videri poteſt: Tali autem viſione non videtur niſi corpus: Cùm igitur Angeli neque corpora ſint, neque habeant corpora naturaliter ſibi unita, (ut ex dictis patet,) relinquitur quòd interdum corpora aſſumant.

Ex quo ratiocinio colliges diſcrimen realis apparitionis ab imaginaria; in eo quòd apparitio imaginaria non fiat omnibus adſtantibus; realis contrà.

Probatur ſecundò. Aſſumere corpora, quibus Angeli hominibus appareant, & loquantur, non ſuperat vires Angelicas: Ergo id poſſunt Angeli.

Secunda Conclusio.

Angeli non poſſunt propriè aſſumere corpora viva.

Probatur. Oportet ut unio Angeli cum corpore in quo apparet, imitetur ſecundùm apparentiam unionem animæ rationalis cùm corpore; ita ut totum conflatum ex Angelo corpore poſſit moraliter vocari Angelus; actioneſque omnes in illo corpore productæ tribuantur ſoli Angelo: Atqui primò, unio Angeli cum corpore vivo non imitatur unionem animæ rationalis cum corpore. v. g. unio Angeli cum Energumeno non imitatur

unionem animæ cum corpore; ut patet ex eo quòd Energumenus ſæpe renitatur Angelo. Secundò, totum conflatum ex Angelo & corpore vivente, non vocatur moraliter Angelus: Nam nemo videns Energumenum, propriè diceret: adeſt Angelus vel dæmon. Tertiò, actiones ab Angelo in corpore vivo productæ non tribuuntur ſoli Angelo, ſed ipſi corpori viventi. Hinc loquutio aſinæ Balaam, tribuitur ipſi aſinæ, Numerorum cap. 22. ubi ſic habetur. *Cumque vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis; qui iratus vehementiùs cædebat fuſte latera ejus, aperuitque Dominus os aſinæ & loquuta eſt: Quid feci tibi? cur percutis me ecce jam tertiò? Reſpondit Balaam. Quia commeruiſti, & illuſiſti mihi. Utinam haberem gladium ut te percuterem. Dixit aſina: Nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti uſque in præſentem diem; dic quid ſimile unquam fecerim tibi?* Ergo Angeli non poſſunt propriè aſſumere corpora viva, ſed tantùm ea movere, ut movent cœlos; aut torquere, ut torquent Energumenos.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli aſſumunt propriè corpora inanimata humanæ figuræ.

PRobatur. Quia unio Angeli cum corpore inanimato humanæ figuræ, habet omnia quæ requiruntur ad aſſumptionem propriè dictam. Primò enim æmulatur utcunque unionem animæ rationalis cum corpore. Se-

cundò, totum conflatum ex Angelo & corpore inanimato figuræ humanæ, poteſt moraliter vocari Angelus. Tertiò denique omnes actiones in tali corpore productæ tribuuntur ſoli Angelo, quomodo actiones hominis larvati ſoli homini tribuuntur.

Porrò Angeli vel aſſumunt corpora jam à naturâ formata; v. g. cadavera: vel quæ ipſi formant ex vaporibus, exhalationibus, ſimilibuſque corpuſculis: Tum quia poſſibilis videtur utraque aſſumptio: Tum quia de utraque fit mentio in Hiſtoriis. Differunt autem illæ aſſumptiones; quòd in priore corpora talia ſint quoad materiam qualia apparent, ſcilicet carnea, oſſea, &c. in poſteriore verò contrà, ut ſatis patet.

Dices: Chriſtus Lucæ c. ultimo, veritatem ſuæ reſurrectionis Apoſtolis probat his verbis: *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere:* Atqui ſi Angeli poſſunt aſſumere cadavera, hæc probatio Chriſti nulla fuiſſet: Ergo non poſſunt.

Nego minorem. *Cùm enim tunc ſerò eſſet, & fores eſſent clauſa, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judæorum,* [ut refert ſanctus Joannes cap. 20) certi erant Apoſtoli Angelum non potuiſſe intrare cum corpore ſolido, oſſibus & carnibus conſtante,: Itaque exiſtimabant ſe *Spiritum videre*, ut loquitur ſanctus Lucas loco objecto, ſupple, in aliquo corpore phantaſtico, & aëreo apparentem. Quod videns Chriſtus optimè eos convincit, quia (ut diximus) in apparitione

per corpora ab ipſis Angelis formata, corpora non ſunt talia; etiam quoad materiam, qualia apparent: Unde ſi non per viſum, ſaltem per tactum cognoſci poſſunt non eſſe vera corpora.

Jam verò quæritur utrùm Angeli in corporibus aſſumptis actiones propriè vitales exercere poſſint.

Conſtat Angelos in corporibus aſſumptis actiones ſuas proprias vitales exercere poſſe; Non enim impediuntur à corporibus, quominùs intelligant & velint.

Difficultas eſt utrùm Angeli uti poſſint corporibus aſſumptis tanquam inſtrumentis ad aliquas operationes vegetativas, ſenſitivas, aut humanas exercendas, v.g. ad manducandum, videndum, ridendum; cujus ut habeatur ſolutio.

Notandum primò, actiones vitales duplicis eſſe generis: nam aliæ ſunt quarum tota entitas conſiſtit in motu locali, quales ſunt locutio, manducatio, ambulatio; quæ vulgò in Scholis vocantur *actiones vitales ſecundùm modum*; Aliæ ſunt quarum entitas non conſiſtit in motu locali, ſed in aliquâ qualitate quæ petit produci à principio vitali, quales ſunt viſio, guſtatio, odoratio; quæ ſolent in Scholis vocari *actiones vitales ſecundùm entitatem.*

Notandum ſecundò, actiones vitales quæ conſiſtunt in motu locali, poſſe conſiderari dupliciter. Primò, ſecundùm ſuam entitatem, prout ſcilicet ſunt quædam motiones locales Secundò, ſecundùm ſuam vitalitatem, prout

ſcilicet exercentur modo vitali.

Certum eſt actiones quæ conſiſtunt in motu locali, præcipuè ſecundùm entitatem ſpectatas, poſſe exerceri ab Angelis in corporibus aſſumptis: Angeli enim in corporibus aſſumptis aliquas voces efformare poſſunt, ut conſtat de ſalutatione Angelica, Lucæ c.1. Poſſunt aliquos motus vitalibus ſimiles exercere, ut patet de motu Raphaëlis in Hiſtoria Tobiæ.

Quæſtio autem eſt de actionibus vitalibus propriè dictis.

ULTIMA CONCLUSIO.

Angeli in corporibus aſſumptis non poſſunt exercere opera vitalia.

PRobatur primò authoritate Raphaëlis Archangeli, qui 12. capite Tobiæ ſic loquitur: *Videbar vobiſcum manducare & bibere; ſed ego cibo inviſibili, & potu qui ab hominibus videri non poteſt, utor.*

Probatur ſecundò hac ratione deſumptâ ex ſancto Thomâ, prima parte, quæſt.51. art.2. Secundùm Philoſophum, Libro de Somno & Vigilâ, Capite primo; *Cujus eſt potentia, ejus eſt actio*: Ergo nihil poteſt habere opus vitæ, quod non habeat vitam, quæ eſt potentiale principium talis actionis: Atqui Angeli non habent vitam vegetativam, ſenſitivam, vel humanam: Ergo in corporibus aſſumptis nec poſſunt exercere operationes vegetativas, nec ſenſitivas, nec humanas.

CAPUT

CAPUT ULTIMUM.

De diviſione Angelorum.

SAnctus Dionyſius lib. de Cœleſti Hierarchia, cap. 6, totum Angelicum exercitum diſtribuit in tres Hierarchias: ſupremam videlicet, mediam, & infimam.

Hierarchia, ſecundùm vim vocis, *eſt ſacer principatus*, (& proindè mali Angeli propriè non componunt Hierarchiam)

In principatu autem duo ſunt: ſcilicet princeps, & multitudo ordinata ſub principe.

Quia igitur unus eſt Deus princeps, non ſolùm omnium Angelorum, ſed etiam omnium hominum & totius creaturæ: Ideò non ſolùm omnium Angelorum; ſed etiam hominum & totius rationalis creaturæ, quæ ſacrorum particeps eſſe poteſt, una eſt Hierarchia, inquit S. Thomas primâ parte, quæſt. 108. articulo 1.

Sed ſi conſideretur principatus ex parte multitudinis ordinatæ ſub principe (pergit idem ſanctus Doctor) *ſic unus principatus dicitur ſecundùm quod multitudo uno & eodem modo poteſt gubernationem principis recipere; quæ verò non poſſunt ſecundùm eumdem modum gubernari à principe, ad diverſos principatus pertinent: ſicut ſub uno Rege ſunt diverſæ civitates, quæ diverſis reguntur legibus & miniſtris. Manifeſtum eſt autem quòd homines alio modo divinas illuminationes percipiunt quàm Angeli; nam Angeli percipiunt eas in-*

telligibili puritate ; homines verò percipiunt eas ſub ſenſibilium ſimilitudinibus , ut Dionyſius dicit primo cap. Cœleſtis Hierarchiæ ; & ideò oportet diſtingui humanam Hierarchiam ab Angelicâ.

Et per eundem modum in Angelis tres Hierarchiæ diſtinguntur , (pergit adhuc idem Doctor :) *dictum eſt enim ſuprà , dum de cognitione Angelorum ageretur , quòd ſuperiores Angeli habent univerſaliorem cognitionem veritatis quàm inferiores : hujuſmodi autem univerſalis acceptio cognitionis , ſecundùm tres gradus in Angelis diſtingui poteſt ; poſſunt enim rationes rerum , de quibus Angeli illuminantur , conſiderari tripliciter. Primò quidem ſecundùm quod procedunt à primo principio univerſali , quod eſt Deus , & iſte modus convenit primæ Hierarchiæ , quæ immediatè ad Deum extenditur , & quaſi in veſtibulis Dei collocatur , ut Dionyſius dicit 7. capite Cœleſtis Hierarchiæ. Secundò verò , prout hujuſmodi rationes dependent ab univerſalibus cauſis creatis , quæ jam aliquo modo multiplicantur ; & hic modus convenit ſecundæ Hierarchiæ. Tertio autem modo ſecundùm quod hujuſmodi rationes applicantur ſingulis rebus , prout dependent à propriis cauſis ; & hic modus convenit infimæ Hierarchiæ.*

Ad primam Hierarchiam pertinet conſideratio finis ultimi ; ad mediam diſpoſitio univerſalis de agendis ; ad tertiam executio operum : Unde Angeli primæ Hierarchiæ comparantur Domeſticis & Aulicis Regis ;

Angeli ſecundæ, Magiſtratibus gubernantibus; Angeli infimæ, miniſtris mandata exequentibus.

In qualibet Hierarchia tres ponit ordines ſanctus Dionyſius, ſeptimo, octavo, & nono capitibus Cœleſtis Hierarchiæ; quod ſic probat ſanctus Thomas quæſt.citat.artic.2. *Unde Hierarchia eſt unus principatus, id eſt una multitudo ordinata uno modo ſub Principis gubernatione: non autem eſſet multitudo ordinata, ſed confuſa, ſi in multitudine diverſi ordines non eſſent: ipſa ergo ratio Hierarchiæ requirit ordinum diverſitatem: quæ quidem diverſitas ordinum ſecundùm diverſa officia & actus conſideratur, ſicut patet quòd in una civitate ſunt diverſi ordines ſecundùm diverſos actus; nam alius eſt ordo judicantium, & alius pugnantium, & alius laborantium in agris, & ſic de aliis. Sed quamvis multi ſint unius civitatis ordines, omnes tamen ad tres poſſunt reduci, ſecundùm quod qualibet multitudo perfecta habet principium, medium, & finem*, (ut docet ipſe Philoſophus primo Cap. Libri primi de Cœlo, laudando Pithagoræos, qui dicebant omnia definiri principio, medio & fine.) *Undè & in civitatibus triplex ordo hominum invenitur: quidam autem ſunt infimi, ut vilis populus; quidam verò ſunt medii, ut populus honorabilis; Sic igitur & in qualibet Hierarchiâ Angelicâ ordines diſtinguuntur ſecundum diverſos actus & officia; & omnis iſta diverſitas ad tria reducitur, ſcilicet ad ſummum, medium, & infimum.*

Ordo Angelicus definitur à Magiſtro lib.

2. Sententiarum diſtinct.9. Multitudo cœleſtium ſpirituum, qui inter ſe aliquo munere gratiæ ſimilantur, ſicut & in naturalium donorum participatione conveniunt; Unde patet Angelorum ordines fundari in ipſorum naturâ, & compleri per gratiam. *Ordines*, inquit ſanctus Thomas quæſt. cit. art.4. *diſtinguuntur in Angelis completivè quidem, ſecundùm dona gratuita; diſpoſitivè autem ſecundùm dona naturalia;* quia Angelis data ſunt dona gratuita ſecundùm capacitatem naturalium.

Ordines primæ ſeu ſummæ Hierarchiæ, ſunt Seraphini, Cherubini & Throni; quia ut diximus, Angeli primæ Hierarchiæ comparantur Aulicis: Aulici autem *hoc habent dignitatis, ut per ſeipſos familiariter accedere poſſint ad Regem vel Ducem, quidam verò ſuper hoc habent, ut etiam ſecreta ejus cognoſcant: Alii verò inſuper, circa ipſum ſemper inhærent, quaſi ei conjuncti. Et ſecundùm hanc ſimilitudinem accipere poſſumus diſpoſitionem in ordinibus primæ Hierarchiæ; nam Throni elevantur ad hoc quòd Deum in ſe ipſis familiariter recipiant, ſecundùm quod rationes rerum in ipſo immediatè cognoſcere poſſunt, quod eſt proprium totius primæ Hierarchiæ: Cherubini verò ſupereminenter divina ſecreta, cognoſcunt; Seraphini verò excellunt in hoc quod eſt omnium ſupremum, ſcilicet Deo ipſi uniri;* inquit ſanctus Thomas quæſt.cit.art.6.

Ordines ſecundæ ſeu mediæ Hierarchiæ; ſunt Dominationes, Virtutes, & Poteſtates; quia (ut diximus) Angeli ſecundæ Hierar-

chiæ comparantur Magiſtratibus gubernantibus : *Ad gubernationis autem rationem*, (inquit Doctor ibidem) *tria pertinent, quorum primum eſt, diſtinctio eorum quæ agenda ſunt, quod eſt proprium Dominationum ; Secundum autem eſt, præbere facultatem ad implendum, quod pertinet ad Virtutes ; Tertium autem eſt, ordinare qualiter ea quæ præcepta vel definita ſunt, impleri poſſint, ut aliqui exequantur, & hoc pertinet ad Poteſtates.*

Ordines tertiæ ſeu infimæ Hierarchiæ, ſunt Principatus, Archangeli, & Angeli; quia (ut diximus) Angeli infimæ Hierarchiæ comparantur miniſtris exequentibus, *in executione autem cujuſlibet actûs* (pergit Angelicus Doctor) *ſunt quidam quaſi incipientes actionem & alios ducentes, ſicut in cantu præcentores, & in bello illi qui alios ducunt & dirigunt ; & hoc pertinet ad Principatus : Alii verò ſunt, qui ſimpliciter exequuntur, & hoc pertinet ad Angelos: Alii verò medio modo ſe habent, quod ad Archangelos pertinet.*

Porrò Angeli diverſorum ordinum differunt ſaltem ſpecie, quia magis differunt quàm Angeli ejuſdem ordinis : Atqui Angeli ejuſdem ordinis differunt numero : Ergo Angeli diverſorum ordinum differunt ſaltem ſpecie.

Dico ſaltem ſpecie. Probabile enim eſt in eodem ordine Angelorum reperiri multos Angelos ſpecie differentes ; ſicut in eodem ordine corporum, v.g. in ordine inanimatorum, in ordine plantarum, in ordine animalium, reperiuntur multa corpora ſpecie diverſa.

Quod autem eorum ſpecies non diſtinguamus, eſt quia Angelos imperfectè cognoſcimus, ex ſancto Dionyſio, ſexto cap. Cœleſtis Hierarchiæ: qui autem res imperfectè cognoſcit, non poteſt eas diſtinguere niſi in univerſali, ſicut diſtinguimus corpora: quòd ſi tum Angelos tum corpora perfectè cognoſceremus, poſſemus uſque ad minima eorum naturas, proprietates, virtutes, actiones diſtinguere. Hoc ratiocinium colligitur ex S. Thoma 1.p.quæſt.108.art.3.

Angeli diverſarum Hierarchiarum differunt genere, quia magis differunt quàm Angeli diverſorum ordinum ejuſdem Hierarchiæ: Atqui poſteriores differunt ſpecie: Ergo priores differunt genere.

De iis quæ in hoc capite hactenus diximus conveniunt omnes: Sed

Diſputatur utrùm omnes omnino Angeli ejuſdem ordinis differant ſpecie; plerique enim Thomiſtæ contendunt impoſſibiles eſſe plures Angelos ejuſdem ſpeciei, contra quos ſit

Prima Conclusio.

Poſſibiles ſunt plures Angeli ejuſdem ſpeciei.

Probatur, quia in eo nulla eſt contradictio.

Confirmatur primò. Si non eſſent poſſibiles plures numero Angeli ejuſdem ſpeciei, maximè quia multitudo numerica repeteretur à materia ſignata: Falſum conſequens, ut docuimus primâ parte: Ergo & antecedens.

Confirmatur ſecundò. Licet animæ rationales ſint ſpiritales, plures tamen dantur ejuſdem ſpeciei: Ergo à pari, licet Angeli ſint ſpiritales, poſſunt tamen plures dari in eadem ſpe cie.

Nec juvat objicere, ſanctum Thomam prima parte, quæſt. 50. art. 4. contrarium docere. Nam ipſe opuſculo 15. capite ultimo, agnoſcit Deum poſſe producere plures intellectus ſeparatos in eadem ſpecie.

Ultima Conclusio.

Dantur de facto plures Angeli ejuſdem ſpeciei.

Probatur primò authoritate multorum ſanctorum Patrum, qui inter congruentias quas afferunt cur Verbum divinum aſſumpſerit potiùs naturam humanam quàm Angelicam, hanc aſſignant, quod ſcilicet integra ſpecies humana perierat, non autem integra ſpecies Angelica: Atqui ſi omnes Angeli differrent ſpecie, non tantùm una integra ſpecies Angelica periiſſet, ſed plurimæ: Ergo ex multis ſanctis Patribus plures ſunt Angeli ejuſdem ſpeciei.

Probatur ſecundò. Natura Angelica ut potè intellectualis, eſt ſocialis; ſocietas autem meliùs viget inter ſimiles, quàm inter diſſimiles; ſimile enim ſimili gaudet, ex lib. 8. Ethicorum c. 2. Ergo dantur de facto plures Angeli ſimiles, & proindè ejuſdem ſpeciei.

Quod ſpectat ad numerum Angelorum.

Certum eſt primò, numerum Angelorum non eſſe infinitum. Nam ex Sapientiæ c. 11.

omnia Deus in menſurâ, numero & pondere diſpoſuit.

Certum eſt ſecundò, numerum Angelorum eſſe maximum: tum quia Danielis c.7. ſcribitur, quòd *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*; Tum quia Chriſtus Dominus Matth. c.26. Petro enſem ſtringenti dixit: *An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Tum quia Theologi docent ſingulos homines ſingulos habere Angelos cuſtodes, & tamen ſolos Angelos ultimi ordinis, vel ſaltem ultimæ Hierarchiæ ad hominum cuſtodiam deputari.

Quantus autem ſit iſte numerus, incertum, eſt, ut patet ex 25. capite hiſtoriæ Job, ubi ſic habetur, *Numquid eſt numerus militum ejus?* Et ratio eſt, quia nullum ſuppetit medium aut naturale aut revelatum, per quod determinatus Angelorum numerus certo poſſit innoteſcere.

Et hæc ſunt quæ pertinent ad univerſam Metaphyſicam, in quâ egimus, Primo de principiis & cauſis Entis. Secundò, de unitate, veritate & bonitate. Tertiò, de Ente & ſpeciebus ejus à materia avulſis. De quibus quidquid diximus, univerſaliſſimo rerum principio, Enti entium cauſæ, ſummæ unitati, primæ veritati, incommutabili bonitati: ei qui eſt, quique immaterialiſſimus eſt, totâ mente conſecramus.

Finis Metaphyſica.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos amés & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre Hôtel, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans-Civils, & tous autres nos Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, SALUT. Nôtre bien amé GEORGE JOSSE, Marchand Libraire en nôtre bonne Ville de Paris, Nous a tres-humblement fait remontrer, qu'ayant acheté le Fonds de Librairie de ſa mere, Veuve de défunt George Joſſe, il a reconnu que par nos Lettres du trentiéme Septembre mil ſix cens ſoixante & dix-neuf, Nous avons accordé à ſadite Mere une continuation de Privilege pendant ſix années, pour le Cours de Philoſophie de Me Pierre Barbay, vivant celebre Profeſſeur en nôtre Univerſité de Paris, & ce en conſideration des Figures fort neceſſaires à ce Livre qu'elle y avoit fait ajoûter : lequel temps de ſix années étant preſt d'expirer, il deſireroit avoir une continuation dudit Privilege, qu'il nous a tres-humblement fait ſupplier de vouloir luy accorder. A CES CAUSES voulant favorablement traiter l'Expoſant, & l'exciter à continuer ſon commerce avec

honneur & application, comme il a fait juſques à preſent, & pour le dédommager auſſi en partie de la perte qu'il peut ſouffrir ſur pluſieurs autres Livres dépendans dudit Fonds de Librairie, dont le debit ſe trouve mal aiſé : Nous de nôtre grace ſpeciale, pleine puiſſance & autorité Royale, avons audit Expoſant accordé & accordons par ces Preſentes la continuation de Privilege pour ledit Cours de Philoſophie dudit défunt Pierre Barbay, pour le temps & eſpace de ſix années, à commencer du ving-quatre Octobre prochain jour de l'écheance dudit Privilege accordé à ladite Veuve Joſſe : pendant lequel temps l'Expoſant pourra ſeul ou ſes ayans cauſe imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter ledit Cours de Philoſophie, en tels marge, volume, caracteres, & autant de fois que bon luy ſemblera ; Faiſant défenſes à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, & ſous quelque pretexte que ce ſoit, d'en imprimer, ou faire imprimer, vendre ou faire vendre ſans le conſentement dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, trois mille livres d'amende, appliquable un tiers à Nous, un tiers à l'Hôpital General, & l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts : A la charge de mettre deux Exemplaires de ladite Philoſophie en nôtre Bibliotheque publique, un en celle de nô-

tre Cabinet du Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur Boucherat ; & que l'impreſſion s'en fera dans nôtre Royaume, & non ailleurs, ſur de bon papier, & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de l'Imprimerie & Librairie des années mil ſix cens dix-huit & mil ſix cens quatre vingts ſix. & de faire enregiſtrer ces Preſentes ſur le Regiſtre de la Communauté des Marchands Libraires & Imprimeurs de Paris : le tout à peine de nullité des Preſentes, du contenu deſquelles Nous vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant & ceux qui auront droit de luy pleinement & paiſiblement, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empéchemens au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaque Cours de ladite Philoſophie l'Extrait des Preſentes, elles ſoient tenuës pour bien & duëment ſignifiées, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires foy ſoit ajoutée comme à l'Original. Mandons en outre au premier nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes, toutes ſignifications, défenſes, ſaiſies & autres actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande & Lettres à ce contraires : CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. Donné à Paris le cinquiéme

jour du mois de Juin l'an de Grace mil ſix cens quatre vingts & dix, & de nôtre regne le quarante-huitiéme.

Signé, Par le Roy en ſon Conſeil,
DE S. HILAIRE.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 14. Juin 1690. ſuivant l'Arrêt du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé de Sa Majeſté du 27. Fevrier 1663. *Signé*, P. AUBOÜIN, Syndic.

AØ1 11153736

Google

Digitized by Google